LIBRI OCTO DE PHYSICA AUSCULTATIONE SEU PHILOSOPHIA NATURALIS...

Tommaso De Vio, Tommaso Maria Giovi, Timbro non identificato

μ

Pro Bibliotheca Conventus S. M. S. M.
Ex dono adm. R. P. Magistri et Prol. f. Thomæ M.a Zioni
18 Maij 1689.

LIBRI OCTO
DE PHYSICA
AVSCVLTATIONE
SEV
PHILOSOPHIA NATVRALIS

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI

P. F. THOMÆ A VIO
CAIETANI

Ordinis Prædicatorum, S. R. E. Card. S. Sixti.

Ex eius supèr totam Summam ANGELICI Præceptoris Commentarijs acutissimis, eiusque subtilissimis opusculis fidelitèr extracta, & in vnum Tomum compilata, Studio, & Opere

P. F. THOMÆ MARIÆ GIOVI PATRITII GENVENSIS In Sac. Theol. Professoris, nec non inter Sapientiss. Studij Gen. Sancti Dominici Bononiæ ibi pro gradus Bacalaurei Lectura exercita Minimi Moderatoris.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. S. R. E. VRBIS, ET ORBIS CAPITIS Amplissimo Principi Tit. S. Sixti Cardinali

P. F. VINCENTIO MARIÆ
VRSINO

Sipontinæ olim Eccl. Modo Cæsenaten. Pastori Vigilantissimo, & Thomistarum amænissimo Mæcenati.

Donata, Dicata, & Consecrata ab eodem P. Magistro Gioui.

BONONIÆ, Typis Iosephi Longi. 168 ... missu.

VITA ET ELOGIA

EMINENTISSIMI PATRIS

FR. THOMÆ

A VIO CAIETANI,

Ex varijs Doctorum Libris, & Hystoriæ monumentis in vnum hic collecta.

De Adolescentia Caietani.

VEnerabilis P. F. Bartolomeus de Spina Pisanus Ord. Præd. de Caietani Adolescentia studiosissima, & integerrima ità scribit. Thomas Caietanus postremus quidem tempore, Sapientia verò, ac Vitæ splendore, his diebus nulli fortè secundus, à Domino quasi viuens Aquinatis Imago susceptus est. Animam bonam à Domino sortitum esse, Ingenij eius perspicacitas, cui & ab ipsis penè incunabulis indefessè Vigilantissimo studio fæcundauit, cunctis sæculis patefecit. Ipsi publica Metaphysicæ lectura in florentissimo Patauino Gymnasio, sic demandata est, vt cùm illo concurreret Trombeta, Viro, inquam, tempestate illa non vulgari, qui plus Temporis lecturam hanc prosequendo consumpserat, quam hic ætatis. Ità crebræ referuntur in Scolastica palestra illius Victoriæ, vt in proxima Venetiarum Patria Omnium Ciuitatum elegantissima, quasi de Cœlo lapsi numinis,

 eius

VITA, ET ELOGIA
EMINENTISSIMI PATRIS
FR. THOMÆ
A VIO CAIETANI,
Ex varijs Doctorum Libris, & Hystoriæ monumentis in vnum hic collecta.

De Adolescentia Caietani.

VEnerabilis P. F. Bartolomeus de Spina Pisanus Ord. Præd. de Caietani Adolescentia studiosissima, & integerrima ità scribit. Thomas Caietanus postremus quidem tempore, Sapientia verò, ac Vitæ splendore, his diebus nulli fortè secundus, à Domino quasi viuens Aquinatis Imago susceptus est. Animam bonam à Domino sortitum esse, Ingenij eius perspicacitas, cui & ab ipsis penè incunabulis indefessè Vigilantissimo studio fæcundauit, cunctis sæculis patefecit. Ipsi publica Metaphysicæ lectura in florentissimo Patauino Gymnasio, sic demandata est, vt cùm illo concurreret Trombeta, Viro, inquam, tempestate illa non vulgari, qui plus Temporis lecturam hanc prosequendo consumpserat, quam hic ætatis. Ità crebræ referuntur in Scolastica palestra illius Victoriæ, vt in proxima Venetiarum Patria Omnium Ciuitatum elegantissima, quasi de Cœlo lapsi numinis,

 eius

eius gloria resonaret. Ferrariæ deindè Campus illi fuit, dùm cum illo celebratissimo scientiarum omnium veluti armario capacissimo Ioanne Pico, Mirandulano congressus est. Viriliter igitur decertantes, tantùm Gloriæ Thomas Caiet. (absq; tamèn concertantis Iniuria) consecutus est, vt coràm Ferrariæ Duce Hercule, ac toto sapientum Senatu, & innumera Populi circumstantis,ac stupentis frequentia à sui Ordinis Generali Ioachimo Turriano Veneto coràm prædictis accitus, proprium, quo Caput tegebat Biretum, Magisterij infulam Capiti Caietani imposuerit. Indè à Ludouico Duce Mediolani, Papiæ Solemni in loco lecturam librorum de Cœlo habuit, & sic in Ciuitatibus Veronæ, Bergomi, Brixiæ, Mantuæ, & Mediolani est eius gloria diffusa, vt per omnium ora volitaret. Subindè Romæ post celeberrimam disputationem, in qua coràm pluribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus apparuit, vt miraculum à Reuerendissimo Generali Bandello, de consensu eiusdem Ordinis, & Senatus, Procurator in Romana Curia sit constitutus, vt mox primus intèr Doctissimos, ex publico legendi munere facilè censeretur.

Integritas Morum.

EIdem quoq, plurimum decoris, & Claritatis attulit Sanctitatis fama, non Vanitati, sed Veritati subnixa: Cùm enim semper fuerit ab omni nota Criminis alienus, Romæ speciali munere virtutum omnium specimen se præmonstrauit; Sicq, actum est, vt adhuc Iuuenis Generalis totius Ordinis Magister in alia Synodo mortuo Bandello, Romæ congregata, electus sit. In regiminis Prudentia, cùm reformatione Ordinis affecuta, officiosissimum se ostendens. Curæ Pastorali, nec ipsa continua speculatio, nec speculationi Gregis custodia, etsi grauissima, nunquam fuit Impedimento. Opuscula præ alijs duo illa de potestate Papæ, ac Concilij, impetuosissima virtute, sic ab ipsius Calamo, tunc temporis efluxerunt, vt per hæc ipsa dissidium, quod in Ecclesia Diaboli Inuidia, eò perniciosiùs, quò spiritualius exortum fuerat, vires amiserit. Et quod plurimum admirari fas est, quem venerabantur, vt Excellentissimum Philosophum, & Theologum, vt legum etiàm peritissimo, ij, qui in orbe primi vtriusq; Iuris Principes habebantur, eius Sapientiæ cedere coacti sunt. In Cardinei Solij consessu, id potissimum suæ Gloriæ præstat Incrementum, quod non fauore Principum, non obsequio Prælatorum, non denique Auri venditione Thronum hunc ascendit, sed Domini Sabaoth electione sola, qui fulgentissimum noluit diu lucerna sub modio latitare,

sed

sed super Eminentissimæ Sedis Candelabrum, vt totum mundum illuminet, exaltauit. Quo, & contigit, ad humilitatis, & arctissimæ paupertatis exemplum, cum primo Cardinalis creatus est, apud se habere, non nisi triginta quinq; aureos suæ præfatæ prouisionis. Ex his omnibus innotescit, quanta sit laude dignus, qui post Aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ Thesauris; Cui mox pro Christiani populi salute maximam Prouinciam delegauerunt Pontifices, dum eumdem de Latere per Europam Vniuersam, ad componendam intèr Christianos Reges, & Principes pacem destinauerunt Legatum. Hic igitur est ille alter Thomas, qui suis explanationibus Doctrinam à Deo inspiratam, & per Diuum Thomam toti mundo effusam fulgidiorem reddit. Hucusq; Bartholomeus de Spina Pisanus.

De Matura Virilitate Caietani.

CEleberrimus Soc. Iesu Scriptor Antonius Posseuinus per singulas Caietani dotes excurrens, in Apparatu suo Sacro litt. v. hoc de sua Virtutum maturitate nostræ Posteritati reliquit Encomium. Thomas de Vio, siuè Vius (vt habet Sixtus Senensis) Cardinalis Tit. S. Sixti Ord. Præd. Natione Italus, Patria Caietanus, eiusdemq; Vrbis Episcopus. Vir tam Vitæ Sanctimonia, quam Ingenij præstantia illustris, subtilissimus Dialecticus, Admirabilis Philosophus, Theologus incomparabilis, & intèr eruditissimos doctissimi sui Sæculi longè eruditissimus. Anno trigesimo ætatis suæ proptèr singularem morum, & Doctrinæ excellentiam. 38. Magister Gener. Ordinis sui, Romæ electus est; & post aliquot Annos in Collegium Cardinalium à Leone X. Pontifice assumptus. Mox in Germaniam cum Legationis munere missus, ad compescendos profanos errores, quos Martinus Lutherus Illibicensis, nouus Hæresiarcha apud Germanos excitauerat. Indè verò reuersus, iterùm ab Hadriano Pontifice Maximo, Legatus in Pannoniam mittitur cum ingenti pecuniarum vi ad comparandas copias aduersus Solymanum Turcarum Imperatorem, Pannoniam infestis armis inuadere molientem. Reuocatus deindè à Clemente VII. Pont. Max. Romam redijt; vbi capta, & incensa Vrbe ab hostibus captus, quinq; millium aureorum prætio, se ab eorum manibus redemit; nec multo post, cùm Clemens Summus Pontifex in grauissimam, & à Medicis deploratam ægritudinem incidisset, ipse quoq; grauissimè ægrotare cæpit, quasi se imminenti Pontificatus oneri surripere vellet, ad quod communi omnium expectatione, votisq; vocabatur, ac morte sua Pontificis mortem præuenit. Fœlicem Deo Animam

mam reddidit. 4. Idus Augusti. Ætatis suæ 66. Ità Possevinus.

Cardinalis Bellarminus Soc. Iesu in lib. de Scriptoribus Eccles. ad Annum 1500. paucioribus complexus est Possevini Elogium sic scribens. Thomas de Vio Patria Caietanus, Vir fuit Summi Ingenij, nec minoris Pietatis &c. Ità Bellarminus &c.

De Inauguratione Pontificatus facta pro alijs ab ipso Caietano.

SPondanus referens Hadriani Sexti Electionem sic scribit. Quodam mane cum Sortitio fieret vt Tempus Electionis extraheretur, Hadrianum Belgam absentem in Hispania (quam nomine sui Alumni Caroli V. summa tùnc auctoritate administrabat) & vix vlli cognitum, à quodam propositum fuisse; moxq; Sancti Sixti Cardinalis Thomæ de Vio Caietani oratione, de Virtute, & eruditione commendatum, non nullis ei assentientibus, & reliquis hos impetu potiùs quàm consultò sequentibus, omnium suffragijs electum esse. Ità Spondanus.

Hoc idem Confirmat P. Albius Soc. Iesu Scriptor, qui in suis Elogijs Cardinalium sumpto exordio à Cardinali Hugone Ord. Præd. hoc Caietani Ensomio, absoluit illa, dicens. In Caiet. Adriani Sexti Electionem, quasi in Auctorem Diuini Consilij administrum ferè omnes illius Temporis referunt: Esto Paulus Iouius Episcopus ad Casum, quasi temerè factam Electionem refert; Guicciardinus tamèn cùm alijs, nisi Diuino Spiritui, qui in eligendis Pontificibus aflare solet mentes Patrum, adscribendam esse censet ad id tamèn Diuini operis Caietano nostro velut administro, & adiutore, vsum fuisse putat. Ità Scriptores ferè omnes.

De suæ Doctrinæ Eruditionisq; Eminentia.

VIncentius Baronus Tolosanus Ord. Præd. refert ex varijs Doctoribus, quod Thomas Caietanus, quamdiù Diuo Thomæ adhæsit, nullus fuit ipso ab omni errore remotior: imò nullus tutiùs, aut firmiùs, quàm ipse, fixit gradum, quamdiù sui Sanctissimi Præceptoris secutus est vestigia; Ad purpuram assumptus Scripturas Sacras magis suo Ingenio, quantumuis perspicaci, quàm ad D. Thomæ mentem interpretari volens, & plurimum sibi fidens in multis excessit; hinc Catharino eius hosti amplam suppeditauit Materiam animaduersionum in suis libris, in quibus tamèn plures inferuntur

con-

contrà Doctrinam Caietani Calumniæ quàm errores; & in gratiam Inuidorum Doctrinæ D. Thomæ ipse hostis Catharinus ea placita Thomistica, quæ in Philosophicis, & Theologicis quamplurima erroribus sordidantia notauit, ista, inquiunt veri censores, lapidi Lydio applicata, ac sincero ventilata examine, inuenta sunt, pura, solida, probata terræ, purgata septuplum; Quapropter ex his motus Melchior Canus correctionem Catharino fraternam inducit dicens. Tù, ò Catharine, ementito affectu, & crudeli pietate palpas Caietanum, vt trucides: At scias esse Caietano dulciora vulnera amici, quàm oscula Inimici; vndè, si modo superstes esset, suos elueret errores, si qui tamèn sunt in scripturarum interpretatione, & cum Gloriosa D. Augustini submissione diceret in suis reuocandis erroribus, *Errare possum non tamèn ero Hæreticus, & deuiantem meum Calamum ad Ecclesiæ trutinam prona festinatione reducerem; Homo sum, nihil humani à me alienum puto.* Sciant tamèn Amatores Doctrinæ Caietani, quod Doctores Hispani, tantam esse probant Doctrinæ eius soliditatem, & D. Thomæ in Physicis, & Theologicis tenacitatem, & fidelitatem, vt dederit sibi ansam Inuidiæ apud æmulos, vt ad per maxima vtrobique Thomæ, & Aquinatis, & Caietani Gloriam pertineat, non pauciores habuisse aduersarios, quàm Discipulos, & ferè pares esse, qui insectantur illos ijs, qui ipsos, vt in Doctrina Germanos, admirantur; imò, quod de tanti ingenij viro, mirandum est, in ea ipsa interpretatione scripturarum, maximè placent Hispanis, ea quæ scripsit, præcipuæ in Ecclesiaste, vndè plurimas cogitationes subtilissimas decerpunt, quibus suas Conciones veluti Gemmis ornant; hinc videntes Consultores Inquisitionis Hispanicæ atrocissimam iniuriam, contrà Caietani Doctrinam, illatam, dum Catalogo Hæreticorum inscriptum est nomen Catholicissimi Cardinalis Caietani, & de tota Ecclesia optimè meriti, fecerunt, vt Inquisitores Supremi Hispaniæ ab Inquisitionis Hispanicæ ex Purgatorio fol. 37. quæ est magnæ auctoritatis in Fidei Iudicijs, vindicata esset; sic pronunciantes. Ex Alphonsi a Castro Indice operis de Hæresibus ex quacumque editione, expungatur ex numero, & Cathalogo Hæreticorum Thomas Caietanus, qui potius intèr Summi Ingenij viros pietate præclaros, atque optimè de Ecclesia Catholica meritos, numerandus est. Ità refert Baronius Ord. Præd. ex varijs Scriptoribus, & Italis, & Hispanis.

Et Frater Didacus Morales in libello de Laudibus D. Thomæ in vnum collectis refert ex ipso nostro Grauina Sapientissimo in suo Cherub. Parad. hanc pro Caietani Doctrina defensionem. Henricus Politus de Senis cognominatus postea Catharinus, occasione cuiusdam

 mira-

miraculi facti in beneficium ipsius per intercessionem D. Catharinæ Senensis, fatetur verum esse Testimonium Innocentij Sexti, scilicet, quod qui impugnauerit Doctrinam D. Thomæ semper fuerit de veritate suspectus; Esto hoc proponat in Argumentis sed contrà, vt respondere posset. Sed quod magis mirandum est de isto viro, solatium assumebat pro suo particulari genio, & ingenio impugnandi maiores suos, scilicet, D. Thomam, Dominicum Soto, contrà quem Apologiam scripsit, & contrà Caietanum, & quià ante susceptionem habitus, fuit iuris prudentiæ maximè peritus, voluit etiam contrà famosissimum Baldum librum vnum ex scribere. Sed tamdèm de his omnibus non semel fuit visus vbertim plorare, & pænitentiam facere. Fuit Catharinus sinè dubio vir sua ætate illustris, circà propriam personam pauper, & austerus, ergà alios misericors, & pius; & non semel habuit pro Auditore suo, & discipulo Pontificem Iulium tertium in minoribus. Hæc ex Grauina.

EX

EX SVMMIS PONTIFICIBVS,

Et S. Romanæ Eccl. Cardinalibus, Doctrinæ Caietani vna cum morum Sanctitate Confirmationes.

EX Vita Clementis Septimi Papæ habetur, quod in ipsa expugnatione, ac direptione Vrbis Romæ, cùm vix cuiquam suis malis, & periculis, implicitò liceret de alienis meminisse: non potuit tamen Clemens Septimus Summus Pontifex tanta ruina oppressus Caietanum obliuisci; & in ea calumitate sollicitè inquisiuit, quid illi accidisset? *Núm, ait, maximum hoc Ecclesiæ lumen occidit?*

EMinentissimus Cardinalis Pallauicinus ex Soc. Iesu nunquàm satis commendatus in suo libro inscripto vindicationes Soc. Iesu cap. 27. Sic ait. Caietanus ille exacti sæculi primum Decus in Licæo, & quasi vnus omnium dignus, qui diuinam illam tanquàm humanæ Sapientiæ Summam Commentarijs ordinatissimis cumularet.

EMinentissimus Cardinalis ipse Thomas Caietanus de se ipso humilitèr sentiens: hæc habet in tertia parte quæst. 7. art. 11. in principio sui Commentarij huius articuli. Diuinæ vt non desim Gratiæ, par est, vt ceptum opus prosequamur, & quanto ampliùs Dei, Sanctissimique Domini Nostri Leonis X. Pontificis Maximi Gratia, Cardinea me dignitate attollens, abbundauit; tanto magis debeo Iesu Christi Mysteria, Ecclesiæ Sacramenta scrutari, in lucemq; proferre. Hoc igitur anno eodem, salutis quidem Millesimo quinquagesimo decimo septimo: Ætatis autèm propriæ nono suprà Quadragesimum inchoatum opus die 12. Cardinalatus simul, & Mensis Iulij prosequor titulum huius vndecimi articuli quæstionis septimæ. Ità Caietanus.

EMinentiss. Cardinalis P. Fr. Vincentius Maria Vrsinus Romanus, cuius amplissimę celsitudini hæc Physica Caietani, est dicata prędicta omnia Elogia, & Encomia concludit in Epistola responsiua data Compilatori eiusdem Physicæ vulgari Idiomate, sic Respondens.

M. *R. P. Maestro Priore mio Amantissimo. Con singolar laude V. P. M. R. hà impiegato le sue letterarie applicationi nel raccorre in vn Codice dell'Opere del Nostro Eminentissimo Caietano, tutte le Quæstioni spettanti alla Fisica, donandole vn nuouo ordine colla dispositione delle Materie, tenendo il metodo*

 del

del Lerma. Questa fatiga riuscirà di gran beneficio, così à nostri Studenti, come à Lettori: onde V.P.M.R. riporterà generale commendatione da tutti, ò siano Scolari, ò Maestri; poiche ad amendui hà giouato. Desiderarei bensì, che la digestione de gli Articoli conseguisse la vera forma dialettica, mentre lo stile germano del Nostro Caietano, come non diretto in proposito al pratico insegnamento de gli Studenti, sappiamo, che non si sottopose rigorosamente alle Regole tutte dell'Arte Sillogistica: e molto più desidero vna vera formula Dialettica, per accorrere al disordine, che oggi è così vniuersale nella Nostra Religione in Italia, che i Lettori non si curano molto di essa; e si scusano con dire, che Caetano scrisse più badando alla verità delle cose, che all'ordine delle medesime.

All'Oblatione poi cortesissima di V.P.M.R. in volermi dedicare l'accennato opusculo, io corrispondo col rendimento di affettuosissime gratie, e coll'esibirle in riconoscimento la mia gratitudine; La prego bensì à riflettere alla somma disparità, ch'euui frà il Cardinal di S. Sisto, nuncupato il Caetano, & il Cardinal di S. Sisto nuncupato Orsini, acciache non pregiudichi alla stima del primo, e non renda più condannabile quella del secondo, per l'assioma della regola dell' oppositione. Quindi la pregarei à consegrare le sue fatighe al merito, & alla Dottrina del Nostro Eminentissimo Capizucchi, Sogetto in questo Secolo da paragonarsi, senz' adulatione, al defonto Cardinal Caetano. Se V. P. M. R. disporrassi à seguire questo mio conseglio, l'accerto, che con doppia obligatione, à proprio conto ascriuerò il fauore della medesima dedica; e resto in fine offerendomi al solito di V. P. M. R.

Di Grauina li 22. Giugno 1682.

Cordialissimo Fratello per seruirla
Fr. Vincenzo Maria Card. Orsini, &c.

A tergo
*Al Molto Reu. Padre. Il P. Maestro
Frà Tomaso Maria Gioui Priore di
S. Giacomo di Cornigliano de Pred.*

*Genoua
Per Corneliano* S. Maria di Castello

Confir-

Confirmatio Doctrinæ Caiet. ex ordinationibus nostris.

IN Actibus Capituli Generalis Bononiæ celebrati Anno 1615. sub Reuerendiss. Patre Generali Fr. Seraphino Sicco Papiensi §. pro Reformatione Studiorum. Ità sancitur in ordinatione prima. Quià verò in dies, quamplurimi Doctrinæ S. Thomæ Commentatores prodeunt, ità vt infinita penè mole librorum Veritas ipsa, & sincera eius Doctrina offuscari videatur; Idcircò ne tanta inutilium Quæstionum varietate Discipulorum Ingenia confundantur: omnibus Lectoribus, & Studiorum Moderatoribus sub prædictis pænis mandamus, vt varietate Auctorum relicta, in Philosophicis quidem Aristotelis textum, Commentarijs Patrum Nostri Ordinis, explicando; In Theologicis verò Doctrinam S. Thomæ, vt est in littera, singularitèr, specificè, & expresè, nedùm quantum ad ipsam substantiam, sed etiàm quantùm ad verba exactissimè proponant, explicent, doceant, & defendant tàm in publicis, quàm in priuatis disputationibus, alijsque Scolasticis exercitijs: Ità vt si fieri possit textum Sancti Thomæ integrum memoriæ commendent: & eius loquendi modo, stylo, ac verbis assuefiant. Insupèr Commentaria Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Caietani proponant, doceant, & explicent.

EX ORDINATIONIBVS Capituli Prouincialis approbatis à Reuerendissimo P. Generali Fr. Ioanne Thoma Roccaberti.

IN Actibus Capituli Prouincialis Placentiæ celebrati Anno 1674. sub Præside Apostolico P. Fr. Angelo Grimaldo Prouinciæ Magistro in Electione Prouincialis in personam Primi Diffinitoris Patris Fratris Bernardini de Venetijs Magistri Prouinciæ. §. Pro reformatione Studiorum Ordinatione tertia, hæc sanciuntur. Lectores Prouinciæ nostræ vtriusque Lombardiæ legant textum D Thomæ cùm Commentarijs Eminentissimi Caietani, & controuersias, quas euentilat Magister Frater Ioannes à S. Thoma tùm in Theologicis, tùm in Philosophicis.

Compendium Totius Vitæ Caietani
Ex Breui Chronicon Magistrorum
Generalium in Constitutionibus

Anno

ANno 1508. in Festo Pentecostes, in Generali Capitulo Romæ habito, summo omnium consensu, & gratulatione ad Magistratum ordinis euectus est. Hujus viri acutissimum Ingenium, ac Doctrinæ profunditatem probant, & manifestissimè contestantur scripta per eum doctissimè tàm in humana, quàm in Diuina Philosophia. In Librum quippe S. Thomæ de ente, & essentia subtilissima Commentaria edidit adhuc adolescens. Iuuenis verò libros Prædicabilium, Prædicamentorum, ac posteriorum, & de Anima Aristotelis, commentarijs, & quæstionibus illustrauit. Summam deindè S.Tho. idem vir, & Magister Theologus commentatus est. Cumq; in primam partem doctissimus, & admirabilis in speculabilibus haberetur, tàm acutè deindè in secundam partem moralia tractauit, tàm copiosè exactèq; Martini de Magistris argutias, & ratiocinationes enucleat, reuellit, elidit, vt nescias qua parte eum magis admireris. Iàm Grandior natu, & à Leone X. inter Cardinales renunciatus, Sacras litteras, & Sacramenta adorsus in tertiam partem prosequutus est Commentaria; Librum Psalmorum, & nouum Testamentum prætèr Apocalypsim, Pentateuchum, Historiales, ac Sapientiales libros explanauit ad litteram. Prophetas expositurus, tria tantum capita Isaiæ explicuit, reliqua præpeditus expectata morte, absoluere non potuit. Opusculorum quattuor Tomos, Summam quoq; de Casibus de suo cognomine Caiet. animam nuncupatam, compendiosam, ac resolutam, tanquàm Memoriale quoddam pro Doctis edidit. Eius porrò prudentiam, ac Religiosum zelum videre licet ex his, quæ Magistratum ordinis gerens, tam prudentèr, quàm Sanctè disposuit. In singulis Prouincijs habere studebat viros probos, Communis Boni, regularisq; vitæ zelatores, quorum opera, & Consilijs vteretur ad cognoscendum, & disponendum, quæ auctoritatem eius exposcerent. Nihil negligebat, minima quæq; curabat, sed tanta dexteritate, vt ordinarijs Prælatis non esset oneri, neq; molestiæ; cumq; ipse omnia faceret, nihil tamen facere videretur. Illud idem probant Constitutiones, ipsius sollicitudine in Capitulo Genuensi 1513. inchoatæ, quæ Neapoli Anno 1515. Confirmatæ, in Capitulo demum Romæ 1518. intèr alias relatæ fuerunt, quamquàm ipse eo Capitulo non præfuerit ordini, quippè qui Anno præcedenti 1517. Calendis Iulij a Leone X. Episcopus Caietanus, & Presbiter Card. Tit. S. Sixti creatus fuerat. Vixit verò ad Annum 1533. & 5. Idus Septembris, Romæ laneis interulis, vt sempèr anteà more ordinis vestitus, defunctus est, atq; ad Mineruam, præ foribus Ecclesiæ in tumulo, quem sibi viuens, sub terra parauerat, conditus est. Hæc Chronicon Breue Magistrorum Generalium.

Epistola

Epiſtola Dedicatoria

EMINENTISSIME PRINCEPS.

TEnebræ Phyſicales, quæ ſuper faciem Abyſſi, ideſt THOMÆ in Eminentiſſimi Caietani Commentarijs erant inuolutæ, prodeunt (Eminentiſſime Princeps) effugata caligine ad lucem tui Solis Aquinatis; & ſic è tenebris eruta, & in octo libris diſtincta, ſua hæc Phyſica, ſub ſuo originario Titulo S. Sixti Cardinalis cunctis clareſcit; totique Scholæ Thomiſticæ ſub tua Purpurea protectione in odorem tuæ myſticæ Roſæ ſibi tot folijs clauſa, & vnita reſeratur: Eminentiæ enim Tuæ, & titulo, & re omni iure debetur: Collegæ

Tui

Tui Eminentissimi esto in dignitate Ecclesiastica, Sapientia, & moribus Caietano coaquentur (in eminentia enim Doctrinæ, ingenijque profunditate, eruditionisq; fæcunditate nil expressius, ipsa fama vbiq; personante, Eminentissimo Capizucchio, pro vt etiàm in Epistola mihi transmissa Tua ingenua virtutis sincera authoritas comprobat) attamèn innumeris titulis cùm re ipsa coniunctis sub tuo Titulo Vrsino S. Sixti Physica Caietani ad suam, veluti Prothotypum, euolat imaginem. Longè longè, quæso, in suis grandiosis paludamentis absint Vrsinæ Familiæ lineamenta, sola tui generosæ Animæ suppetunt ad abbundantiam: Ab oratione enim ad Studium, totus in Lycæo, totus in conferentijs, totus in disputationibus alter Caietanus, & in Principatu, & in Claustris videbaris. Ex hoc Thomistico centro, veluti ex Vtero Matris, quasi per vim à Summo Pontifice Clemente X. ad solium purpureum extractus, multiplicasti Tuæ Matri Religioni Alterias Stellas: & ex illo sydere Gusmano, septem illas ex tuo Arcturo, qui est Imago Vrsæ, assumens Pontifex, in Albo Sanctorum cum alijs innumeris tui ordinis nominauit; Et pro tuo singulari affectu ad illos,

Ora-

Oraculum Pontificis Nicolai attendens, numera ſtellas ſi potes? *Vt in perpetuas æternitates ſub vna celebritate in Tuo Ordine omnes illæ ſimul venerarentur poſt octauam Omnium Sanctorum à Clemente X. obtinuiſti. Conſideraſti illud Iob. 38. à Caietano relatum, tibiq; ſoli reſeruatum*, numquid coniungere valebis micantes Stellas Pleiadas, aut Gyrum Arcturi poteris diſsipare? *in tua Religioſa, vbiq; pia humilitate, reſpondiſti*, Qui facit Arcturum Iob. 9. facit & magna, & incomprehenſibilia, quorum non eſt numerus, vt Deus & Dominus *in Dominicanis Heroibus* mirabilis appareat Amos 5. *Quapropter ſi Caietanus intentus ad laborandum pro Gratia Chriſti Domini ex Prouincia vtriuſq; Lombardiæ ad purpuram à Leone X. fuit aſſumptus: ſimulq; in Cardinalitia, & Epiſcopali Dignitate pro eiuſdem dilatatione, & defenſione conſtans ergà Fideles extitit; Tu ab ipſo in vtraq; non omninò diſſimilis, ſed ſempèr ſimilis, vt dignitas, ſtudium, & honor in Tua Alma Matre, ſuiſq; Filijs clareſcat, & vigeat, vbiq; curas. Et Præfecturas Congregationum in Vrbe, & Orbe renuntians, vt alter Caietanus in Caieta,*

to-

totaq; in Europa, à Roma discedens, conuulsas Aras, diruta Templa, ouesq; Diocesanas errantes, proprio ærario, Verbo, & exemplo componis, extruis, & erigis. Cur non igitur à Tua Altissima Turri, ex qua (Eminentissime Princeps) mille Clypei protectionis dependent, pendebit in omnium oculis Physica hæc Cardinalis S. Sixti? Excipiat, quæso, Generosa Tua Virtus hoc Theologiæ fortissimum, stabileq; fundamentum, vt Tui prædilecti Ordinis Discipuli Thomistæ in odorem Tuæ Mysticæ Rosæ currentes, illamq; assiduè subodorantes, confundant cùm suo Sanctissimo Præceptore Scarabæos Hæreticos. Vale pro Mundi gloria ad Nestoreos annos intèr Cardines Ecclesiæ, Inuictissime Princeps; Vale, inquam, intèr Sacras Infulas splendidissimus Arcturus. Vale tandem Philosophorum, ac Theologorum amabilissimus Mæcenas. Vale &c.

EPI-

EPISTOLA

Ad Lectores Philosophos.

NOn erubesco Scribæ, & non Scriptoris vindicare nomen: Scriba enim de aliorum officina transcribit: Scriptor ex proprio Marte componit. Nolui pro vestra omnium vtilitate, Thesauros naturæ dispersos in Commentarijs Caietani relinquere; Et ideò Genio Magni Regis Alexandri indulgere nolui: Hic enim statim ac audiuit, Præceptorem suum Inclytum Aristotelem octo libros de Physica auscultatione, de quibus erat edoctus, in lucem edidisse, tactus inuidia, hanc illi transmisit Epistolam.

Aristoteli Alexander salutem; Haud rectè fecisti, quod Auscultatorios libros edideris: in qua enim re à cæteris nos itèm præstabimus? Si Disciplinæ, in quibus eruditi sumus, omnibus omninò sunt communes? Ecquidem malim in rerum vsu optimarum, quàm in facultatibus anteire. Vale. Veritus Aristoteles tanti Regis auctoritatem, & maiestatem, sic respondet Alexandro. Aristoteles Regi Alexandro salutem. Scripsisti ad me de libris Auscultatorijs intèr Arcana illos condi putans opportere: sed tu eos, & esse editos, & minimè editos scito: cognoscibiles enim ijs tantùm erunt, qui nos audiunt. Vale.

Vcusque inuestigatum est, qua fatalitate libri octo de Physica auscultatione, promissi à tanto Ingenio in suis Commentarijs, non sint auditi. Quidquid sit de aliquorum opinione tenentium, esse in Bibliotheca Magni Ducis Ethruriæ, vel in Vaticana, cùm sinè fundamento hoc afferant: satiùs est mihi opinari, quod morte preuentus, illos in scriptis communicare nobis in vnum non potuerit. En ego per viginti duos annos in Scholastica, & Morali Theologia, nec non in Philosophia, veluti Statua Mennonis, tactus à luce Solis Aquinatis

cùm

cùm Caietano in Cathedris sempèr locutus sum. Æquum igitur erat, vt ex mea innata inclinatione iuuandi omnibus, antè omnium vestrum oculos Physicam tanti viri vbiq; terrarum celeberrimi, ordinatim per quæstiones in singulis octo libris ex suis Commentarijs hic transcriptas, proponerem. De meo nil habetur nisi studium, & labor in ordinandis, & vniendis suo loco Doctrinis Caietani, & vbi est necessaria Ars Syllogistica in suis rationibus, hanc apposui, relinquendo in sua naturali vi, & energia propria Enthymemata. Cæterum, vt ex proprijs, verè Caietani Physica, nuncupetur, à sua Phrasi loquendi Caietani propria in nulla quæstione aberraui, nec Iota vnum. Hanc sinè inuidia omnibus Thomistis ad meditandum aperui, si puro oculo inspicietis, Metaphysicam vobis parabo. Valete.

FA-

10

FACVLTAS REVERENDISSIMI P. GENERALIS.

Nos Fr. Antonius de Monroy Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ord. Præd. humilis Magister Generalis, & Seruus.

VIsa à nobis approbatione facta per Reuerendos Adm. P. Theologiæ Magistros Ord. Nostri: quibus commisimus reuisionem Operis, cui Titulus est. *Libri octo de Physica auscultatione, seu Physica naturalis Eminentissimi P. Fr. Thomæ à Vio Caietani*, compilatum à Reu. Admod. P. Magistro Fr. Thoma Maria Gioui; Harum serie, nostriq; auctoritate officij licentiam concedimus præfato Resp. Adm. P. Fr. Thomæ Mariæ Gioui Typis edendi prædictum opus, scilicet, *Libri octo de Physica auscultatione, seu Physica naturalis Eminentissimi P. Fr. Thoma à Vio Caietano &c.* seruatis alias de Iure seruandis. In quorum Fidem &c. Datum Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam. Die 7. Nouembris 1682.

F. Antonius de Monroy Mag. Ord. &c.

Loco Sigilli.
✠

Reg. fol. 202.
Fr. Io. Baptista Clardus Socius.

APPROBATIO OPERIS.

DE Mandato Reuerendissimi P. Fr. Antonij de Monroy Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum Vidi Physicam Eminentissimi Caietani compilatam per Quæstiones, & extracta ex eiusdem Commentarijs, & Opusculis, cùm Studio, & Labore, ab Adm. Reu. P. Sacræ Theologiæ in Prouincia Magistro Fr. Thoma Maria Gioui; Et cùm in ea nihil repererim, quod Fidei Catholicæ, aut Bonis moribus repugnet, & valdè Vtilem, & peraccommodam studiosis Thomistis Mentis Caietani: imò omnibus Philosophis fore deprehenderim, proptèr multiplicem, qua hic liber refertus est, subtilitatem, ideò illum dignissimum esse censeo, qui Typis mandetur. Bononiæ Die S. Hieronymi 30. Septembris 1682.

Fr. Hieronymus de Bassanis Ord. Præd. S. Th. Mag. & eiusdem in Vniuersitate Bononiensi Publicus Doct. Studijq; S. Dominici Moderator.

APPROBATIO OPERIS ALIA.

IVbente Reuerendiss. P. F. Antonio de Monroy Totius Ord. Præd. Gener. Mag. per suas datas Romæ die 8. Augusti 1682. Maxima animi attentione, simulq; Mentis iucunditate, vidi, & auidissimè legi Librum, cuius Epigraphe: *Libri octo de Physica auscultatione, seu Philosophia naturalis Eminentiss. P. F. Thomæ à Vio Caietani &c.* Summa industria, nobiliq; sudore compilatum ab Adm. Reu.

P. Fr.

P. Fr. Thoma Maria Gioui Genuensi Sac. Theol. Mag. & in hoc Generali Studio iam Baccalaureo; in eoq; cùm Catholica Veritate, & securiori Thomistarum Doctrinæ penitus consonantem. Hoc intèr cætera singularitèr sum miratus, quod ea, quæ acutissimum illud, & æquè Eminentiss. Ingenium in tot, tantisq; suis tùm Philosophicis, tùm Metaphysicis, tùm Theolog. Comment. aptè sempèr ad occurrentes Materias ità sparsim disseminauit, hic in proprijs sedibus adsunt collecta, & ordinato perpetuo stylò (vt scientificum decet) in suis locis artificiosè disposita; Additis insupèr speciali Industria, sæpissimè notulis, quibus Nouatores Philosophi agnoscant, quàm iniustè ab Antiquitate recedant. Prodeat igitur (Rogo) quantocyùs in lucem, vt Vniuersi, sed præsertim studiosi Thomistæ sentiant rarum hoc commodum, quod in eodem Libro, vno prorsùs obtutu, & naturalia rimentur, & in simul quamplures Theologicas difficultates vsq; ad nodulum dissolutas conspiciant. Laus interim, & Honor Deo, qui præfato P. Magistro, & Genium, & Vires indidit, quibus assumeret, & tàm vtilem, æquè, ac illustrem laborem perficeret. Ità censui in Conuentu, & Studio Generali S. Dominici Bononiæ Die 29. Octobris 1682.

Ego Fr. Dominicus Maria Santini ab Aesio Mag. & Regens Primus Moderator &c.

VId. D. Fulgentius Orighetus Cler. Regularis S. Pauli, & in Metropol. Bonon. Ecclesia Pœnitentiarius pro Eminentiss. & Reuerendiss. Domino, D. Card. Hieronymo Boncompagno, Archiep. Bonon. & Principe.

EX commissione Reuerendissimi P. Mag. F. Pauli Hieronymi Giacconi de Garrexio Inquisitoris Bononiæ Egregium opus, cui Titulus *Libri octo de Physica auscultatione, seu Philosophia naturalis Eminentissimi F. Thomæ de Vio Caietani* assiduo Reu. Adm. P. F. Thomæ Mariæ Gioui de Genua Sac. Theol. nec non Prouinciæ Emeriti Magistri labore confectum accurata, quà licuit, attentione lustraui; Nihil in illo, quod orthodoxæ Fidei, Apostolicisue Decretis refragetur deprehendi, sed omnia Genuinam Angelici Magistri Doctrinam ex eius Interprete Fidissimo Caietano inconcussa stabilitate firmatam redolentia conspexi. Illud potissimum in hoc opere mirandum adiudico, quod profundissima Caietani dogmata in Commentarijs longè, latèq; dispersa tàm insigni disposuerit *Auctor* ordine, vt non alterum fortassè prælaudatus ipse elegisset Interpres, si, quæ sparsim docuit, in vnum Naturalis Philosophiæ volumen redegisset. Sanè *Thomas* hic non nisi *Thomam ex Thoma* locutus est, *vnaquè Abyssus ad penetranda Naturæ Mysteria Abyssum Geminam reserauit*. Quapropter præfatum opus, vt ad Communem Thomisticæ Scholæ vtilitatem quàm citius elucescat; prælo dignissimum censui. Bononiæ in Ædibus Sanctiss. Patriarchæ, ac P. Dominici Die 1. Decembris Anni 1682.

Fr. Ioseph Maria Tabalius de Placentia Philosophicæ disciplinæ Primarius Lector.

Stante præfata attestatione
Imprimi possit Bononiæ

F. Paulus Hieronymus Giacconus Inquisitor.

Ll-

LIBRI OCTO DE PHYSICA AVSCVLTATIONE SEV PHILOSOPHIA NATVRALIS CAIETANI

Extracta ex Commentarijs, & Opusculis eiusdem Caietani.

Nec non per Quæstiones disposita, omnibusq; Thomistis

PROPOSITA

Præcipuè Lectoribus, & Discipulis Philosophis

LIBER PRIMVS PHYSICORVM

QVÆSTIO PRIMA PROÆMIALIS

Vtrùm Philosophia sit Scientia speculatiua vnius athomæ speciei

Ex Eminentissimo Caietano in libro primo post. Cap. 22. & ex varijs locis in suis Commentarijs.

VT status Controuersiæ in titulo aperiatur Discipulis D. Thomæ, præmittimus, quod Caietanus in omnibus, & per omnia Eminentissimus, & subtilissimus, hanc difficultatem ex professo tractat in sua Logica cap. 22. p. post. quapropter ex hoc loco præcipuè declaranda est sua sententia Sed quia Intentum nostrum est reducere ad vnum per ordinem Doctrinas omnes, quæ dispersæ sunt in Commentarijs suis super summam D. Thom. (cum quæstiones spectantes ad octo libros de Physica auscultatione tractet ibi, & alibi in suis opusculis) ideò, & quæ habet loc. cit. & in Commentarijs, & alibi in suis operibus reducenda sunt à nobis in decisione huius difficultatis, sicuti, & in alijs quæstionibus Physicalibus in octo libris facimus, fideliter recitando de Verbo ad Verbum eius Doctrinas, vt in omnibus, & per omnia dicatur Physica Caietani. Quatuor igitur, & in hac, & in singulis quæstionibus sequentibus iuxta morem vsitatum D. Tho. & Caietani, & antiquiorum Thomistarum

Methodus tenenda in resoluendis quæstionibus Physicalibus Caietani.

faciemus, scilicet, declarando titulum recitando opiniones, probando Conclusiones; & tandem soluendo Argumenta. Quærit igitur Caietanus vtrùm Philosophia sit, &c.

Notabile primũ ex Caiet p.p. q.p. art. 1.

1. Quoad Primum. Circa lij Philosophia. Adnotat Caietanus ex D.Tho.in p.p. q.p.art.1. Quod Scientia potest dici Physica, seù naturalis dupliciter. Obiectiuè vno modo, & sic est vna pars Scientiæ distincta in 6. Met. contrà Mathematicam, & Metaphysicam; Alio modo effectiuè: quià scilicet secundùm se nata est esse à principio naturali scientiarum idest lumine Intellectus agentis, & sic distinguitur Physicum contra supernaturale. In p.p. sumitur lij præter Physicas disciplinas, pro omni notitia acquisibili lumine Intellectus. in hac quæstione sumitur in primo sensu.

Notabile secũdum Caiet. ex p. p. q. 85. art. 1. in resp. ad secundum.

2. Adnotat secundò Caietanus ex D.Th.p.p.q.85.art.1.in resp.ad secundum quod Intellectus Physicus, Mathematicus, & Metaphysicus diuerso modo faciunt abstractionem circà ens: Intellectus enim Physicus abstrahit speciem rei naturalis à materia sensibili indiuiduali, non autèm à materia sensibili communi: sicut speciem hominis abstrahit ab his carnibus, & his ossibus, quæ non sunt de ratione speciei, sed sunt partes indiuidui, vt dicitur in 7. Met. & ideò sine eis considerari potest: at species hominis non potest abstrahi per Intellectum à carnibus, & ossibus. Species autèm Mathematicæ possunt abstrahi per Intellectum à materia sensibili non solùm indiuiduali, sed etiàm Communi: non tamèn à materia intelligibili communi, sed solùm indiuiduali. Materia enim sensibilis dicitur materia corporalis, secundùm quod subiacet qualitalibus sensibilibus scilicet callido, & frigido, duro, & molli, & huiusmodi. Materia verò intelligibilis dicitur substantia, secundum quod subiacet quantitati: Manifestum est autèm, quod quantitas priùs inest substantiæ, quàm qualitatibus sensibilibus, vt muneri, dimensiones, & figuræ, quæ sunt terminationes quantitatum possunt considerari absq; qualitatibus sensibilibus quod est eas abstrahi à materia sensibili, non tamèn possunt considerari sine Intellectu substantię quantitati subiectæ, quod esset eas abstrahi à materia intelligibili communi: possunt tamèn considerari sinè hac vel illa substantia, quod est eas abstrahi à materia intelligibili indiuiduali. Quædam verò sunt, quæ possunt etiàm abstrahi à materia intelligibili communi, sicuti ens, vnum, potentia, & actus, & alia huiusmodi, quæ etiàm esse possunt absq; omni materia, vt patet in substantijs immaterialibus. Plato, quià non considerauit illùm duplicem modum abstractionis, posuit omnia illa, quæ diximus, abstrahi per Intellectum, esse abstracta secundum rem. Ità Caietanus supponit ex D.Tho. vbi propriè loquitur de abstractione speciei intelligibilis à Phantasmatibus.

Notabile tertiũ Caiet.ex p.p.q.p. art.7.in fine.

3. Adnotat tertio Caietanus in p. p. q. p. art. 7. circà finem, quod scientiæ limitantur secundum species scibilium vt sic, & non secundum species rerum. Et ideò tot species, & genera rerum sub vna possunt comprehendi scientia, quot comprehendi contingit sub vna specie scibili. Et ideò illa ratio formalis rerum, quæ primo fundat illam speciem scibilem: idest cui priùs conuenit ille modus abstractionis, vel diffinitionis, vel cognitionis, qui constituit illam speciem scibilis, est ratio formalis subiecti in illa scientia: & est prima radix omnium pertinentium ad illam scientiam vt sic, quod autèm continentia virtualis talis, sufficiat ad subiectum, & principia scientiæ, patet ex processibus scientiarum, tàm in Mathematicis, quàm in naturalibus. Vtrobique namq; multorum generum passiones propriè traduntur, puta trianguli, & quadranguli: quas impossibile est adæquatè contineri in subiecto Geometriæ. Ità Caiet. art.7.

Notabile 4. Caiet. ex 3.p.q.3.art.3.

4. Adnotat quarto Caietanus in expositione tituli art.3.q.3. in tertia parte, quod cùm ens mobile naturale sit obiectum Philosophiæ naturalis, & distinguens Philosophiam

phiam in varias ſcientias : hoc non poteſt fieri niſi per abſtractionem , quæ eſt du-
plex , alia eſt ex parte rei , & alia eſt abſtractio ex parte Intellectus tantùm , &
explicata vtraque abſtractione in ſuis terminis , proſequitur Caietanus dicendo ,
quod vtraque differt ſicut effectus ex cauſa vniuoca , & ex cauſa æquiuoca , quo-
niam in prima , diſtinctio abſtractionis eſt ex diſtinctione inuenta in re ; in ſe-
cunda verò diſtinctio abſtractionis eſt , non ex diſtinctione inuenta in re , ſed ex re
virtualitèr continente huiuſmodi diſtinctionem . In nulla tamen huiuſmodi ab-
ſtractionum eſt mendacium , ſed vtraque fulta verò , quamuis diſformitèr ex parte
rei . Itá Caiet.

5. Adnotat quinto Caiet. in p. 2. q. 54. art. 2. contrà interpretationem datam à
Scoto in prologo. p. ſent. q. p. peruersè expoſitam neſcio à ſe , vel ab altero , quod Notab. quintũ
in littera D.Tho. ibi dicitur , quod vbi eſt idem ſcibile , puta quod terra eſt rotunda Caiet. ex p. 2. q.
per Philoſophiam naturalem , & Aſtrologiam , quod ibi non ſint diſtincti habitus, 54 art.2. contrà
ſed ſunt diſtinctæ formæ, quia non diſtinguuntur per obiectá, ſed per principia acti- Scotum.
ua ; In corpore namq; dicitur , quod habitus in quantùm formæ diſtinguuntur per
obiecta , & in ℞. ad ſecundum quod media ſunt principia actiua . Ideò notat Caiet.
quod hæc interpratatio litteræ eſt falſa , & quod nunquàm hoc ſomniauit D. Tho.
intendit enim , quod quià ipſi habitus ſcientifici, & formæ, & habitus ſunt, vtraque
poſſunt ſortiri diſtinctiua ſcilicet propria formarum , & propria habituum , & non
quod cum diſtinctione illarum , ſtet indiſtinctio horum : vndè in propoſito vtraque
diſtinctiua concurrunt ſcilicet actiuorum, & obiectorum formalium : Terram enim
eſſe rotundam , & eſt aliud obiectum formale , & per aliud medium eſt ſcitum reſpe-
ctu Aſtrologiæ , & Philoſophiæ naturalis vt patet : nec opus eſt aſſerendo vnum ,
aſſerre ſemper aliud . Et obiectum vt obiectum non dicit cauſam effectiuam , &
proptereà non prohibetur quin diſtinguat alitèr quàm effectiuè , & re vera poteſt
diſtinguere non ſolùm effectiuè , ſed formalitèr extrinſecè tamen , & finalitèr : ha-
bitus ſunt de actibus : Idem eſt enim iudicium . Itá Caiet.

6. Adnotat Caiet. in art.4. vt diſcipuli Thomiſtæ penetrent , quomodò vna ratio
formalis obiecti ſcibilis in eſſe ſcibili , & non in eſſe rei per abſtractionem det Vni- Notab. ſextum
tatem ſpecificam athomam, & aliquando vnitatem genericam ipſi Philoſophiæ , Caiet. ex p. 2. loc.
quod actus ſciendi ipſius habitus ſcientifici ſunt duplices , quidam ſecundùm vnam, cit.
& eamdem demonſtrationem , quidam ſecundùm aliam demonſtrationem , ac Con-
cluſionem , & hi actus ſic ſe habent . quod primi ſunt omninò eiuſdem rationis vt
patet ; ſecundi autèm aliquo modo ſunt eiuſdem rationis , & aliquo modo diuerſæ ;
ſi enim ſumantur in ordine ad diuerſas ſpecies intelligibiles , à quibus fiunt , ſic cùm
ſpecies tertiæ demonſtrationis diſtinguantur ſpecie à ſpeciebus ſecundæ , etiàm
ipſi actus erunt diuerſarum rationum ; ſi verò ſumantur in ordine ad habitum ſcien-
tificum , & eius formale obiectum (puta in octo libris Phyſicorum, vel in quattuor
libris de Cœlo , & Mundo) in tali caſu ſunt vnius rationis : ſicuti , & habitus , &
obiectum ſunt vnius ſpeciei ſpecialiſſimæ ; & licet ad habitum pertineant iſti actus
vtroque modo : quià tamèn principaliter, & immediatè pertinent ad ipſum ſecundo
modo , ideò licet tolerari poſſit ſermo dicens , actus iſtos diuerſarum rationum, for-
maliter tamen dicuntur eiuſdem rationis , quando de Vnitate habitus eſt ſermo .
Itá Caiet.

7. Adnotat ſeptimo Caiet. loc. cit. quod habitus ſcientificus intrà eamdem
vnitatem ſpecificam habet duas latitudines diuerſarum rationum , intenſiuam ſci- Notab. ſeptimũ
licet , & extenſiuam reſpondentes ſupradictis actibus duplicibus , ità quod quan- Caiet. ex p. 2. loc.
titas eius intenſiua augetur ex actibus frequentatis circà idem . Idemitas verò cit.

extensiua augetur ex actibus demonstratiuis circà diuersa; & sicut in formis materialibus, calor, & latitudines eius intensiua, & extensiua non sunt tres entitates, sed vna, habens tamèn duas conditiones. Ità in habitu discurrendum est. Sic Caiet.

Notab. octauū ex 2.2.q.9. art. 2. in R. ad tertium.

8. Adnotat octauo Caiet. in 2.2. q.9. art. 2. in R. ad tertium quod Scientiæ mediæ, non dicitur à D. Tho. quod sint magis mathematicæ quàm naturales: hoc enim est falsum, absolutè loquendo, quià simpliciter omnes sunt scientiæ naturales, vt potè non abstrahentes à materia sensibili. Omnis enim scientia non abstrahens à materia sensibili est naturalis, vt patet. 6. Met. sed dicitur à D. Tho. quod sunt magis mathematicæ, vt potè eis similiores. Et de connumeratione quidèm liquet quià cum ipsa Geometria, & Aritmetica, Scientiæ mediæ numerantur intèr Artes liberales; de similitudine autèm in modo demonstrandi manifestum est, dùm mensurando, & quantificando Conclusiones monstrantur. Verùm quià medium vtrumq; sapit extremum, & scientiæ istæ ex parte formæ, ex Mathematica veniunt, & pendent: ex parte verò materiæ, Physicæ sunt: Sermones Doctorum piè interpretandi sunt, si quandò ad alterum extremum, nimis declinant. Ità Caiet.

Notabile nonū Caiet ex 2. 2. q. 162. art. p.

9. Adnotat vltimò Caiet. in 2. 2. q. 162. art. p. de peccato superbiæ confirmando prædictas Doctrinas, quod Celsitudo, quæ est obiectum superbiæ, & alterius rationis à celsitudine pro vt obiectum aliorum vitiorum scilicet Ambitionis, Inanis Gloriæ, præsumptionis, &c. Dupliciter potest poni lij alterius rationis. Vno modo tanquàm in alia materia, sicuti celsitudo vindicationis alterius rationis diceretur à celsitudine honoris. Alio modo sicut celsitudo simpliciter distinguitur formaliter à celsitudinibus concretis tali, & tali materiæ; sicuti motus simpliciter est alterius rationis à motibus applicatis, puta locali, alterationis, generationis, &c. Et quod hic sit tanta distinctio formalis, quod sufficiat ad distinctionem specificam habituum, patet ex hoc, quod specie distinguitur scientia de motu simpliciter, quæ traditur in libris Physicorum, à scientia de motu ad vbi, quæ traditur in libro Cœli, & à scientia de motu ad formam simpliciter, quæ traditur in libris de Generatione; ità quod obiectum superbiæ est celsitudo simpliciter, & non in tali, vel tali materia: præsumptio autèm ad celsitudinem operum suprà se: Ambitio ad celsitudinem honoris est. Ità Caiet.

Sentētia Caiet. asseritur cum D. Tho. ex p. post. c. 22.

10. Quo ad secundum Caietani sententia esto in Doctrinis allatis in primo loco quæstionis suprà ex varijs locis in suis Commentarijs satis euidenter appareat: attamèn in libro primo post cap. 22. vbi ex professo tractat hanc controuersiam, sic se declarat, secando scientias, quemadmodum, & res, non vt res, sed vt scibiles, & genericè, & specificè, dicit quod scibile Entis mobilis abstractum nec secundùm esse, nec secundùm rationem abstractum tamèn à materia sensibili in particulari, seù indiuiduali, diuiditur secundum plus, & minus materialitatis, & motus intrà mobilium latitudinem, quod in libris Philosophiæ Arist. clarè relucet: diuisit si quidem in mobile abstractum ab omni specie motus, & materiæ, idest in mobile simpliciter, & in mobile ad vbi, & in mobile ad formam, &c. quæ specialissima sunt in genere scibilis Physici. Ità Caiet.

Vbi addit, quià dictum est, quod scibile constat, & immaterialitate ex Intellectu, & immobilitate ex habitu scientifico: nemo ideò arbitretur nostræ intentionis esse, quod partes scientiæ naturalis distinguantur per differentias proprias scibilis, & non per differentias entis (hoc enim neq; somnio concepimus) sed docemus Thomistas, illas distingui per rationes formales ipsarum rerum, sed non quascumq; rationes formales, nec per quamcumq; rationum formalium earumdem distinctionem, sed eam

tantum

tantùm distinctionem rationum formalium ipsarum rerum, quam comitatur distinctio formalis scibilium. Intendimus enim, quod non quæcumq; entis mobilis sectio secat suas partes in scientias, sed ea tantùm, quæ fit per ens mobile independens à materia sensibili indiuiduali, quoniam hanc distinctionem, quæ se habet vt materiale (esto alias sit formale) comitatur distinctio scibilis, quæ se habet vt formalissima. Comitatur autèm simplicitèr, & absolutè, vt posterius comes est prioris. Comitatur vt prius (in genere causæ formalis) suum posterius: quoniàm quià ista entis membra, scibilium genera, & spécies intrant, ideò scientias diuersificant genere, & spiecie, & non èconuersò: quoniam scientia vt scientia respicit scibile vt scibile, sicut sensus sensibile, &c. Ità Caiet. loc. cit. post. qui dicit doctrinam D. Th. esse, & appellat ipsam secretam, subtilem, veram, & peripateticam.

Ipsum sequuntur Soncinas lib. 6. Met. q. 8. & alij antiquiores, Arauius, Bannesius, Io: à S. Th. Sotus, Complutenses, & alij. Sanchez existimat vtramq; scilicèt, & Caiet. & oppositam probabilem. Ortiz existimat, sententiam Caietani esse probabiliorem ipsa opposita.

11. Quo ad tertium sit Vnica Conclusio Caietani ex p. post. cap. 22. & ex 2. 2. loc. cit. supra: Scientia de Ente mobili simplicitèr, quæ traditur in octo libris Physicorum, distinguitur specie specialissima, seù athoma, à Scientia de Motu ad Vbi, quæ traditur in quatuor libris de Cœlo, & Mundo, & à scientia de motu ad formam simpl icitèr, quæ traditur in duobus libris de Generatione.

Conclusio Caiet. ex p. post. c. 22. cum suo fundamento probatiuo eiusdem.

12. Probatur Conclusio à Caietano in tali forma. Per diuersimodè habere immaterialitatem ex potentia Intellectiua abstrahente, & immobilitatem ex habitu scientifico, quod fundat scibile vt sic, habetur sufficientèr ratio diuidendi ipsum scibile in speciem subalternam, & in speciem specialissimam: At sic est, quod scibile vt sic Entis mobilis naturalis, quod est obiectum Philosophiæ naturalis ità se habet ergo vera Conclusio. Maior habetur in Arist. 6. Met. vbi ab ipso secatur scibile vt sic in vniuersale abstractum à materia, & motu secundum esse, & rationem; & in abstractum secundùm rationem, & non secundùm esse; & in abstractum nec secundùm esse, nec secundùm rationem tanquàm in genera distinguentia tres partes Philosophiæ scilicèt Metaphysicam, Mathematicam, & Naturalem, & licet diuidi possit in abstractum secundum esse, & rationem totalitèr, vt sunt substantiæ separatæ secundum propria sibi; & in abstractum secundum rationem, & esse cum quadam Analogia ad materialia, & immaterialia, vt Metaphysicalia: quià tamen secundum veritatem de proprijs substantiarum separatarum, non est possibilis scientia homini, vt etiàm Auerroes probat. Ideò primum membrum differt à cæteris, & genere, & specie athoma, sicut, & Corpora cholerica inter se genere, & specie distinguuntur; ponit, & etiàm secundùm, & tertium Membrum, vt genera sunt subalterna, & in diuersas species distinguuntur ex D. Tho. Diuiditur siquidem abstractum à materia secundum rationem in abstractum à continuo, quod materia quædam est, & in non abstractum ab eo, & hæc sunt specialissima, & constituunt duas scientias scilicèt Arithmeticam, & Geometriam, & hoc propter rationes formales quæ, & sub qua ipsius scibilis vt sic, quæ habent diuersam immaterialitatem, & inmobilitatem. Ità Caiet.

13. Minor probatur à Caietano ex dictis supra in secundo loco quæstionis huius, vbi diuisum ens mobile obiectum Philosophiæ per plus, & minus materialitatis, & motus intrà mobilium latitudinem, diuisit Philosophiam naturalem in scientiam de Physico auditu, in scientiam de Cœlo, & Mundo, & in scientiam de Generatione, & Corruptione, vtpotè intèr se distinctas specie athoma ad inuicem (consideretur ibi illud

lud plus, & minus de immobilitate, & immaterialitate, in quo consistit tota formalitas probationis minoris) & posteà addit: Videmus ergo clara luce, quod licet scibile hoc, scilicet, ens mobile naturalitèr conuertatur cum illo genere scilicet, ente (quià ens scibile dicit, & ly ens, & ly scibile) & licet genera subalterna scibilis conuertantur cum quibusdam generibus entis: ipsæ tamen species specialissimæ ipsius scibilis non condiuiduntur speciebus entis, sed in vna specie scibilis multæ species, multa quandoque genera entis cadunt, vt patet in hac scientia naturali; & sic manifestatum subiectum scientiæ naturalis in Physicis habet rationem formalem, diuisibilem formaliter secundum se, indiuisibilem autèm in genere scibilis, & ideò Metaphysica, & Mathematica, & Naturalis distinguuntur genere, quia rationes formales subiectorum earum in genere scibilis, genere differunt. Et ideò S. Th. pluries clamat, quod non quæcumque diuersitas rerum, aut rationum formalium causat diuersitatem scientiarum, sed tantummodo diuersitas earumdem vt scibiles sunt. Hæc Caiet. pro declaratione Minoris, & Maioris.

Primum Arg. Caiet. desumptum ex Auctoritate D. Th.

14. Quoad quartum Arguit Caiet. in p. 2. q. 54. art. 4. ex D. Th. sic. Vel D. Th. vult quod scientia Philosophiæ naturalis habens pro obiecto scibili ens naturale abstractum à materia indiuiduali tantum, sit vna scientia totalis in specie athoma; vel vult quod sit totalis in potentia ad plures scientias partiales, iuxtà diuersitatem demonstrationum, quas attingit de ente naturali mobili. Si dicatur primum iàm ruit posita Conclusio; si secundum iàm non erit vna genere, nec vna species subalterna diuidenda in plures species specialissimas, sed tot erunt scientiæ actuales in Philosophia naturali, quot sunt demonstrationes diuersæ attactæ de suo obiecto naturali, & per consequens scientia Philosophiæ naturalis in parte Physica non erit vna simplex qualitas, sed aggregatum ex pluribus qualitatibus, quod probatur ex D. Th. in p. 2. q. 54. art. 4. & in q. 16. de Verit. art. 16. ad 4. vbi dicit quod vna tota scientia comprehendit sub se diuersas scientias particulares quibus Conclusiones diuersæ cognoscuntur, & in 3. sent. dist. 14. art. 3. q. 4. vult quod scientia Animæ Christi sit vnus habitus, & tamen multæ species. Ità Caiet. Arguit.

Responsio Caiet. ad Auctoritates D. Th.

15. Respondet Caietanus negando alteram partem, ad auctoritates D. Th. de Verit. ait quod D. Th. loquitur de particularibus scientijs actualibus idest diuersis demonstrationibus diuersarum Conclusionum, ad quas secundum species intelligibiles earum se habet habitus scientiæ, vt totum ad partes potentiales scilicèt vt species subalterna ad plures species athomas sub se.

Ad illam ex 3. sent. Resp. Caiet. quantæ sit auctoritatis manifestat ipse Auctor in sua Summa scilicèt in 3. p. q. 11. art. vltimo, vbi iterum tractans eamdem quæstionem determinat oppositum.

16. Vndè, & tu Thomista, subiungit Caietanus, aduerte quod ex hoc; quod Intellectus habet singulas species secundum singulas naturas, sequitur tantùm quod habeat diuersos habitus ordinantes illas ad diuersa subiecta scibilia; non tamen quod ipsæ species sint habitus scientificus, sed sunt habitus Intellectus inchoantes habitum scientiæ, & partes eius potentiales. Si enim in Intellectu nostro essent formæ vniuersales, vt sunt in Angelis, non opporteret iuxtà scibilium species ordinare, sed vnica specie, & vnico etiàm actu sciendi in totam vnam scibilis speciem se haberet. Ità Caiet. in Resp. ad Auctoritates.

Secundũ Arg. Caiet. ex p. 2. q. 54. art. 4.

17. Arguit 2. in p. 2. q. 54. art. 4. Habitus Philosophiæ naturalis per Thomistas in parte Physica duplicitèr augetur scilicèt per actus frequentatos circa eamdem Conclusionem, & per actus circa diuersas successiuè Conclusiones. Aut ergo hoc duplici augmentationis modo acquiritur diuersa, secundum speciem entitas absoluta in

illo

illo habitu, aut eadem. Si primùm ergo ſcientia Phyſicalis de auſcultatione non eſt ſimplex qualitas, ſed aggregatum ex tot ſcientijs actualibus, & qualitatibus, quot ſunt demonſtrationes de diuerſis Concluſionibus in illis octo libris. Si ſecundum ergo ſiuè hoc, ſiuè illo modo per modos ſcibiles varios generetur, ad idem inclinabit; Sicuti Calor eiuſdem rationis, quia rem ſuſcipit, quomodocumque intendatur, ſiuè à Sole, ſiuè ab Igne in id poteſt eſſe intenſus; & tunc ſequitur, quod frequentans actus circa primam Concluſionem, acquirat, ſeù formet notitiam centeſimæ nedum in libris octo Phyſicorum, ſed etiam in libris de Genera ione, & in libris de Cęlo, & Mundo; & quod demonſtrans centeſimam Concluſionem intendat notitiam primæ vtrobique, & ſic non erit ſcibile naturale ſpecie ſubalterna, ſed athoma ſpecialiſſima.

18. Reſpondet Caiet. quod habitus ſcientiæ Phyſicæ augetur per vtroſque actus ſcilicèt circa eamdem, & circa diuerſas Concluſiones intra eamdem lineam ſcibilis formalis ſpecifici; & neutrius augmentationis terminus eſt aliqua omnino noua entitas, & per conſequens nec eiuſdem, nec diuerſæ rationis: ſed terminus eſt antiqua nouo modò ſe habens, ſecundum latitudines diuerſarum rationum. Augmentum habitus circa idem terminat ipſos habitus ſcentificos ſecundum latitudinem intenſiuam. Augmentum verò habitus circa aliud, terminat idem illud eiuſdem habitus ſecundum latitudinem extenſiuam, quam conſtat eſſe conditionem alterius rationis. Ex hoc autem quod idem habitus habet vtramq; quantitatem, non ſequitur, quod ſit compoſitus ex duabus rebus diuerſarum rationum, ſed ſolum quod habeat duas quantitates non molis, ſed perfectionis diuerſarum rationum idemtificatas realitèr ſibi. Ità Caiet.

Reſponſio Caiet. ad ſecundum Argumentum.

19. Arguunt Thomiſtæ contra Caietanum ſcilicet Lerma, Manca, & nouiſſimè intèr cæteros Botti ſic. Vnitas ſpecifica ſcientiarum ab vnitate obiecti non in eſſe entis, ſed in eſſe ſcibilis eſt deſumenda: ſed obiectum Philoſophiæ quo ad omnes ſuas partes, licet in eſſe entis non ſit formalitèr idem, in eſſe tamèn ſcibilis eſt eiuſdē ſpeciei athomæ, ergo Philoſophia quo ad omnes ſuas partes eſt vna in ſpecie athoma. Maior patet ex ipſo Caietano. Minor probatur, quià omnia entia naturalia, ſeù mobilia attinguntur a Philoſophia ſub eodem principio entis mobilis, & ſub eadem abſtractione à materia ſingulari poſitiua, & formali, dicimus poſitiuam, & formalem, quià eſto ipſæ partes Philoſophiæ naturalis concedantur habere diuerſam abſtractionem negatiuam, & materialem: quià tamen ab iſta non deſumitur vnitas ſpecifica ſcientiarum, benè tamèn à poſitiua formali, ideò vna eſt ſpecie athoma ipſa Philoſopia. v. g. Abſtractio obiecti librorum de Cęlo à qualitatibus ſenſibilibus contrarij, quas concernit obiectum librorum de Generatione, non eſt abſtractio poſitiua, & formalis, ſed negatiua, & materialis; nàm ideò ab illis abſtrahit, quià in Cęlis qualitates illæ reuera non reperiuntur, quod ſi reperirentur, vtiq; libri de Cęlo illas conſiderarent; & ideò libri de Cęlo, & Mundo, & libri de Generatione, & Corruptione non ſunt diſtinctæ ſcientiæ: benè tamen Arithmetica, & Geometria, quia abſtractio obiecti Arithmeticæ à quantitate continua, quæ eſt obiectum Geometriæ non eſt abſtractio negatiua, & materialis, ſed poſitiua, & formalis, quià reuera quantitas continua reperitur in diſcreta, cum ſit materia, ex qua componitur numerus, & nihilominus Arithmetica ab illa poſitiuè abſtrahit, illamq; non conſiderat, quià eſt extra ſuum obiectum formale. Et inſuper Arithmetica, & Geometria in ratione ſcientiæ ſpecie diſtinguuntur, quià licet habeant eamdem abſtractionem à materia: quià tamèn non habent idem medium, ſeù idem principium, cum primum principium Arithmeticæ ſit Vnitas, & Geometriæ punctum, quæ duo intèr ſe ſunt primò diuerſa,

Tertium Arg. contrariorū Thomiſtarum contrà rationem Caiet.

sa, ideò in ratione scientiæ specie distinguuntur: Ratio enim formalis constitutiua scientiæ non est pura abstractio à materia, sed est illa connotans idem medium, seù idem principium; & cum Philosophia quo ad omnes partes vtatur eodem principio Entis mobilis, & gaudent eadem abstractione, vera erit consequentia deducta in Argumento ex Maiori, & Minori modo probata, ergo est vna in specie athoma.

Responsio ad Arg. cum Instantia aduersariorum.

20. Nec valet dicere, quod diuersa abstractio positiua est in obiecto librorum de Cœlo, & in obiecto librorum de generatione; Si quidem istud concernit qualitates sensibiles contrarias, quas non concernit, sed ab illis abstrahit obiectum librorum de Cœlo, & per consequens in ratione scientiæ specificè distinguuntur; Non valet, inquam, quia si aliquid probaret, probaret vtique, quod etiam in tractatu librorum de Anima sint diuersæ scientiæ distinguendæ, cùm ibi sint diuersa formalitèr obiecta, si quidem in illis agitur de Anima rationali, quæ abstrahit ab aliqua materia sensibili, à qua non abstrahit Anima, vegetatiua, nec sensitiua, hoc autem Caietanus non admittit, ergo cum illa maior, vel minor abstractio sit intrà eamdem abstractionem à materia singulari, quæ est formalis abstractio obiecti Philosophiæ, non tollet vnitatem scientiæ.

21. Respondet Caietanus, vel melius dicam, iàm respondit Caietanus per totam quæstionem resolutam, ab ipso in lib. 1. post. cap. 22. ex quo loco licèt à nobis non sint supra in explicatione tituli allatæ omnes eius Doctrinæ; hoc non sine mysterio fit; tùm ad euitandam nimiam prolixitatem; tùm etiam quia mens nostra præcipua est in istis octo libris, reducere in vnum in singulis quæstionibus Physicalibus, omnes illas Doctrinas Caiet. quas habet dispersas in suis Commentarijs, & alibi; ex eo maximè quià in Respondendo ad Argumenta, ne bis repetantur, afferuntur suo loco.

Responsio Caiet ad Arg contrariorum Thomistarum ex Doctrina tradita in lib. post. cap. 22. & alibi.

22. Respondet igitur Caietanus ex cap. 22. post. negando Maiorem, & Minorem Argumenti. Et Maior esto sit vera, quod vnitas scientiarum sit desumenda ab Vnitate obiecti in esse scibilis præcipuè, vt à ratione formali sub qua ex parte obiecti, secundum quod in subiecto est scientiæ modus, quo tale subiectum cadit sub consideratione talis scientiæ, qui modus vocatur ratio formalis sub qua, qui est veluti quoddam lumen, sub quo manifestantur res ad talem scientiam pertinentes; & quià tales modi nihil aliud sunt, quàm differentiæ propriæ scibilis, ideò dicitur, quod secundum eorum distinctionem attenditur, distinctio scientiarum, (& quantum ad hoc licet vera sit Maior:) falsa tamen est quantum ad aliam partem quod non desumenda sit etiam ab vnitate obiecti in esse entis; cum perpetuus sit Caiet. in defendendo quod duplex est ratio formalis subiecti cuiuscumque scientiæ scilicèt quæ, & sub qua, vel sub alijs verbis, rei vt res est, & eius vt obiectum est, vel ex parte obiecti, & ex parte potentiæ; & quod scientiæ distinguuntur ex ratione formali sub qua: passiones verò subiecti fluunt ex ratione formali quæ, & propter eamdem causam vocantur rationes formales rerum, vt obiecta scientiarum sunt, & rationes formales ex parte potentiæ, seù habitus scientifici. En quàm sit falsa Maior illa Argumenti allata secundum doctrinam Ciet. quæ vt cum fundamento tueatur, lege suam quæstionem loc. cit. post. & ad notationes supra.

Ad Minorem dicitur ex eodem Caiet. quod totus est in suis ibi doctrinis ad probandum ex D. Th. quod scibile Philosophiæ naturalis quo ad omnes suas partes constat ex diuersa immaterialitate formali, & positiua, & ex Intellectu, & ex habitu scientifico, vt patet legenti D. Th. & doctrinas Caiet. allatas in adnotationibus, & per consequens quod sit ibi in omnibus suis partibus diuersum medium, seù diuersum principium. Vndè Argumentum supra, vertendo Maiorem, & Minorem, valebit pro Conclusione Caietani.

23. Et

23. Et ad id quod in Argumento dicitur, quod illa Responsio probaret etiàm quod in libris de Anima essent diuersæ scientiæ, quià scibile de Anima rationali abstrahit ab aliqua materia sensibili, à qua non abstrahit Anima vegetatiua, & sensitiua; Respondet Caiet. quod scibile de Anima rationali, & sensitiua, &c. conuenit non solum cum abstractione à materia sensibili, sed conuenit sub eodem lumine, & principio scilicèt in eadem Ratione formali sub qua, quæ est esse, seù quod quid est Animæ, vt Animaest scilicèt Anima est actus corporis Physici, &c. vel Anima est id quo viuimus, mouemur, &c. & ideò non est mirùm si ibi est vnitas speciei athomæ, quæ non potest esse in alijs partibus Philosophiæ naturalis scilicèt in octo istis libris, in libris de Cælo, & Mundo, in libris de Generatione, & Curruptione; cum ibi sit diuersum lumen, seù principium, quod dicitur ratio formalis sub qua à Caiet. & insuper diuersa immaterialitas sufficiens ex parte potentiæ, & diuersa immobilitas ex parte habitus scientifici, vt benè, & optimè confirmat idem Caiet. in vltima adnotatione supra ex 2. 2. q. 162. art. 2. de obiecto Superbiæ, & in post. loc. cit. per totum. *Responsio Caietani ad instantiam Aduersariorum Thomistarum.*

24. Arguit vltimo Caiet. in 1. p. q. 1. art. 7. ex Scoto in prologo q. 3. sic. Virtualis continentia omnium veritatum pertinentium ad aliquam scientiam, est conditio constituens rationem subiecti formalis in scientia, ergo tot sunt scientiæ secundum speciem, quot sunt species rerum omninò disparatæ (quod dico proptèr species subordinatas puta subiectum, & passionem) & quot sunt rationes formales rerum, quarum vna non continetur virtualitèr in alia, & sic erit alia scientia de Animali, vt sic, ad quam spectat considerare proprias animalis passiones tantum. Probatur hoc, quià solæ ipsæ virtualitèr in animali clauduntur; & erit alia scientia de Boue in quantùm Bos, & alia de Leone in quantùm Leo, &c. Antecedens est Scoti quod desumpsit ex D. Thoma. *Vltimum Argum. Caiet. in 1. p. q. 1. art. 7. ex Scoti opinione.*

25. Resp. Caiet. negando antecedens, quià est opinio Scoti; D Th. tenens scientias secari non secundum quod secantur res absolutè, sed pro vt sunt scibiles tenet, quod subiectum formale scientiæ exigit duas conditiones, prima quod ratione ipsius omnia attingantur ab illa scientia, secunda quod virtualitèr contineat totam scientiam, non vt causa in se ipso sufficiens, vt Scotus voluit, sed in se ipso quidem sumptum nedum sufficiens, vt causa prima idest in suo ordine, & non simplicitèr, sed etiàm pro vt in se, & in participantibus ipsum, aut quomodolibet attributis ad ipsum, sit sufficiens simplicitèr. Hinc ex D. Th. dicimus, quod quia ens mobile in istis octo libris est subiectum in se, & in participantibus continens virtualitèr, & adæquatè vt tota causa totum habitum Philosophiæ in octo libris, & non partem, sicut Sol continet virtualitèr totum hominem, & non partem, vt prima tamen sui superior Causa; ideò ex D. Th. dicitur, quod dat vnitatem specificam, & athomam istis octo libris, & non sunt tot scientiæ, quot sunt demonstrationis in eis. *Responsio Caiet. ex eodem loco cit. declarata in fine quæstionis sequentis per inductionem ab eodem Caiet.*

QVÆSTIO SECVNDA PROÆMIALIS

Vtrùm Ens mobile sit subiectum in Philosophia

Ex Opusculis Caietani Tom. 3. Tract. 4. Quæst. Vnica.

26. EMinentissimus Caietanus ad instantiam sui Amantissimi Religiosi Fratris Vincentij (vt in fine huius opusculi loc. cit. fatetur) hanc quæstionem solita sui Ingenij Eminentia resoluit in Conuentu Sanctæ Mariæ Gratiarum in Mediolani suburbio. 1519. die sexta Mensis Nouembris. Et ideò nos iuxtà consuetum ex eodem opusculo ordinatim quatuor præstabimus, & primo.

Primum notabile Caiet. circà ly ens.

27. Adnotat Caietanus pro tituli dilucidatione, circà ly ens, quod dupliciter nomine entis vti consueuimus, primo pro omni eo, quod habet esse quocumque modo, & sic iu hoc loco non capitur; secundo pro eo, quod propriè esse dicitur: hoc autèm in ijs, quæ fiunt est id quod propriè fit: eius siquidem est esse propriè, cuius est fieri. Id autèm, quod propriè fit vt 7. Met. tex. comment. 28. patet, est compositùm, siuè substantiale, vt homo; siuè accidentale vt homo musicus. Et sic sumitur in proposito. Vndè ad hoc quod aliquid sit pars subiectiua entis mobilis (quod subiectum Philosophiæ dicimus) exigitur, & quod propriè sit ens, & quod sit mutabile physica mutatione. Et propterea nec materia prima, nec forma substantialis, aut accidentalis ens mobile est: sed entis mobilis principia hæc omnia sunt. Est ergo ens mobile communius, quàm sit corpus mobile, & quàm substantia naturalis, siuè sensibilis: quià continet sub se omnia materialia composita, quæ solum mutabilia sunt, siuè sint substantialia, siuè accidentalia, siuè secundum formam absoluta, siuè secundum vbi. Et est ens mobile abstractius quid quocumque prædictorum, pro quanto ens aliquem gradum concomitans prius est eo, dato etiàm, quod ad Composita accidentalia se non extenderet. Ità Caiet.

Secundùm notabile Caiet. circà ly mobile cum triplici distinctione.

28. Adnotat secundo Caietanus circa ly mobile, quod opus est triplici distinctione. Prima est quod cùm mobile motum respiciat, sicut motus sumitur dupliciter, scilicèt propriè vt distinguitur contrà mutationem in quinto Phys. qui ad tria tantùm genera esse dicitur; & secundo communitèr, vt continet in se, & motum propriè dictum, & mutationem scilicèt generationem, & corruptionem. Ità mobile eodem modo dupliciter sumi potest; in hac quæstione sumitur communiter prout idem est quod mutabile physica mutatione. Secunda distinctio est, quod mobile potest dici dupliciter, scilicèt subiectiuè, quod scilicèt est subiectum motus, & terminatiuè, quod scilicèt est terminus alicuius mutationis. Et quamuis prima facie mobile sonet subiectum motus, si tamen restringendum est in proposito, magis tenendum est terminatiuè, quàm subiectiuè, vt ex dicendis apparebit: Iudicio tamen meo indistinctè tenendum est, non ea ratione, vt commune ad omnia quæcumque mobilia, contineatque vt partes subiectiuas materiam, formam, &c. quià hoc est contrà D. Th. in p. Phys. comment. 6. vbi in diuisione litteræ expressè dicit, quod in p. lib. Phys. agitur de principijs intrinsecis entis mobilis scilicèt de materia, & forma: ex hoc apertè insinuans, ens mobile, quod est subiectum Philosophiæ non esse totum vniuersale respectu materiæ, & formæ, sed totum integrale, seù essentiale. Sed ea potiùs ratione vt scilicèt illa notissima sui acceptio supponatur, quam ex sensu supponere opportet: perhibent enim nobis sensus, mobilia esse, an verò subie-

ctiuè,

ctiuè, an terminatiuè muentur ea, quæ moueri videmus, ratione magis discernitur, quàm quod ex sensu habeatur. Tertia distinctio est, quod mobile est nomen æquiuocum ad aptitudinem, ad motum, & ad fundamentum illius aptitudinis: sicut si risibile significaret aptitudinem ad ridendum, & rationalitatem, quæ est eius fundamentum. Quid autèm mobile in proposito significet, difficile est hac sola quæstione elucidare. Ità Caietanus. At dùm explicatur ab ipso ibi, quod ex quod quid est subiecti, & quid est passionis vna ratio formalis in aliqua scientia, constitui non potest, vt patet legenti Caietanum ibi; subiungit immediatè. Idcircò puto melius tenere, quod mobile in proposito non significat ipsam aptitudinem ad motum, si est Passio, sed eius fundamentum: cum enim ista aptitudo, quam mobilitatis nomen sonat quibusdam entibus repugnet scilicèt separatis à materia, & quibusdam non scilicèt materialibus. Et de entibus materialibus puta Homine, & Boue non reputetur prædicari substantialitèr, consequens est, quod in eis aliquid præcedat, ex quo ipsa materialia hanc aptitudinem sortiantur, & hoc est ipsum fundamentum mobilitatis. Ità Caiet. & tandèm in fine concludit Caiet. quidquid autèm de hoc sit, an corruptibilitas, quæ est quædam species mobilitatis, imò ipsa mobilitas, secundum illud octo Phys. (in omni enim motu corruptio est) an, inquam, sit prædicatum substantiale, vel sit in substantia idest sequatur eam: certum est, quod mobilitas, quæ est ratio formalis subiecti Physicæ, est, non passio, sed quod quid erat esse entium naturalium, & preuenit naturalitatem, & mobilitatem passionum eorum, si concedatur, illam quidem, quià relatiua proprietas est, istam verò quia Passio dicitur. Ità Caiet.

29. Adnotat 3. Caiet. circà ly subiectum, quod subiectum adequatum scientię resoluentis suas Conclusiones in principia per se nota, qualis est Philosophia naturalis, opportet, & quod sit subiectum primarum passionum, ac per hoc, quod sit principium essendi, & consequentèr cognoscendi secundum naturam cæterorum, & quod sit principium cognitionis in nobis, siuè ad latentes proprietates, & occulta principia à posteriori, siuè à priori procedatur: quoniam subiecti cognitio omnibus præsupponitur. Et vt dicit Auerr. in 2. Phys. nec à priori, nec à posteriori probari potest in scientia: & innatum est nobis, quod opportet sempèr à notioribus procedere vt in 1. Phys. dicitur Comment. 4. Et propterea D. Th. dicit, quod ad audientes probatur omne mobile esse corpus, insinuans per hoc ordinem magis cognitionis, quàm rei. Ità Caiet. qui probat suam Conclusionem, vt videbimus, & ratione procedente ex ordine naturæ, & ratione procedente ex nostro ordine cognitionis. *Tertium notab. Caiet. circà ly subiectum.*

30. Adnotat 4. Caiet. quod quamuis aliud sit omnem mobilitatem esse coniunctam corpori, & aliud cognosci omnem mobilitatem esse coniunctam corpori: ad hoc tamen quod corpus mobile ponatur ab alijs subiectum adæquatum, nihil refert quid horum deficiat: quoniam sicut deficiente coniunctione illa secundum rem, corpus mobile prohiberetur ex parte rei esse subiectum, ità deficiente coniunctione illa in esse cognito, ex parte cognitionis, quæ præhaberi debet impeditur, quod sit subiectum: quoniam omnia hæc sicuti in naturæ ordine præexigunt de omni, ità, & in cognitionis ordine. Vndè si subiectum scientiæ naturalis est corpus mobile, opportet in hac scientia, quæ de mobili in eo, quod mobile tractat supponere mobile, quod vt formale se habet, coniunctum esse corpori per se, vel vt passionem, vel vt rationem formalem. Neutrum autèm horum fieri potest, nisi supponatur, non quod aliquod, sed quod omne mobili corpori est coniunctum: imaginari enim non potest vt propria passio, aut ratio formalis credatur alicuius esse, id quod communius illo dubitatur. Ità Caiet. *Quartum notabile Caiet. circà ly mobilitatem.*

Caiet. inuehit contrà illos qui confundunt naturalia cum innaturalibus.

31. Quo ad 2. Caiet. contrà illos, qui loquuntur de subiecto adæquato Philosophiæ naturalis innaturalitèr, ità inuehit. Isti à nostra Philosophia resecandi sunt. Supponunt enim intelligentias mobiles esse, & Philosophiam naturalem infrà sensibilia non arctantes, commune aliquid sensibilibus, & separatis à materia quatenus mobilia sunt, subiectum Philosophiæ dicunt: operiuntque errorem suum Theologicæ pietatis nomine. Contra hos non opportet disputare naturalem Philosophum, apud quem indubitatum est principium, quod substantiæ abstractæ sunt immobiles, & quod terminus considerationis Philosophiæ est Anima humana partim abstracta, partim non, vt dicitur in 2. Phys. tex. 26. & vltimo: potest tamèn naturalis attingere de intelligentijs, & declarare quià sunt vt Auuerroes dicit 1. Phys. comment. vltimo. Quanta tamen sit quorumdam horam temeritas, silentio inuoluendum non est, cùm præsumunt propriam opinionem Theologiæ sententiam asserere, sicq; Theologicæ facultatis expertibus, in Philosophia tamen nutritis, deridendi Theologiam occasionem præbent. Non est enim in Sacra Scriptura, nec ex Theologis Sanctis ab Ecclesia approbatis traditum, quod Angeli sic mouerentùr, vt motus continui subiectum sint: sed potiùs oppositum, vt in Theologia discussum est à Sanctis. Vndè si peripateticos arguendos censent, glorientur ex officinis alijs, hos se errores deprehendere, non ex Theologia. His ergo omissis ad naturales transeamus, quorum opinio non est vna, dùm alij Mobile, alij Ens, alij vtrumque ex subiecto Physicæ resecandum putant. Et illi quidem, qui neutrius nomen recipiunt secundo, & quarto Argumento infrà in oppositum mouentur: & sensibilem, seù naturalem substantiam fore censent. Qui vero ens tantùm abijciunt, corpus mobile subiectum Philosophiæ ponunt: & hi adhuc diuisi sunt, dùm quidam mobile passionem significare concedunt: quidam autem rationem corporis Physici supponere contendunt; mobile autem tantùm abijcientes, sunt, qui ens naturale, subiectum dicunt.

Opiniones naturalium recitantur à Caiet. de subiecto Philosophiæ naturalis.

Sunt ergo quinque opiniones naturalitèr loquentium. 1. Thomistarum tenentium ens mobile. 2. Albertistarùm dicentium corpus mobile. 3. Modernorum multorum dicentium substantiam naturalem, seù sensibilem. 4. quorundam etiàm modernorum asserentium corpus Physicum, seù naturale. 5. Eorum, qui ens naturale subiectum credunt. Cùm igitur in re mutabili considerari possit, & quod sit corpus mutabile, & quod sit substantia mutabilis, & quod sit ens mutabile, D. Thomæ sententia est, naturalia rationem subiecti Philosophiæ naturalis induere primò, non quatenùs sunt corpora mutabilia, aut substantiæ mutabiles, sed quatenus sunt entia mutabilia: ità quod ens mobile licet complexionem nominum contineat, incomplexum tamen, & per se vnum quod quid est significat, sicut ens per se. Quemadmodum enim diuiso ente in per se, & in alio, si simplicibus vocabulis careremus substantiam ens per se nominaremus, & accidens ens in alio, & tamen vnam rationem formalem significaremus non aggregatam ex pluribus. Ità diuiso ente in transmutabile, & in intransmutabile, carentes simplici vocabulo, ens transmutabile, seù mobile vocamus alterum membrum, quod vnius quidditatis est, esse Philosophiæ naturalis subiectum adæquatum illud dicimus. Ità Caiet. qui probat hanc sententiam D. Th. ex Arist. in 3 Phys. vbi in diffinitione motus non posuit corpus, aut substantiam, sed ens in potentia secundum quod in potentia, quod idem est, ac ens mobile ex 3. Phys. tex. 6. & 9. & hoc ponitur in diffinitione primorum accidentium naturalium scilicet motus, & in 7. Met. tex. 15. dicitur illud verè esse subiectum Philosophiæ, quod ponitur in diffinitione primorum, &c. Et hoc idem probat Caiet. ex Arist. 1. Phys. tex. 11. vbi supponendum dicitur in Philosophia omnia, aut quædam moueri, & non omnia, aut quædam corpora, &c. Hoc idem probat Caiet. auctoritate Auuerrois, qui

Sententia D. Th. recitatur à Caiet. & explicatur.

Auctoritates Arist. & Auuerrois recitantur à Caiet. pro sententia Thomistarum.

qui licet non sollicitùs de vocabulis in tertio Met. dixerit subiectum Philosophiæ esse ens mobile, & in 12. corpus mobile, & in prohæmio Phys. res sensibiles nominauerit: attamen ponderando sensum Auctoris, in secundo Phys. expressè dixit subiectum Physicæ esse naturam, & principia naturalia cùm sint communia omnibus rebus naturalibus, & vt quid commune corpori, & alijs de quibus considerat naturalis. Et ideò Arist. in hoc libro non diffinivit corpus, neq; alia de quibus considerat naturalis, sed hoc facit in primo Cœli, & Mundi, vbi à diffinitione corporis mobilis incæpit, vt patet in tex. Comment. 2. Ità Caiet.

32. Quo ad tertium prima Conclusio Caietani est sic posita. Ens mobile pro vt quid vnum significat est adæquatum Philosophiæ subiectum, non autem significatum Corporis mobilis, vel substantiæ mobilis, seu naturalis, seù sensibilis. *Prima petitio Caiet. de Ente mobili subiecto.*

Probat Caietanus suam Conclusionem primo quo ad omnes partes simul sic. Adæquatum subiectum primarum passionum naturalium est adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis: sed ens mobile, & non substantia, nec Corpus naturale, seù mobile est adæquatum subiectum primarum passionum naturalium ergo, &c. Maior est per se nota. Minor probatur accipiendo transmutabilitatem, seù quod idem est mutabilitatem pro prima passione Physica, vel saltèm pro vna de primis, aut eis æquiualente, vt ab omnibus supponitur, stante hoc supposito sic probatur minor. Adæquatum subiectum transmutabilitatis habet materiam, & formam, & priuationem pro adæquatis principijs: sed tantùm ens mobile hæc habet pro adæquatis principijs, ergo nihil aliud ab ente mobili est subiectum adæquatum transmutabilitatis, & consequenter primarum passionum naturalium, quod erat probandum. Maior huius prosyllogismi est ex eo euidens, quod opportet ista tria in omni materia esse adæquata sibi inuicem scilicet passionem, subiectum, & propria passionis principia; vt patet de risibilitate, & homine, & anima rationali: constat autèm ex primo Phys. per longum processum, transmutabilitatis prima principia esse, materiam, formam, & priuationem: opportet igitur eius, ad quod tanquàm ad adæquatum subiectum primo sequitur transmutabilitas, esse adæquata principia materiam formam, & priuationem. Minor patet ex his, quæ in 12. Met. à tex. 19. vsq; ad tex. 29. dicuntur, scilicet quod materia, forma, priuatio ad genus substantiæ non arctantur: sed materia, forma, & priuatio generis substantiæ sunt principia propria substantiæ mutabilis: & materia, forma, & priuatio in genere quantitatis sunt principia quanti mutabilis; & itidem hæc tria in genere qualitatis sunt principia propria qualis mutabilis. Ità Caiet.

33. Respondetur ab Aduersarijs, quod sicut principia propria substantiæ continent alia propria cæterorum generum, sic substantia mutabilis continet omne quantum, & quale mobile; & transmutabilitas etiàm substantiæ omnem aliam: qua proptèr licet materia, & forma, & priuatio excedant substantiam mobilem formalitèr, non tamèn virtualitèr, & ideo substantia mobilis erit obiectum &c. *Instantia contrà rationem Caiet.*

34. Caietanus Resp. primo quod licet hoc dictum sit subtilitèr, vim tamèn rationis non euacuat propter duo. Et primo falsum est assumptum. Esto enim in 12. Met. verum sit quod per se principia essendi in genere substantiæ scilicet, & materia, & forma sint causæ, & principia in alijs generibus scilicet materiæ, & formæ in quantitate, & qualitate &c. Veritati tamèn aduersatur, quod per se principia transmutabilitatis substantialis sint principia principiorum, &c. in alijs generibus. Priuatio enim in genere substantiæ, quæ est per se principium non substantiæ, sed transmutationis substantialis non est vniuersalitèr, & consequentèr, nec per se principium per se priuationis quæ est principium transmutationis accidentalis, vt in corpore- *Resp. Caiet ad Instantiam.*

pore cœlesti patet: vbi Ens mobile secundum locum habet omnia propria principia scilicet materiam, formam, & priuationem; Cœlum autem substantialitèr non habet nisi duo principia, quæ sunt per se essendi principia, siuè ibi sit materia, quæ est pura potentia, siuè simplex corporeitas pro materia, & intelligentia, & forma: nullo enim modo est ens substantialitèr mobile.

Secunda Resp. Caiet.

35. Nec secundo euacuat vim rationis; adhuc concessa illa inclusione virtuali in Responsione insinuata, adæquatum tamen subiectum transmutabilitatis,& similitèr adæquatum principiatum ex materia, & forma, & priuatione, esset non substantia mobilis sed ens mobile: quoniam quando aliqua proprietas vniuersalis secundum prædicationem habet subiectum adæquatum secundum prædicationem in quo reperitur causa, secundum quam inest quibuscumq; proprietas illa, illud tale est eius subiectum secundum quod ipsum. Nec est requirendum pro primo subiecto illius, id ad quod per viam resolutionis proprietas illa, & eius principia reducuntur: alioquin periret doctrina tradita in lib. post.c.de Vniuersali. Docemur enim ibi sistere, quandò adæquatum subiectum secundum prædicationem inuenimus, & causam in eo, per quam sibi cæterisq; passio illa inest. Nulla etiàm posset poni proprietas communis alicui analogo ad substantiam, & accidentia: cum accidentia, & eorum proprietates, & principia in substantijs virtualitèr includantur. Nisi ergò velimus ab vti vocabulis; & rationibus eorum, dicemus sic. Quod est in se subiectum adæquatum transmutabilitatis in se ipso adæquarè claudit propria principia transmutabilitatis: sed nec substantia mobilis, nec corpus mobile claudit in se illa: quoniam propria principia transmutabilitatis vniuersalis, seù in communi scilicet materia, forma, & priuatio in communi genus substantiæ transcendunt, enti autèm mobili adequantur: quidquid enim ex materia forma, & priuatione constat, ens mutabile est, & æconuerso; eo quod priuatio machinatur ad malum; ergò ens mobile erit proprium, & primum mobilitatis subiectum. Ita Caiet.

Ratio Caiet. negans subiectum corpus mobile.

36. Secunda pars suæ Conclusionis scilicet quod Corpus mobile non sit subiectum adæquatum probatur à Caiet. ratione syllogizata varijs formis vt patet legenti opusculum, hic affertur vna tantùm, quæ est in tali forma. Nullum coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in aliqua scientia, est subiectum adæquatum illius: sed corpus mobile est coniunctum cuius de omni coniunctio probatur in scientia Philosophiæ naturalis ergò vera secunda pars.

Maior iàm patet ex eo quod omne coniunctum, quod ponitur adæquatum subiectum supponitur, & per se coniunctum, saltem ex parte formalis, & coextensum rationi formali adæquanti scientiam: sed cuius coniunctio dubitatur de omni, non supponitur coniunctum per se, nec coextensum rationi formali ergò. Minor ex 6. Phys. vbi probatur vniuersalis coniunctio mobilis cum corpore, & in 2. Phys. & in primo de Cœlo indè habetur vniuersalis coniunctio corporis cum mobili. Ità Caiet.

Resp. opinantium corpus mobile esse subiectum.

37. Resp. Aduersarij, non est verum quod in 6. Phys. probetur omne mobile esse corpus: probatur tantùm in tex. 31. omne mobile esse diuisibile. Constat autèm quod si probatur passio alicuius de mobili, non ideò probatur ratio formalis subiecti illius passionis: sic se habent diuisibilitas, & corporeitas, vt patet ergò, &c.

Fuga data ipsis à Caiet.

38 Caietanus fugat hanc Resp. sic. Non cadit in Intellectu humano, quod aliquid supponatur esse corpus, de quo dubitetur esse diuisibile, nisi apud antiquos ponentes corpora indiuisibilia: quia diuisibilitas ipsa sic comes est corporeitatis, & in esse, & in cognosci, vt prius absq; posteriori nunquàm cognoscatur: experimur enim nos, non alitèr cognoscere, aut supponere corpus, nisi vt quantum quoddam quantitate molis: ideò si in Philosophia non supponatur, omne mobile esse diuisibile, à

for-

fortiori supponi non potest esse corpus: quià coniunctio mobilis cum corporeitate; dùm dubitatur, cum diuisibilitate non potest cognosci nisi ratione, aut sensu, ex sensu autèm constat quod non habetur: ratio autèm ad illam non inuenitur. Hinc Peripatetici omnes intelligunt ibi in 6. Phys.& omne corpus, esse mobile, & omne corpus esse diuisibile, vtramq; hanc propositionem, indistinctè concludi necessario per illam demonstrationem. Et Auerroes in primo Cœli absolutè dicit comm.V.quod in 6. Phys. probatum est, quod omne mobile est corpus. Ità Caiet.

39. Caiet. probat deindè tertiam partem suæ conclusionis scilicet quod nec substantia naturalis, seù mobilis sit subiectum, in tali forma.

Ratio Caiet. negans substantiam mobilem esse subiectum.

Ome enim naturale, aut mobile, esse substantiam, cùm opporteat supponi, aut haberetur ex sensibus, aut ex naturali Philosophia, aut ex Metaphysica. Ex sensu quidem non habetur, ex naturali autèm Philosophia si haberetur, concluderet hoc non posse supponi in ipsa: si autèm à Met. tractatur vt dicit Auuerr. 2. Phys. Comment. 4. hoc etiàm concludit illud non posse esse subiectum in Philosophia naturali, quæ scientia est ex se euidens absq; Metaphysica, habet enim subiectum, & principia propria ex sensibus per se nota,& non accipit ea positione: quamuis à Met. defendi habeant, si impugnentur vt in p. Phys. tex. comm.12. dicitur ergò nec substantia mobilis, seù naturalis po est poni subiectum adæquatum Philosophiæ naturalis, sed omninò erit ipsum Ens mobile. Ità Caiet.

40. Secunda Conclusio ponitur à Caiet.sic. Per Ens mobile conuenientius significatur ratio formalis subiecti Philosophiæ naturalis, & non per substantiam mobilem, nec per corpus mobile.

Secunda positio Caiet. de significato Entis mobilis quod est vera ratio formalis subiecti.

Probatur à Caietano sic. Mobilis vocabulum in primis conuenientius sumitur, quàm sensibilis: quoniam admisso ente sensibili, ad huc non est Philosophus naturalis liber à Parmenidis, & Melissi inuentione, qui concedebant ens sensibile, & negabant mobile; supposito autèm ente mobili Philosophiæ principia inconcussa manent. Similitèr conuenientius est quam naturalis nomen; tùm quia redit idèm inconueniens: supposito enim ente naturali, ad huc naturalis Philosophus liber non incedit, nisi mobile addat, vt Arist. testatur in p. Phys. tex. 11. contrà Parmenidem, & Melissum concedentes ens naturale; & cum motus naturam diffiniat, quod clarè significatur per ens mobile, obscurè importatur per ens naturale vndè si declarandum est, ad motum opportet venire. Tum quia nominibus vtendum est vt plures 2. Top. vsitatissimum autèm est naturæ nomen ad cuiuscumq; rei quod quid est, & naturale ad omne non artificiale, siuè de genere mobilium siuè non. Et idcircò si ens naturale supponeretur; subiectum in Philosophia naturali intelligeretur ens non artificiale, quod est falsum. Et sic inficiationi locum daret vocabuli æquiuocatio quod si distinguendum esset, & ens naturale idest habens in se principium motus supponendum, cur non potiùs absq; glosa, & distinctione ens mobile clarius omnibus prædictis exprimendo ab initio? præsertim quod principium secundi Physicorum anticipandum esset, vt glosa illa intelligeretur. En is autem nomen, quod clarius pateat, manifestatur ex dictis vt supra allatis, ergò vera secunda Conclusio. Ità Caiet.

41. Quo ad quartum Arguit Caiet. primo sic. Aut ens mobile significat substantiam mobilem, aut accidens mobile, aut tertium commune vtrique. Si primum cum substantia mobilis, & corpus mobile sint idem conuertibilitèr, sequitur, quod poneretur secundum rem corpus mobile subiectum Philosophiæ, quod est contrà tenentes, mobile ens; Si secundum, hoc est manifestè contrà omnes, & contrà veritatem; si tertium sequeretur tunc, quod ens diceret tertium conceptum abstrahibilem

Argumentum primum Caiet.

lem à substan ia, & accidente, quod est contrà Thomistas.

Resp. Caiet. ad Argumentum. 42. Resp. Caiet. quod ens mobile est commune vtrique, ad instantiam distinguo ly diceret tertium conceptum abstrahibilem à substantia, & accidente secundum vnam rationem formalem simplicitèr, nego; secundum vnam rationem formalem analogicè communem omnibus entibus mobilibus scilicet, & substantijs, & quantis, & qualibus, &c. concedo ergò, &c. negatur consequentia, quia ens significare re tertium quid commune secundum analogiam substantiæ, & accidenti non est contrà D. Tho. nisi secundum ignorantes analogiæ naturam. Vndè nullum inconueniens est, ens mobile commune, esse secundum rationem formalem non vnam simplicitèr, sed vnam analogicè entibus mobilibus omnibus scilicet substantijs, quantis, qualibus, &c. quamuis etiam ratio ad oppositum non concludat contrà tenentes, ens mobile extrà substantiam non inueniri: quià homo ipse in quantum est ens mobile aliud est à se ipso, in quantùm est substantia mobilis, & propterea non sequeretur, ergò ponendo ens mobile subiectum, ponitur substantia, aut corpus mobile, quoniam differunt formali ratione. Ità Caiet.

Secundum Argumentū Caiet. 43. Arguit secundo Caiet. Subiectum scientiæ debet esse vnius rationis formalis: alioquin non haberet quodquid est, & consequentèr nec esset principium scientiæ quià vt dicitur in primo de Anima tex. 11. Principium omnis demonstrationis est quodquid est, nec haberet aliquam per se primo passionem: quia ei quod non est in se natura vna, quidquid per se vnum conuenit, conuenit ratione partium, & consequentèr nulla passio conuenit ei primo: ens autem mobile dicit aggregatum ex duabus rationibus formalibus ergò non est subiectum.

Resp. ad Argumentum instata ab Aduersarijs. 44. Si dicatur, quod illa duo ponuntur ad circum loquendum vnam rationem formalem, quemadmodum est moris ponere passiones loco differentiarum.

Instatur contra ratio subiecti in scientia debet esse primo, & maximè nota in scientia, eo quod tota scientifica cognitio dependet ex illa: sed si circumlocutione eget, non esset huiusmodi; siquidem implicatio est in adiecto dicere, quòd est ratio formalis in scientia, & quod circumloquitur illam passionis nomine, vt potè occultum ergò, &c.

Fuga data ipsis à Caiet. 45. Resp. Caiet. approbando ibi responsionem datam, scilicet quod si mobilitas sit passio, adhuc subiectum Philosophiæ conceditur esse vnius rationis formalis circumlocutæ per ly ens mobile. Ad instantiam Resp. Caiet. quod quamuis in scientijs à priori procedentibus, subiectum debeat esse primo, & maximè notum, quoadquid rei, non tamèn hoc oportet in scientijs à posteriori doctrinam facientibus, qualis est naturalis Philosophia, vt Commentator dicit in proæmio, & primo Phys. comment. secundo: sufficit enim quod sit primo, & maximè notum quoadàn est, & quid nominis, vt ex p. post. patet. huic autem nihil obstat talis circumlocutio. Ità Caiet.

Fuga 2. data ipsis à Caiet. 46. Secundo Resp. Caiet. quod notitiam subiecti debere esse maximam potest dupliciter intelligi vno modo respectu cognitionum possibilium haberi de illo: potest enim idem cognosci probabilitèr, & demonstratiue, per communia, & propria, & hoc modo de subiecto non oportet supponi à nobis maximam cognitionem, vt patet inductiuè etiàm in mathematicis; Alio modo respectu aliarum cognitionum, quæ in illa scientia acquiruntur, & hoc modo est verum, & conceditur quod cognitio ista, quam habemus de illa ratione formali in isto circumlocuto, est maior omni cognitione, quam acquirimus in omni Philosophia naturali.

Instantia. 47. Instat Caiet. Multorum notitiam acquirimus in Philosophia naturali, quæ per intima eorum cognoscimus, & nominamus: Perfectior autèm est cognitio per intima quàm per passionem, sicuti ratio illa cognoscitur.

48. Resp.

48. Resp. Caiet. quod perfectio cognitionis, de qua est sermo in p. post. vndè sumitur quod subiecti cognitio debet esse maxima non attenditur pœnes aliud, quàm per euidentiam. Vndè maius, & minus in cognitione in proposito, pœnes euidentiæ latitudinem attendere opportet: & propterea aliud est cognosci intimius, & aliud euidentius. Cùm enim omnis cognitio acquisita in scientia, siuè pertingat ad intima alicuius quæsiti, siuè non, habet euidentiam ex cognitione subiecti, sicut ex principio, necesse est cognitionem subiecti esse euidentiorem, & consequentèr maiorem cæteris. Et verè est sic in proposito, quià cognitio entis mobilis, quam circumloquendo supponimus est ex sensibus euidens: quæcumq; autèm alia, acquisita est discursu syllogistico, est ex istius euidentia certa: proptèr quod vnumquodq; tale, & illud magis. Ità Caiet. *Resp. ad Instantiam.*

49. Resp. tertio Caiet. ad illam primam instantiam argumenti, quod ratio subiecti in scientia debet esse primo, & maximè nota in scientia, quando scientia habetur à nobis sub perfecta ratione scientiæ qua est in se, non autèm quando tantum imperfectionis scientiæ nostræ admiscetur, quantum subiecti cognitio compatitur: quià ex hac incompleta cognitione subiecti, minus est plena cognitio subsequentium, difficultasq; in soluendis quæstionibus non parua. Ità Caiet. *Fuga tertia data primæ Instantiæ.*

50. Arguit tertio Caiet. Si ens mobile esset subiectum Philosophiæ naturalis, aut Philosophia naturalis esset pars Met. aut esset subalternata illi: vtrumq; est falsum ergò, &c. Tenet consequentia quià aut ens mobile addit supra ens conditionem diuidentem per se ens, aut accidentalem enti. Si primo modo, sequitur quod ens mobile considerandum à Met. est, quià in p. post. c. 22. dicitur, quod eiusdem scientiæ est considerare subiectum aliquod, & partes subiectiuas per se; & consequentèr esset Philosophia naturalis, cui ens mobile ascribitur, pars Met. Si secundo modo sequitur quod Philosophia naturalis Met. subalternaretur, eo quod dicitur in primo post. c. 8. descendere de genere in genus secundum quid, idest secundum conditionem accidentalem, est conditio solius scientiæ subalternatæ ab Arist. tradita. *Tertium Argumentum Caiet.*

51. Resp. Caiet. negando sequelam, quacumq; via teneatur, non enim eiusdem scientiæ est considerare aliquod subiectum, & per se partes eius subiectiuas, aut per se modos quoscumq; sed eos tantùm, qui genus scilicet illius subiecti non agrediuntur. Mobile autem extrà genus scibile Met. est, quoniam à materia sensibili non abstrahit: accidentalem autem conditionem entis, mobilitatem esse, vt subalternatio requirit, nullo modo est possibile: vt ex his, quæ scripsimus super caput 23. p. post. patet: quià accidentalitas illa perseitatem, & extraneitatem simul, respectu illius subiecti exigit, quod respectu entis non est possibile, cùm nil extraneum sit ab ente, vt dicitur 3. Met. tex. 11. Nec mihi obijciatur quod S. Tho. in tractatu de natura generis dicat, Philosophiam naturalem proptèr accidentalitatem huiusmodi subalternari Met. quià tractatum illum fortè nunquàm vidit S. Tho. stylus enim eius non est: & multa ibi sunt, quæ Doctrinæ eius non consonant. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad tertium Argumentum.*

52. Arguit quarto Caiet. Subiectum in scientia debet esse illud, ad cuius rationem formalem omnes resoluuntur passiones, & Conclusiones illius scientiæ, vt de se patet: sed passiones, & consequentèr Conclusiones Physicæ in Philosophia naturali resoluuntur vltimò ad quod quid est substantiæ, seù corporis naturalis, eo quod omnia accidentia Physica causantur ex naturali substantia ergò non ens mobile, sed substantia naturalis, seù corpus naturale ponendum est subiectum. *Quartum Argumentum Caiet.*

53. Resp. Caiet. quod plus requiritur ad hoc quod aliquid sit subiectum, quàm quoad ipsum fiat resolutio: Alioquin principia subiecti, ad quæ fit vltimo resolutio, essent subiectum. Opportet ergò quod ad eius rationem formalem fiat resolu- *Resp. Caiet. data ad quartum Argumentum.*

tio tanquàm ad adæquatum primarum passionum subiectum non autem mobilium resolutio fit ad substantiam mobilem sic sed sicuti ad primum clausum in adæquato subiecto mobilitatis, quod est ens mobile. Per resolutionem siquidem passionum communium in analogum subiectum, potest analogum ipsum in se resolui, posterius in prius reducendo, vt in tractatu denominum Analogia diffusè diximus. Ità Caiet. ex suo opusculo, hic fideliter ordinata.

Declaratio Caiet. ex p. p. q. p. a. 7. quæ clarescit, & Responsionem, & quæstionem hanc secundam, & primam.

54. Et Addit Caiet. pro maiori dilucidatione Responsionis, ex p.p. q.p. art. 7. §. ad hanc obiectionem, quod ideò obiectum Philosophiæ naturalis ens mobile statuitur à D.Tho. & non substantia, vel corpus mobile, seu naturale: quia habet illas duas conditiones, vt est obiectum formale, primam scilicet quod ratione ipsius omnia attinguntur à Philosophia naturali; & insupèr habet secundum scilicet continentiam virtualem omnium veritatum pertinentium ad ipsam, non quidem, vt vult Scotus; scilicet quod contineat virtualitèr vt prima causa præcisè totum habitum, sicuti sol virtualitèr continet totum hominem, & non partem, vt prima tamèn sui superior causa, sed habeat illam continentiam virtualem in se, & vt inuentum in alijs per se participantibus quomodolibet ipsum ens mobile, vt vult S. Tho. loc. cit. scilicet quod ens mobile est subiectum in se, & in participantibus continens virtualitèr, & adæquatè vt tota causa totum habitum Philosophiæ naturalis, quod quidem non verificatur de substantia, vel de corpore mobili, seù naturali, vt putat falsò arguens, hoc clarius patet in ipsis passionibus, quæ demonstrantur: In scientia enim de numero, non opportet omnes passiones scibiles eadem scientia contineri virtualitèr in numero primo idest adæquate, & sufficientèr, loquendo de numero in se ipso: quoniàm sic nec passiones binarij, nec trinarij scirentur ibidem vt patet: sed benè opportet, quod numerus in se contineat virtualitèr omnes passiones huiusmodi, vt prima radix eorum, vt distinctus autèm, & participatus in binario, & ternario, &c. opportet omnium passionum subiectum esse primum, idest adæquatum. Ac per hoc principia talis scientiæ, quæ habent numerum pro subiecto continent virtualitèr omnes veritates, vt primæ causæ, nec opportet, quod sufficiant ad inferendas omnes Conclusiones, nisi adiunctis propositionibus, quarum subiectum sit binarius, aut trinarius vt causis proximis: quemadmodum nec numerus est in se causa sufficiens ad passiones binarij, sed vt prima radix earum: & hoc in eo quod scibiles idest in quantùm sunt in tali specie scibiles, quidquid sit in esse naturæ, & secundum hanc viam manifestum est, quod eadem scientia secundum speciem, contingit esse de genere, & multis speciebus secundùm singulorum propria. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA PROŒMIALIS

Vtrum aliqua ſcientia probet ſuum ſubiectum eſſe

Ex Caiet. lib. 2. poſt. c. p. in Reſp. ad 8. Dubium

QVia in Reſponſionibus ad Argumenta videtur concedere Caiet. quod obiectum Philoſophiæ naturalis ens mobile non ſit primo, & maximè notum in ipſa, quia ſcientia Philoſophiæ non habetur à nobis ſub perfecta ratione ſcientiæ qua eſt in ſe. Et ex alia parte dicat quod corpus mobile non poſſit eſſe ſubiectum in Philoſophia naturali, quià probatur in 6. Phyſ. Ideò vt firmetur Doctrina ſupra tradita Caietani de obiecto ſcilicet de ente mobili quod non probatur in Philoſophia quæſtio Caietani extrahitur à c. p. lib. 2. poſt. in Reſp. ad octauum Dubium; an aliqua ſcientia poſſit probare ſuum ſubiectum. *Motiuum Quæſt.*

55. Quo ad primum adnotandum eſt ex Caiet. ibi, qui dicit hoc Dubium eſſe difficillimum, quod nomine ſcientiæ poteſt accipi ipſe habitus ſcientificus, puta Metaphyſica aut Geometria, &c. ità vt ſit ſenſus quæſiti. Vtrùm omnis ſcientia tàm Metaphyſica quàm Geometria ſupponat ſuum proprium ſubiectum eſſe, & non poſſit probare illud eſſe. Et ſecundo poteſt accipi, nomine ſcientiæ ipſa demonſtratio; ità vt ſit ſenſus quæſiti. Vtrùm omnis demonſtratio ſupponat illius demonſtrationis proprium ſubiectum eſſe; ſi primo modo intelligatur, reſpondet ſecundum Auueroim, quem Thomiſtæ in hoc imitari videntur, quod non poteſt probari nec à priori, nec à poſteriori. Tùm quià Ariſt. expreſsè docuit de ſubiecto præſupponi quià eſt. Tùm quià vt dictum ibi fuit, ſcientiæ quærunt paſſiones de ſubiecto, vel per principia ſubiecti, vel per effectus, vtroq; autèm modo opportet præſupponere ſubiectum eſſe, quoniam fatuum eſt quærere non entis paſſiones. Paſſio enim cùm quæratur vt inhærens alicui ſecundùm imaginationem præſuppoſito eſſe, neceſſe eſt, vt inquiratur, & concludatur inhærens. Conſentiuntq; his dicta Porphirij, & Alberti, & S.Tho. in principio primi. Et ſi obijciatur, ergò nulla ſcientia probabit quæſtionem an eſt, Reſp. dicendo quod committitur paralogimus conſequentis, nàm non ſequitur, nulla ſcientia concludit quæſtionem an eſt de ſuo ſubiecto, ergò nulla ſcientia probat eam vniuerſalitèr. Stat enim quod terminat eam de partibus ſubiectiuis ſubiecti, vel aliquo alio, & non de ſubiecto; vndè Metaphyſica non probat ens, quod eſt eius ſubiectum, eſſe, & tamèn ad ipſam maximè pertinet quæſtio an eſt, vt in ſexto eiuſdem dicitur. Ità Caiet. qui quærit potius in ſecundo ſenſu. *Primum notabile Caiet. ex p. c. 2. poſt. ad octauum Dubium.*

56. Adnotat ſecundo Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. reſpondendo ad ſuum Dubium quod nulla ſcientia per ſe loquendo probat ſuum ſubiectum eſſe; ſubiungit ſtatim Caiet. per accidens autèm non inconuenit ſcientiam aliquam probare ſuum ſubiectum eſſe, ſic autem eſt in propoſito, quoniàm hic occurrit duplex accidens, proptèr quod ſcientia Theologiæ noſtræ in illo art. tertio loc. cit. probat Deum eſſe. Primum eſt, imperfecta illius participatio in nobis: Si enim lumen Diuinum plenè participaremus, conſtaret ſtatim, Deum eſſe. Secundum accidens, eſt conditio medij ſcilicet quod eſt quaſi extraneum, licet enim nulla ſcientia ex ſimplicitèr proprijs probet ſubiectum ſuum, ex extraneis tamèn appropriatis, probare poteſt: ſi notiora nobis ſunt extranea illa, quàm eſſe illius ſubiecti. Sic autèm contingit in propoſito quoniàm Theologia non ex proprijs ſimplicitèr, ſed ex proprijs miniſte- *Secundum notabile Caiet. ex p. p. q. 2. circa ſubiectum Theologiæ noſtræ.*

rialitèr scilicet notis naturali lumine, quæ absolutè sunt extranea, vt diximus, probat Deum esse, vt patet in toto decursu quæstionis 2. in p. p. Ità Caiet. ex loc. cit.

Opiniones Scotistarum.

57. Quoad secundum Caiet. recitando loc. cit. 2. post. opinionem Scotistarum, ait, quod Scotistæ sectantes Antonium Andream in quæst. prima super Met. decepti sunt in hac quæstione: quoniam non distinxerunt inter scientiam, & demonstrationem probare subiectum proprium esse, vt nos fecimus in prima Adnotatione. Et propterea impugnans ille Auuerroim, tenet scientiam probare subiectum esse à posteriori (præaccipiendo quid nominis, & declarando illud significatum esse) & non posse probare subiectum à priori. Quoniàm ipsum subiectum est primo cognitum prioritate naturæ. Primum dictum declaratum est superius in prima, & secunda adnotatatione esse falsum de scientia, & verum de aliquo genere demonstrationum.

Impugnat Caiet. Scotistas.

Secundum dictum ex eius causa assignata deprehenditur male intellectum, quoniàm si indifferentèr de cuiusq, demonstrationis, & scientifici habitus intelligatur subiecto, falsum est: quoniàm ipsum quoquid est esse subiecti habentis alteram causam, cuius esse quæritur, proprium est secundum naturam medium ad cognoscendam quæstionem an est; sicut quod quid est passionis, est medium ad concludendum ipsum esse, & consequentèr ex eo potest secundum naturæ ordinem à priori concludi quæstio an est, quidquid sit de ordine quo ad nos. Si autèm intelligatur de subiecto scientiæ tantùm, tunc nihil concluditur, quoniàm quod quid est subiecti, est priùs notum ordine naturæ, & post, ipsum esse; quoniàm quæstio quid est, est prima quæstio secundùm se, sed non quoad nos, & consequentèr ex hoc non sequitur, quod non possit à priori probari. Taceant ergo, & audiant Responsiones infrà ad argumenta sua.

58. Secundo dicitur, quod sicuti in primo post. dictum est, quoniàm in eodem tempore traditur scientia cum principio scientiæ, quemadmodum principium scientiæ ponendo, quod quid est subiecti inuestigatur, quod tamen presupponitur in qualibet scientia à priori, ità subiectum esse in illo principio declaratur. Et sic scientia propriè dicta supponit suum subiectum esse.

Opinio Caiet. in secundo sensu quæsiti probabilis.

59. Si autèm intelligatur quæsitum in secundo sensu, ait Caiet. probabilitèr teneo, quod omnis demonstratio supponit subiectum esse, quoniàm Arist. indistinctè dixit in primo post. de subiecto præsupponi quia est, nec valet dicere ergo quæstio an est non poterit demonstrari, quià id cuius quæritur esse non presupponitur esse, non valet, inquam, quià quæstio an est non concluditur in secundo adiacente, sed in tertio, ità quod id cuius, vt subiecti, quæritur esse in proponendo quæstionem, in conclusione sumitur vt prædicatum, & concluditur de aliquo præsupposito, & sic demonstratur esse, v.g. quæritur, vtrum Deus sit, in secundo adiacente, sic concluditur ergo aliquod ens est Deus, & sic de alijs, & sic semper supponitur subiectum non quæstionis, sed demonstrationis, & conclusionis; nec secundo valet dicere, ergo nulla est differentia intèr conclusionem quæstionis an est, & conclusionem quæstionis quià est, quoniàm vtraque est de tertio adiacente, & si conclusiones quæsitæ non differunt, ergo nec quæstiones different, quià ex scibilibus quæsitis distinguntur, non valet, inquam, hoc, quià differunt in hoc, quod quæstio quià, eget per se tertio adiacente, quoniàm quærit de certo subiecto certum prædicatum vltrà verbum substantiuum: Non enim in incertum quæritur, vtrùm quodcumq; habeat tres angulos, aut sit animal, &c. sed determinatè subiectum conclusionis proponitur, vtrum homo sit animal. Vtrùm Isocheles habeat tres angulos, &c. Quæstio autèm an est non proponit subiectum conclusionis, sed quæstionis tantùm, nec per se ex vi quæstionis eget altero termino, sed accidit, vt respondendo terminet coassumpto

tertio

tertio non determinato, sed vagè. Concluditur enim, ergo aliquid est Deus, ergo aliquid est Centaurus &c. Ità Caiet. quem quidem dicendi modum probabilem, Caiet. fatetur se non repellere. Fundamentum tamèn non habet, ait, vndè tantam prouinciam subire cogatur: quoniàm Arist. in p. lib. expresiè loquebatur de demonstratione, in qua passio de subiecto concluditur, vt ex textu, & expositoribus patet, sed ad hoc posset dici quod tenetur hoc, non auctoritate illa pura, sed adiuncto hoc, quod omne quod demonstratur, se habet vt passio, vt inferius in lib. post. habebitur.

Opinio Caiet. probabilior.

Et sic alio modo opinatur Caiet. dicendo, licet ego priorem olim modum excogitauerim, nunc iudicio meo, & melius, dico, quod non omnis demonstratio supponit suum subiectum esse, quoniàm aliqua quærit, & demonstrat illud, & hoc teneo vniuersaliter in omnibus demonstrationibus terminantibus quæstionem an est. Ità Caietanus.

Conclusio Caiet. iuxtà quæsitum in secundo sensu.

60. Quo ad 3. Caiet. ponit suam Conclusionem iuxtà secundum sensum quæsiti, quià in primo sensu probauit in primo notabili suprà, quod scientia propriè dicta non probat suum subiectum esse nec à priori, nec à posteriori.

Conclusio igitur est hæc. Non omnis demonstratio supponit suum subiectum esse, quià aliqua quærit, & demonstrat, & hoc vniuersalitèr in omnibus demonstrationibus terminantibus quæstionem an est. Probat Caiet. suam Conclusionem in tali forma primo. Nulla ratio me incitat ad oppositum, ergo &c. Probo antecedens, quia si aliqua me moueret esset ista, scilicet, quod demonstratur, se habet vt passio, sed ista non est cogens ergo, &c. Probo minorem, quià intelligitur quo ad hoc quod est dici de altero, seù alteri in esse, quoniàm omne quod demonstratur, se habet vt prædicatum, siuè sit in secundo, siuè in tertio adiacente, & non intelligitur quo ad alias conditiones scilicet, quod se habeat ità, quod supponatur ei subiectum esse, & prædicetur tertium adiacens, &c. Et insuper, me non cogit vsus artis demonstratiuæ in scientijs, quoniam non videntur inueniri demonstrationes in secundo adiacente, etiàm si terminent quæstionem an est vt patet 8. Phys. vbi concluditur substantias separatas esse in tertio adiacente, & in primo Euclidis, vbi concluditur Triangulum esse, &c. Hic, inquàm vsus, non me cogit, nec ostendit intentum, quoniam secundùm veritatem non quærebatur in huiusmodi locis quæstio an est, sed quià est, vt patet ibidem: subiectum enim quæstionis in 8 Phys. est motor primus, & in primo Euclidis linea recta, licet ex hoc eliciatur etiàm Conclusio an est. Et quoniàm si ità quandoque inueniretur, faciliter ipsi vsui gratis attribuendum esset potiùs, quàm Arti. Vt enim in p. post. diximus contingit artem demonstratiuam alitèr docere, & alitèr exercere. Ità Caiet.

Ratio prima.

Ratio secunda.

61. Probat 2. suam Conclusionem sic. Omne verum necessarium habens causam, est demonstrabile; Conclusiones quæstionis an est etiam in secundo adiacente sunt huiusmodi ergo, &c. nec valet dicere, sunt demonstrabiles, sed non tali modo scilicet in secundo adiacente, non valet, inquam, quià ex tribus terminis, quorum vnus est vera causa propter quam alter necessariò inest alteri, sufficientèr fit demonstratio omnibus alijs terminis seclusis: sed retenta Conclusione de secundo adiacente inueniuntur huiusmodi tres termini ergo, &c. Inuenitur siquidèm, cùm dicitur, (Ignis est) quià quod quid est Ignis est verè causa, & medium, quo esse de Igne concluditur, formalizetur probatio minoris sic. Quod quid est alicuius, est vera causa cur esse insit alicui: sed dum dicitur, Ignis est, (de secundo adiacente) ibi inuenitur quod quid est ipsius Ignis, ergo inuenitur vera causa, propter quàm esse inest Igni. Ità Caiet.

62. Quoad 4. Arguit Caiet. primo sic. Omnis scientia potest vti demonstratione

ne quià, & propter quid ergo potest demonstrare suum subiectum esse à posteriori saltèm. Antecedens patet, quià sicùt per causam probatur effectus proptèr quid, ità è contra per effectum demonstratur causa quià. Consequentia probatur, quià subiectum est causa aliquorum in illa scientia, & consequentèr cùm ex effectu possit à posteriori concludi causam esse, sequitur subiectum esse formalitèr demonstrabile. Confirmatur Inductiuè. In libris Elenchorum probatur syllogismum sophysticum esse per simile. Et Priscianus in libro Constructionum, ostendit orationem constructam esse, &c.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

63. Resp. Caiet. ad Argumentum negando consequentiam, ad probationem dicitur, quod non sempèr ex effectu necessariò potest probari causam esse: sed tunc tantum quando causam esse est minus notum nobis. Omnis enim demonstratio ex notioribus nobis (si à nobis fieri debet) procedere debet, quoniam proptèr quod vnumquodq; tale, & illud magis. In scientia autèm propriè dicta nihil magis notum est, quàm subiectum esse, proptèr quod in omni scientia, vel per se notum est subiectum esse, vel à superiori scientia sumitur, vndè in 1. Phys. Arist. contrà negantes, subiectum naturalis Philosophiæ esse, non à posteriori, nec à priori disputaùit, sed ad Metaphysicum confugit, & hoc merito, quoniàm negato, vel ignorato subiectum esse, quomodo aliorum dependentium ex eo esse, stabilitum assumi poterit, præsertim cùm quælibet scientia à subiecto inchoet? Vndè non prouenit ex defectu medij, quod scientia non probet suum subiectum esse, sed ex defectu huius conditionis, quià subiectum esse, non ponitur vt minus notum, sed vt notissimum.

Resp. Caiet. ad Confirmationem.

64. Ad Confirmationem Resp. Caiet. quod aliud est demonstrare ex proprijs subiectum esse, & aliud est aliquali declaratione patefacere, neq; enim hoc negatum est, sed illud vt ex 2. Phys. ab Auuerroi habetur, vbi tentantes demonstrare naturam esse, deridentur, & aliquam innuitionem dari posse, non reprehenditur. Tales autem sunt declarationes à simili, quas arguens in Confirmatione inducit. Ità Caiet. ex post. lib. 2. c. 1.

LIBRI PRIMI

QVAESTIO PRIMA PHYSICALIS CAIETANI

Vtrum ex Vniuersalibus in singularia opporteat deuenire

Ex Arist. 1. Physi. tex. 3. & ex Caietano in suis Commentarijs super cap. 1. de Ente, & Essentia q. 1. Et ex Commentarijs super p. 1. q. 85. art. 3. & q. 86. art. 1. & alibi.

Status Controuersiæ & declaratio Tituli quæstionis aperitur Themistis ex Caiet. p. p. q. 85.

1. Titulus huius quæstionis celeberrimæ conuenit cum illo D. Th. super caput primum de ente, & essentia. An ens, & essentia sint illa quæ primo in intellectu concipiuntur; & cum illo alio, quem ponit in 1. p. q. 85. art. 3. Vtrum vniuersaliora sint priora in nostra cognitione intellectuali, pro quo Caietanus incipit sic in suis Commentarijs. Titulus absolutè sumendus est, vt iacet, nec est arctandus. Et hoc benè nota proptèr quæstiones modernorum de

de primo Cognito, de quo vide si vis diffusam quæstionem in Commentarijs de ente, & essentia, vbi contrà eum, qui hunc articulum quo ad quinque impugnauit disputatum est. Intelligendus est ergo titulus hic absolutè. Et quoniàm intellectui nostro directè non occurrit nisi, aut vniuersalius, aut minus vniuersale, consequens est, quod hic quæritur, quid absolutè prius, cognoscatur ab intellectu, magis, aut minus vniuersale. Dico autèm absolutè, & non in tali ordine puta cognitionis confusæ, aut distinctæ, & consequentèr hic est quæstio de primo Cognito, & hic soluitur. Nec putes me, aut immemorem, aut retractare, quod scripsi in Commentarijs, quoniam, & illud verum est scilicet, quod hic non quæritur, nec tractatur de primo Cognito in tali ordine scilicet cognitionis confusæ actualis, & hoc verùm est scilicet, quod hic quæritur de primo Cognito absolutè. Ità Caiet.

2. Adnotat 1. Caiet. in art. 3. loc. cit. §. circa hunc processum. Quod magis, & minus commune possunt comparari diuersimodè ad inuicem sub ratione totius, & partis: nàm vniuersale vt sic est totum, & minus vniuersale est totum diffinibile, & vniuersalius est eius pars diffinitiua. Et rursus vniuersalius, & minus vniuersale possunt comparari ad inuicem absolutè, puta animal ad hominem, & è conuersò, non considerando in eis rationem aliquam cuiuscumq; totius, aut partis; & quandò dicitur, quod sensus prius cognoscit magis commune, quàm minus commune, exponendum est non de ipsis communibus in seipsis, sed in suis indiuiduis, idest cognoscit prius indiuiduum rei magis communis, quàm indiuiduum minus communis, vt hoc corpus, quàm hoc viuum, & hoc Animal, quàm hunc hominem. Ità Caeitanus §. quò ad tertium.

Primum notabile Caiet. ex p. p. q. 85. art. 3.

3. Adnotat 2. Caiet. inde ente, & essentia loc. cit. §. pro cuius intellectu. Circà illud dictum D. Th. scilicet intellectus noster procedit de potentia ad actum, quod processus naturæ, & intellectus est duplex, alter secundum ordinem generationis tantùm, alter secundum ordinem generationis, & causalitatis effectiuæ, vel finalis. Primus processus est quandò intèr terminos, & media non cadit nisi prioritas, & posterioritas secundum generationem. Sécundus est, quandò vltrà istam prioritatem inuenitur in illo, quod est prius, etiàm prioritas causæ effectiuæ, vel finalis. Ità Caietanus.

Secundum notabile Caiet. ex cap. p. de ente, & essentia q. 1.

4. Adnotat 3. Caiet. de ente, & essentia loc. cit. §. secundo aduerte, quod aliud est perfectius altero duplicitèr scilicet simplicitèr, vel secundum quid; ità tamèn, quod aliquid sit simplicitèr idest secundùm suam naturam altero perfectius, quod tamen secundum aliquam conditionem est imperfectius illo, sicut substantia materialis est simplicitèr perfectior accidente, quo tamèn est imperfectior secundum quid, in quantùm actuatur per illud. Dicitur ergo quod tàm natura, quàm intellectus in processu generationis tantùm, semper procedit de imperfecto simplicitèr ad perfectum simplicitèr: eo quod ordo generationis attenditur penes genus causæ materialis: sicuti Animal priùs generatur, quàm homo, vt dicitur in libro de Animalibus. In processu autèm secundo proceditur de imperfecto non simplicitèr, sed secundum quid, ad perfectius secundum qu d: sicuti substantia est prior generatione accidente, & vltrà hoc est prior causalitate finali, eo quod est finis eius, & quandoq; agens; constat autèm ipsam esse secundum quid imperfectiorem accidente, in quantùm est in potentia respectu eius, & causalitatem materialem participat. Ità Caietanus.

Tertium notabile Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

5. Adnotat 4. Caietanus de ente, & essentia loc. cit. §. quo ad primum. Quod vniuersale, quod ab intellectu directè cognosci supponimus, duplicem habet totalitatem, est enim totum diffinibile, & est totum vniuersale, differunt autèm hæ totalitates

Quartum notabile Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

tates tripliciter. Primo quià totalitas diffinitiua fundatur suprà actualitates rei, totalitas autèm vniuersalis suprà virtutem, seù potestatem. Secundò quià illa est in ordine ad superiora, si habet ea, ista verò est in ordine ad inferiora. Tertio quià illa est naturalitèr prior ista. Et sicut habet duplicem totalitatem ipsum vniuersale, ità habet duplicem cognitionem confusam, & duplicem distinctam. Prima cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totum diffinibile, non resoluendo in partes diffinitiuas. Secunda cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totum vniuersale non componendo ipsum cum partibus subiectiuis. Prima distincta est, qua cognoscitur totum diffinitum, resoluendo ipsum in singulas partes diffinitionis, & hæc respondet primæ confusæ. Secunda distincta est, qua cognoscitur totum vniuersale componendo ipsum cum suis partibus subiectiuis, & hæc respondet secundæ confusæ. §. illæ verò duæ. In hac quæstione est sermo de notitia distincta, quæ duæ distinctæ cognitiones differunt tripliciter primo quià prima cognitione penetratur res vt totum diffinibile; secunda verò vt totum vniuersale, secundo quià prima compatitur secum eiusdem obiecti aliquam cognitionem confusam vniuersalem scilicet vtpotè sibi non oppositam. Secunda verò nullam compatitur confusam secum: cum notitia enim animalis cum suis speciebus non stat ignorantia animalis in se, & ex hac sequitur tertia differentia, quod secunda distincta infert primam, & non è conuersò. Ex quibus pono hic etiàm verbalem differentiam, & prima quidem vocetur distincta notitia actualis; secunda verò notitia distincta virtualis, & meritò, quia prima penetratur res, secundum id, quod actualitèr in ea inuenitur; secunda autèm cognoscitur res secundum id quod virtualitèr in ea includitur.

6. Ex his primo elicio diffinitiones istarum cognitionum: deindè coordinationes earum. Et quià priuatio cognoscitur, & diffinitur per suum habitum, ideò à distinctis incipiendo, de quibus in præsenti est sermo, dico quod cognitio actualis distincta est, qua penetratur id, quod actualitèr inuenitur in obiecto. Cognitio virtualis distincta est, qua obiectum penetratur secundùm id quod virtualitèr in ipso includitur §. ex hic primo.

Coordinationes harum cognitionum sunt istæ. 1. est cognitionum confusarum actualium. 2. confusarum virtualium, de quibus in sequenti quæstione. 3. est distinctarum actualium. 4. distinctarum virtualium. In tertia sunt cognitiones, quibus substantia, corpus, corpus animatum, & animal cognoscuntur non componendo cum inferioribus suis. In 4. sunt cognitiones his oppositæ, scilicet qua substantia iàm cum suis inferioribus perfecta cognitione componitur totum vniuersale scilicet cum suis partibus, & qua corpus similitèr cum suis partibus subiectiuis penetratur, & sic de alijs. Cum autèm vt ex dictis patet ordo cognitionum confusarum actualium sit via originis prior cæteris, in sequenti quæstione, quæretur quid sit primum cognitum simplicitèr in ordine cognitionis confusæ actualis. In hac quæstione cum S. Thoma in 1. p. loc. cit. ibi comparet cognitiones distinctas actuales intèr se, quæritur quid sit primum cognitum. Ità Caiet. §. Coordinationem.

Quintum notabile Caiet. ex 1. p. q. 86. art. 1.

7. Adnota: 5. Caiet. in 1. p. q. 86. art. 1. quod in actione, & passione intellectus duo ordines operationum attenduntur. Primus realis, qui conuenit intellectui vt res est. Secundus intelligibilis, qui conuenit intellectui, vt intellectus est. Per primum, mouetur intellectus possibilis ab intellectu agente effectiuè principalitèr: ab obiecto autèm in phantasmate secundariò. Per secundum verò perficitur ab intelligibili, vt intelligibile est obiectiuè: ab actu verò intelligendi formalitèr. In 1. ordine omnia sunt singularia, sed non singularia materialia nisi phantasmata; & tunc patet inceptio intellectus à phantasmate. In secundo verò, obiectum est vniuersale;

de

de quo est quæstio in q. 85. art. 3. Ità Caietanus. §. ad argumenta.

8. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 86. art. 1. recitat Argumenta Durandi, quæ solucntur infrà suo loco, tenentis primum cognitum esse singulare, & non vniuersale. Et cap. 1. de ente, & essentia q. p. corrigit defectum Antonij Trombetæ, qui pro quæstione sequenti de cognitione confusa adducit opinionem S. Tho. in p. p. q. 85. art. 3. & tamen à S. Th. ibi nulla est facta comparatio intèr cognitiones confusas actuales, de quibus est quæstio in sequenti: sed comparauit ibi cognitiones distinctas actuales intèr se, comparauit etiàm distinctam actualem superioris, distinctæ virtuali eiusdem: comparauit, & confusam virtualem superioris, distinctæ virtuali eiusdem: comparauit, & confusam actualem distinctæ actualis eiusdem obiecti, vt patet intuenti illum Articulum. Deinde loc. cit. de ente, & essentia. §. quo ad quartum prosequitur Caiet. dicendo, quia Antonius Trombeta impugnat quædam dicta S. Doct. in p. p. q. 85. art. 3. vbi tradit ordinem intellectualis cognitionis secundum viam peripateticam, ideò adduco eius impugnationes, & soluo infrà. Quinq; autèm sunt dicta S. Doct. contra quæ arguit. Primum intellectus est vniuersalium, & prius magis vniuersalium. 2. Intellectus noster procedit de potentia ad actum. 3. Notitia rerum in vniuersali est notitia incompleta. 4. Notitia in vniuersali est notitia secundum quid, & in potentia. 5. Sensus exiens de potentia ad actum prius communius, quàm minus commune cognoscit. Ità Caiet. qui aperit magis mentem D. Th. ipsis Thomistis in p. p. q. 85. art. 3. in fine, circa præsentem quæstionem dicens. Aduerte quod hæc ratio D. Th. si acuto subijciatur ingenio, valdè efficax est pro primo cognito, ostendit enim vniuersalius, priùs naturalitèr obijci intellectui nostro, quantùm est ex parte obiecti, & intellectus, quàm minus commune, quià medium naturalitèr est. Ostendit etiàm quod hunc naturalem ordinem sensuum ministeria non mutant, aut impediunt, imò ad eum conferunt, nàm in sensu idem secundum naturam ordo comprobatur. Ac per hoc, & ex parte intellectus, & sensus naturalis ordo habet, quod magis commune præueniat, absolutè loquendo non in hoc, vel in illo ordine. Ità Caiet. §. ad hæc respondetur in fine.

Opiniones recitatæ à Caiet. ex loc. cit. p. p. & de ente, & essentia.

Quo ad 3. Prima Conclusio Caiet. cùm D. Th. negatiua ex p. p. q. 86. art. 1. est hæc. Singulare materiale intellectus noster non potest directè, & primo cognoscere: benè tamèn indirectè.

Prima Conclusio negatiua, & Responsiua quæsiti sumpta à Caiet. in p. p. q. 86. art. 1. cum D. Tho.

9. Probatur prima pars. Intellectus intelligit abstrahendo à materia indiuiduali, ergo directè intellectum, est non singulare, sed vniuersale. Antecedens patet. Consequentia probatur quo ad primam partem, quià materia indiuidualis est principium singularitatis, quo ad secundam vero probatur quià abstractum à materia indiuiduali est vniuersale.

Probatur Conclusionis secunda pars. Intelligens non nisi per conuersionem ad Phantasmata singularia, indirectè potest intelligi singulare: Intellectus noster est huiusmodi ergo &c. & hoc modo format hanc propositionem. Socrates est homo. Ità Caietanus cum D. Th.

Probatio secundæ partis.

Secunda Conclusio ex art. 3. q. 85. Esto Cognitio singularium sit quo ad res prior cognitione vniuersalium: attamèn notitia vniuersalioris est prior notitia minus vniuersalis.

Secunda Conclusio responsiua quæsiti affirmatiua sumpta à Caiet. ex p. p. q. 85. art. 3.

10. Probatur breuitèr prima pars, quià cognitio intellectiua aliquo modo à sensitiua primordium sumit. Et quià sensus singularium est, intellectus autèm vniuersalium; necesse est, quod cognitio singularium quo ad nos prior sit, quàm vniuersalium cognitio.

Probatur secunda pars. Omne exiens de potentia ad actum prius peruenit ad

Probatio se-

cũdæ partis quæ probatio à Caiet. explicit. in Resp. ad primum Argumētum infrà, quod est Trombetæ.

actum incompletum medium intèr potentiam, & actum perfectum, quàm ad actum perfectum: sed intellectus est exiens de potentia ad actum, & actus perfectus intellectus est notitia distincta, actus verò incompletus, & medius, est notitia confusa: ergo priùs indistinctè, quàm distinctè cognoscit; sed cognoscere vniuersalius indistinctè, est cognoscere magis commune, ergo prius cognoscitur magis commune, quàm minus commune. Maior est per se nota.

Minor probatur 2. & ratione, & auctoritate. Ratione, quià cognoscere aliquid confusè, est cognitio secundum quid, & quodammodo in potentia ergo &c. Auctoritate probatur ex 1. Phys. tex. 3. vbi dicit Arist. quod sunt primo nobis manifesta, & certa, confusa magis: posterius autèm cognoscimus distinctè principia, & elementa.

Probatio Minoris subsumptæ explicatur à Caietano infrà in Resp. ad quintũ.

Minor subsumpta, quam Caiet. vocat antecedens vlterioris processus; probatur primò ex ratione cognitionis confusæ, quià manifestum est, quod cognoscere aliquid, in quo plura continentur, sinè hoc, quod habeatur propria notitia vniuscuiusque eorum, quæ continentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam.

Probatur secundo antecedens idem ex applicatione huiusmodi cognitionum ad totum vniuersale, & ad totum integrale: Vtrumque enim totum potest cognosci in quadam confusione, sinè hoc, quod partes distinctè cognoscantur.

Et 3. probatur cum explanatione huiusmodi cognitionum in toto vniuersali, puta Animali, & homine: cognoscere enim Animal indistinctè est cognoscere Animal, in quantùm est Animal: cognoscere autem Animal distinctè, est cognoscere Animal in quantùm est Animal rationale, vel irrationale. Prius igitur occurrit intellectui nostro cognoscere Animal, quam cognoscere hominem, & eadem ratio est, si comparemus quodcumque magis vniuersale ad minus vniuersale. Et quia sensus exit de potencia in actum, idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu, vnde cum D. Th. loc. cit. sit.

Tertia Conclusio D. Th. sumpta à Caiet. loc. cit. p. p. cum sua explicatione.

Tertia Conclusio Caiet. Prius secundum sensum diiudicamus magis commune, quàm minus commune.

11. Explanatur hæc Conclusio secundum duplicem prioritatem, & localem, & temporalem. Secundum locum quidem, sicut cùm aliquid videtur à remotis priùs deprehenditur esse Corpus, quàm deprehendatur esse Animal, & priùs deprehenditur esse Animal, quam deprehendatur, quod sit homo, & prius homo, quàm Socrates, vel Plato. Secundum tempus verò, quià puer à principio prius distinguit hominem à non homine, quam distinguat hunc hominem ab alio homine; & ideò Pueri à principio appellant omnes viros Patres, posterius autem determinant vnumquemq; vt dicitur in 1. Phys. tex. 5. Et huius ratio manifesta est, quià qui scit aliquid indistinctè, adhuc est in potentia, vt sciat distinctionis principium, sicut qui scit genus, est in potentia vt sciat differentiam, & sic patet, quod cognitio indistincta media est intèr potentiam, & actum. Ità Caiet. cum D. Th.

Primum Argumentum Caiet. contrà primam Conclusionem ex p. p. q. 86 art. 1. ex Durando cum sua Confirmatione.

Quoad 4. Arguit Caiet. contrà primam Conclusionem loc. cit. ex Durando dupliciter. Primo sic. Obiectum, & omnis eius per se conditio præcedit actum potentiæ, quoniàm potentia non facit, sed supponit obiectum: sed vniuersale non præcedit omnem actum intellectus ergo &c.

Confirmatur representatiuum reale naturalitèr representat rem secundum eius conditionem realem: sed vniuersalitas non est conditio realis, ergo non representatur per speciem realem &c. vt ponis.

Resp. Caiet. ad Arg. primum.

12. Resp. Caiet. ad Argumentum quod falsum est assumptum, & quod intellectus idest tota pars intellectiua non supponit, sed facit obiectum intellectus: potentia

tia enim actiua non prohibetur construere suum obiectum : sed Durandus quià negat intellectum agentem , & species, non mirum quod fallatur .

Ad Confirmat. Resp. Caiet. quod representari vniuersale potest intelligi dupliciter, vno modo , vt vniuersalitas sit conditio representata , & sic non dicimus speciem representare vniuersale ; alio modo vt vniuersalitas sit conditio sequens modum, quo representatur, & hoc modo dicimus, quod species intelligibilis Bouis representat naturam bouinam vniuersalem, quia scilicet representat eam , & non representat indiuiduales eius conditiones . Ex hoc enim quod sic representatur , sequitur, quod vniuersalis representetur quià nec vt vna numero , nec vt multiplicata numero &c. Et sic patet nullitas consequentiæ . Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad Confirmationem

Arguit 2. Caiet. eod. loc. cit. intellectus incipit , vbi terminatur sensus , sed sensus terminatur ad singulare, ergo à singulari incipit .

Arg. 2. Caiet. ex p. p. loc. cit.

Confirmatur 1. Vniuersale abstrahitur à singulari, vt à termino à quo : ergo singulare prius cognoscitur : abstractio enim non nisi à noto fit .

Confirm. 1. & 2. ex Caiet.

Confirmatur 2. Quia singulare primo mouet intellectum , ergo primo intelligitur. Consequentia nota . Antecedens probatur quia actiones sunt singularium: talis enim motio, actio quædam est .

13. Resp. Caiet. ex 5. Adnotatione supra ad Argumentum concedendo totum in primo ordine , sed consequentia nihil valet , quià in illo nulla est intellectio. Si verò de intellectu , vt intellectus est loquatur, dicitur, quod intellectus incipit non ab eo, in quo finit sensus, sed à proximo sibi: hoc autem est vniuersale corporeum: falsum est enim, quod potentiarum ordinatarum posterior incipiat à termino prioris, sed benè à proximo sibi . Vndè cogitatio non à sensatis , sed elicitis intentionibus perficitur .

Resp. Caiet. ad Arg. 2. ex p. p. loc. cit.

14. Ad 1. Confirm. Resp. falsum esse, quod opporteat abstractionem fieri à noto, tàm de abstractione intellectus possibilis , quàm agentis , & de agente quidem patet, de possibili verò manifestum fit ex sensu : visus enim abstrahit colorem ab odore pomi ignoto sibi : tali enim pacto intellectus possibilis considerat vniuersale, & non particulares conditiones .

Resp. Caiet. ad primam Confirmationem.

15. Ad 2. Confirm. Resp. Caiet. quod si est sermo de intellectu vt re, conceditur quod primum mouens est singulare , sed non materiale , sed immateriale scilicet intellectus agens : falsum enim supponitur : scilicet quod in tali motione obiectum sit primo mouens. Sed tunc consequentia nil valet, ergo singulare primo cognoscitur, quia intellectus agens , & obiectum in Phantasmate in hoc primo ordine non mouet obiectiuè, sed actiuè potius . Si vero est sermo de intellectu , vt intellectus est sic concesso , quod primo mouens sit obiectum , negatur quod sit singulare: sed dicitur quod est natura vniuersalis, quæ obiectiuè perficit , mouet , & facit esse in actu intellectum, quià illa est primo representata per speciem intelligibilem , & primo intelligibilis, vt in littera dicitur à D. Th. art. 1. loc. cit. Ità Caiet. pro prima Conclusione contrà Durandum .

Resp. Caiet. ad secundam Confirmationem.

Arguit 3. Caiet. contrà secundam Conclusionem , & eius rationem sic ; in art. 3. p. p. q. 85. ex processu rationis allatæ non habetur quid absolutè sit priùs cognitum, magis an minus vniuersale id est res substrata maiori vniuersalitati, àn minori, ergo nulla Conclusio . Probatur antecedens quià totus processus est comparatiuus rerum, vt vestitæ sunt has intentiones scilicèt totius, & partis . Vndè ex hac comparatione habetur nil aliud, nisi quod res prius naturali ordine cognoscitur confusè, quàm distinctè, & hoc est verissimum; & sub hoc infertur optimè , quod totum vniuersale prius cognoscitur, quàm pars eius subiectiua vt sic , & similitèr quod totum diffi-

Arg. 3 Caiet. contrà 2. Conclusionem scilicet eius rationem ex p. p. q. 85. art. 3.

nibi-

nibile prius cognoscitur, quàm pars eius diffinitiua vt sic, & vtrobiq; est eadem ratio: quià scilicet cognitio totius præueniens notitiam partium est confusa, quæ naturalitèr est prior distincta. Hinc sunt duo errores; primus quià nescitur de ordine cognitionis rerum absolutè. Secundus est valdè maior, quià non respondetur quæsito, nàm vt patet ex dictis, habemus solùm, quod minus vniuersale prius cognoscitur, quàm magis vniuersale, sicuti è conuersò, diuersimodè illa comparando sub ratione totius, & partis. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad 3. Argumentum. 16. Resp. Caiet. ordine præpostero, & ad hoc vltimum inconueniens adductum in argumento, negatur quod pari ratione habeatur, quod minus commune sit prius cognitum magis communi; nàm ordo notitiæ intèr totum vniuersale, & partem subiectiuam ex vna parte, & ordo notitiæ intèr totum diffinibile, & partem diffinitiuam ex alia parte non est vniformis, sed ille est ordo simplicitèr, iste secundum quid. Nàm pars diffinitiua non dependet secundum se in cognosci à toto diffinibili secundum quód est pars illius, possum enim prius perfectè nosse, quid est Animal, & postmodùm nosse, quod Animal est pars diffinitiua Pigmæi. Pars vero subiectiua, simplicitèr dependet in cognosci à notitia vniuersalioris, vt de se patet, licèt ergo cognitio totius vtrobiq; præcedat notitiam partis, non tamen quamlibet notitiam. Sed notitia totius vniuersalis præuenit cognitionem simplicitèr partis subiectiuæ non solum in quantum pars huius est, & ideò magis hinc habetur, quod communius sit prius notùm, quàm è conuersò: ordo enim cognitionum simplicitèr magis attendendus est, & prior naturalitèr est, quàm è conuersò.

17. Ad id vero, quod primo in Argumento obijcitur similitèr negatur, quod hinc non habeatur, quid absolutè prius cognoscatur. Ex hoc namq; quod docemus vniuersalius esse prius notum minus vniuersali non solum secundum quid, idest in quantum est pars subiectiua vniuersalioris, sed simplicitèr idest in quantum est talis res (prius autèm dico notum ordine generationis, & potentiæ ad actum) dicere cogimur consequentèr, quod notitia vniuersalioris quantumcumq; perfecta secundum id quod actualitèr in ipso clauditur est potentialis ad cognitionem minus communis, ac per hoc naturalitèr, præcognoscitur magis commune non solùm vt totum, sed absolutè, quàm minus commune. Nec est sophisma accidentis, aut figuræ dictionis ab vniuersaliori ingredi ad rem, quæ nominatur vniuersalior, sed est declaratio occulti, quasi causæ à manifestiori effectu. Ex hoc enim quod vniuersalius est notius partibus potestatiuis suis, declaratur, quod res declarata vniuersalior est notior rebus denominatis à minori vniuersalitate, imò si rectius loqui volumus, cum in littera articuli tertij traditur iste ordo, nomine magis vniuersalis intelligitur res ipsa, & secundum se, & vt totum, & non tantùm vt totum. Et similitèr nomine minus vniuersalis, vt patet in littera, & explanatur in Responsionibus Argumentorum, intelligitur res ipsa, & secundum se, & vt pars huius totius secundum quod minus commune continet in sui ratione non solum magis commune, sed etiàm alia, vt homo non solum Animal, sed etiàm rationale. Sic igitur Animal consideratum in se, prius est in nostra cognitione, quàm homo: sed homo est prius in nostra cognitione, quàm quod Animal sit pars rationis eius. Hinc ex his suis doctrinis Caiet. addit. Hæc ratio si acuto subijciatur Ingenio, valdè efficax est pro primo cognito. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 4. Trombeta primũ contrà dictum S. Doctor allatum à Arguit 4. Caiet. ex Antonio Trombeta in de ente, & essentia loc. cit. contrà dicta D. Th. in sua ratione probatiua secundæ Conclusionis, & contrà primum sic. S. Th. tenet quod quidquid est in re, & ex natura rei, est singulare, & quod illud quod præcedit actum intelligendi est reale, tunc sic. Quidquid est in re est singulare,

lare, quidquid prima intellectione intelligitur est in re, ergo quidquid prima intellectione intelligitur est singulare, ergo non potest intelligere magis vniuersale. Maior est S.Tho. Minor ex secunda propositione supposita patet, & quadrupliciter probatur. Tùm quià ens rationis est posterius actu collationis intellectus; tum quià tale obiectum est causa entis realis scilicet primi actus, intelligendi; tùm quià talis primus actus refertur ad obiectum relatione reali, quæ non est nisi ad terminum realem; tum quià talis primus actus dependet ab obiecto, vt à mensura: ens autem reale non dependet ab ente rationis. *Caiet. ex cap. 1 de ente, & essentia q. 9.*

18. Resp. Caiet. quod maior potest habere duplicem sensum. Primus est quod quidquid est in re est singulare, idest quidquid est in re est singularitas, & sic est falsa: est enim in sorte non solum singularitas, sed humanitas, & animalitas. Secundus sensus est, quidquid est in re est singulare, idest quidquid est in re habet esse singularizatum, & hoc modo est apud peripateticos verissima, vndè argumentum si debet esse tribus terminis, maior est falsa in primo sensu, in secundo autèm conceditur totum argumentum. Ens siquidem primo cognitum non habet esse reale, nisi in singularibus. Quæ autem addit arguens in probatione minoris, quantum veritatem habeant, alibi patebit. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad quartum Argumentum Trombetæ.*

Arguit quinto Caiet. contra aliud dictum S.Doct. ex Trombeta. Ista propositio, scilicet intellectus noster procedit de potentia ad actum, assumitur à S.Tho. ad probandam illam conclusionem, scilicet, magis vniuersale prius intelligitur; aut ista propositio conclud t nihil ad propositum, aut ipsa simplicitèr est falsa, quià si intelligit, quod intellectus prius intelligat aliquid in potentia, quàm in actu, ipsa est vera, sed non ad propositum, concedo enim quod intellectus prius intelligit speciem specialissimam in potentia, quam in actu, sed ex hoc non habetur quod prius intelligat genus, quàm speciem. Si autèm intelligat, quod prius intellectus procedit de potentia ad actum idest de notitia imperfecta ad perfectam ipsa non est vniuersalitèr vera, vt patet cum proceditur à notitia præmissarum, ad conclusiones, & à notitia causæ ad effectus notitiam, & per hoc patet etiàm illud falsum scilicet quod intellectus perprius peruenit ad actum imperfectum quàm perfectum: nàm aer illuminatus non prius imperfectè, deindè perfectè illuminatur à Sole; similitèr intellectus prius recipit actum, quam habitum: & tamen actus est perfectior habitu, vndè ad hoc quod propositio sit vera, opportet probare ordinem essentialem actus incompleti ad actum completum. *Argumentum quintum Trombetæ allatum à Caiet. ex Trombeta loc. cit. de ente & essentia.*

19. Resp. Caiet. quod S.Tho. intelligit illam propositionem neutro illorum modorum præcise. sed hoc modo, intellectus exiens de potentia ad actum vltimatè perfectum transiturus per multos actus medios, prius peruenit ad actum imperfectum quàm perfectum, & habetur ista propositio ex 8. Phys. & 9. Met. & in libro secundo de partibus animalium, quod priora via generationis sunt imperfectiora, sub ergo illa maiori subsumatur hæc minor, sed intellectus noster est exiens de potentia ad actum vltimatè perfectum (puta cognitionem distinctam speciei specialissimæ) transiturus per multos actus intermedios, ergo prius peruenit ad actum imperfectam, quam perfectum: Minor est euidens, eoquod cognitiones generum ab omnibus conceduntur actus intermedij, & sic ratio concludit quod prius magis vniuersale, quam minus vniuersale distinctè cognoscamus, quod intendebat S. Doctor: sed arguens deceptus est, quià credidit S.Doct. loqui de cognitionibus confusis actualibus, cùm sicut supradictum est loquatur in illo art. 3. loc. cit. de cognitione confusa virtuali ipsius speciei, & distincta eiusdem, & generis: Cognitio enim distincta actualis generis appellatur ibi confusa ipsius generis, & specierum, eo quod confusè in illa species, & generis potestas cognoscantur. *Resp. Caiet. ad quintum Argumentum.*

20. Ad

Resp. ad primā Instantiam Argumenti ex Caietano.

20. Ad primam instantiarum Resp. Caiet ex secunda, & tertia adnotatione suprà, quod præmissæ non sunt priores conclusione via generationis tantùm, sed etiàm ordine causalitatis effectiuæ vt dicitur secundo Phis. 31. & ideò sufficit, quod notitia earum sit inperfectior secundum quid: vndè etiàm in genere causæ materialis collocantur 2. Phys. ibidem, & quinto Met. Idem dico ad secundam de processu notitiæ causæ ad effectum. De aere illuminato non est ad propositum: quià illuminatio non est successiua, conceptus verò generis, & speciei sibi succedunt. Falsum quoq; est, quod actus præcedens habitum, sit simplicitèr habitu perfectior, licet hoc sit verum de actu elicito ab ipso habitu, vt habes p. eth. talis autèm est posterior habitu. Ordo quoque essentialis conceptus generici ad specificum satis sufficientèr notus in notitia distincta est ex dictis ibidem: vndè non opportebit aliter laborare. Ità Caiet.

Argumentum sextum Trombetæ allatum ex Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

Arguit sexto Caiet. contrà aliud dictum S. Doct. ex Trombeta scilicet quod notitia in vniuersali, est notitia incompleta.

Demonstratio vniuersalis est potior demonstratione particulari, ergo notitia in vniuersali, quæ acquiritur per demonstrationem vniuersalem, est potior notitia particulari.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

21. Resp. Caiet. ad hæc dico quod argumentum peccat per fallaciam æquiuocationis illius termini vniuersale. Arist. enim vocat demonstrationem vniuersalem illam, qua passio de suo proprio subiecto scitur, & hoc tàm in passionibus genericis, quam specificis: & vult dicere, quod potior est notitia illa, quam acquirimus per demonstrationem demonstrantem passionem de suo subiecto primo quàm illa, quæ fit per demonstrationem, qua illa passio demonstratur de partè subiecta primi subiecti. Nos autèm dicimus quod cognoscere hominem in animali est cognoscere hominem imperfectius, quàm cognoscere hominem in se ipso, & hanc vocamus cognitionem in vniuersali. Manifestum est igitur omni habenti ingenium quod nostra dicta, Aristoteli non repugnant. Aliud est enim dicere, A, cognoscitur in vniuersali, & A, demonstratur demonstratione vniuersali. Primo modo, A, non cognoscitur in semetipso, sed in suo superiori; Secundo modo, A, in se ipso cognoscitur inesse suo primo subiecto. Ità Caietanus.

Argumentum septimum Trombetæ allatum ex Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

Arguit septimo Caiet. ex Trombeta contrà aliud dictum S. Doct. scilicet notitia in vniuersali est notitia secundum quid, & in potentia: propterea quod in ipso vniuersali intelliguntur particularia sub quadam confusione, ex quo infertur ergo notitia in vniuersali est notitia confusa.

Arguit sic. Illa probatio nulla est, quæ procedit secundum fallaciam æquiuocationis. Ista est huiusmodi ergo, &c. Declaratur minor, quià aliud est loqui de notitia actuali obiecti, & aliud de notitia virtuali eorum, quæ in ipso includuntur, licet enim notitia virtualis particularium in vniuersali sit confusa, notitia tamen actualis ipsius vniuersalis est distincta: & quià ab his, quæ actualitèr confunduntur in obiecto, attenditur confusio notitiæ, cum notitia specificetur ab obiecto, & ab his, quæ sunt intrinseca, non debet dici notitia confusa, sed distincta.

Resp. ad Argumentum sept.

22. Resp. Caiet. Ad hæc dico, quod iste non intelligit S. Th. qui vult, quod notitia distincta animalis, vt est totum diffinibile sit notitia confusa animalis, vt est totum vniuersale, & consequentèr notitia confusa specierum, & ideò non accidit æquiuocatio. Fatemur enim, quod notitia, qua actualitèr fertur intellectus in ipsum animal vt vniuersale, & non in suas species est notitia confusa animalis, vt totum vniuersale est, & non solum specierum eius, vt expresè ibi dicit S. Tho. vndè contingit animal simul esse notum distinctè, & confusè diuersimodè vt supra dictum est, nec opportet quod si simul istæ duæ notitiæ inueniantur, sint eædem, cum

etiàm

etiàm separentur, puta cum, & actualitèr, & virtualitèr animal distinctè cognoscitur. Quod autèm addit quod talis notitia non debet dici confusa, falsum esse ostenditur ex eo, quod minor est confusio actualis, quàm potentialis. Quod vltimo additur, quod notitia specificatur ab obiecto, & eius intrinsecis ad propositum non est: confusio enim, & distinctio non sunt species cognitionum: alioquin cognitio confusa, & distincta eiusdem obiecti non essent eiusdem speciei: & sic notitia non specificaretur ab oqiecto; vndè assumptum eius implicat contradictionem in proposito. Ità Caiet.

Arguit vltimò Caiet. ex Trombeta contrà aliud dictum S. Doct. scilicet quod sensus prius cognoscat magis commune, quàm minus commune, quod est tertia conclusio suprà. *Arg. vltimum cõtrà v't dictum S. Doct. ex Caiet. loc. cit. de ente, & essentia scilicet contrà tertiã Conclusionem.*

Arguit sic. Sensus primo cognoscit, quod species sensibilis primo representat: sed species sensibilis primo representat singulare speciei specialissimæ posita debita distantia ergo, &c. Minor probatur species sensibilis primo representat obiectum sub ea ratione, qua imprimitur sensui, sed imprimitur ab obiecto sub ratione naturæ specificæ; tùm quia est actualior, & perfectior; tùm quià species sensibilis est naturalis similitudo causata ab obiecto representans ipsam adæquatè secundum rationem sibi essentialis competentem: ergo magis representat ipsum ratione, quæ sibi essentialius, & perfectius competit; quàm sub ea ratione, quæ sibi remotè, & minus principalitèr competit.

23. Resp. Caiet. ad hoc argumentum, & ad alia si quæ sunt, premittendo quod S. Th. non dicit, quod semper sensus prius cognoscat magis commune, quàm minus commune. Verba enim sua sunt illa. Et quià sensus exit de potentia ad actum, sicut & intellectus, idem etiàm ordo cognitionis apparet in sensu: nàm primo secundum sensum dijudicamus magis commune, quàm minus commune, & secundum locum, & secundum tempus. Ex quibus verbis non habetur nisi, quod sensus primò secundum locum, & tempus cognoscit singulare magis communis, & non habetur quod sempèr ità sit. Vndè argumenta illa allata à Trombeta non sunt contrà S. Doct. licet non concludant. *Resp. Caiet. ad Argumentum.*

24. Falsum est enim quod species sensibilis primo representat singulara speciei specialissimæ; & eius probatio est falsa scilicet quod species sensibilis sit primo impressa natura specifica: nàm species sensibilis primo imprimitur à per se primo obiecto sensus: nullius autèm sensus obiectum primum est species specialissima, vt patet discurrendo: propterea species visibilis imprimitur primo à visibili in eo quod coloratum, & non ab ipso in eo quod est album vel nigrum, nec obstat quod albedo sit actualior colore, quià hoc non sufficit, sed requiritur, quod sit primum obiectum potentiæ. Nec est verum quod assumit scilicet quod essentialius insit sensibili natura specialissima, quàm natura generis; immò huic visibili vt sic essentialior est color, quàm albedo siuè nigredo, quod patet ex hoc, quod sublata albedine, siuè nigredine visibile remanet, non autèm æconuersò. Ità Caiet.

Confirmat Caiet. argumentum supra ex Trombeta tali ratione. Quæcumque sunt indistincta omninò secundum rem, si vnum terminat aliquam actionem realem, & reliquum terminabit eamdem: sed natura magis communis, & minus communis sunt huiusmodi, ergo &c. & hoc supposita debita approximatione ad sensum. *Confirm. Argumenti ex Caiet.*

25. Resp. Caiet. quod maior est falsa, quo ad actiones nihil reale ponentes in suis terminis, quales sunt actiones immanentes: possunt enim intelligere Dei sapientiam, non intelligendo eius bonitatem, & quando dicitur à Trombeta quod natura communis est eadem re, & ratione singularitati, cui repugnat ratio mouendi, probando *Resp. ad Confirmationem Argum. ex Caiet.*

do

do quià natura, & singulare non distinguntur realitèr non ex natura rei apud te, nec ratione, quod probatur quia distinctio rationis sequitur actum intellectus: in illo autèm priori nullus actus intellectus est. Non valet, inquit, Caiet. quià natura talis puta color, & non natura communis idest color communis est ratio mouendi, negatur tota prædicta instantia, nàm apud S.Tho.p.p.q.2. art. 3. in rebus materialibus, natura, & singularitas distinguntur realitèr; & distinctio rationis licet actualitèr sit post sensationem, fundamentalitèr tamèn præuenit ipsam, & hoc sufficit. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

QVÆSTIO SECVNDA PRIMI PHYS.

Vtrum inter vniuersaliora Ens sit primo cognitum à nostro intellectu

Ex Caiet. in quæstione prima proœmij super Caput primum de Ente, & Essentia, & alibi in suis Commentarijs.

Aperitur mens Caiet. Thomistis circà Titulum.

EMinentissimus Caietanus in præcedenti quæstione declarauit quodnam sit primo cognitum à nostro intellectu cognitione distincta actuali, & virtuali. In præsenti quæstione eodem loc. cit. de ente, & essentia determinat de cognitione confusa, an ens sit primo cognitum vi originis à nostro intellectu. Et quià hanc quæstionem tangit Caiet. cum S. Doct. in p. p. q. 5. art. 2. quærendo ibi S. Doct. Vtrum bonum secundum rationem sit prius, quàm ens, ex hoc loco extrahenda est doctrina Caiet. & reponenda hic, vt firmentur Discipuli Thomistæ contrà Scotum in sententia S. Thomæ, & Caiet.

Doctrina prima Caiet. circà ly ens ex cap. p. de ente, & essentia, q. p.

26. Adnotat primo Caiet. de ente, & essentia loc. cit. circà ly ens, quod ens sub triplici conditione potest terminare actum intellectus. Primo vt habet conditionem istam, quæ est abstractio totalis, non dico à singularibus, sed à speciebus, & à generibus. Secundo modo vt habet conditionem istam, quæ est abstractio formalis similitèr à speciebus, & generibus; Tertio modo vt neutram istorum conditionum habens. Abstractum tamèn ens à singularibus primo modo non est pertinens ad hanc quæstionem: quià ipsum vt sic est totum vniuersale; nos autèm loquimur de cognitione confusa actuali non virtuali. Secundo modo ens est terminus metaphysicalis: & fortè ad huc viris doctissimis non innotuit. Tertio modo ens est primum cognitum, & nuncupatum est ens concretum quidditati sensibili, quià non est separatum aliqua dictarum abstractionum à quidditate specifica, vel generica. Ità Caiet.

Doctrina secunda Caiet. loc. cit. circà cognitionem confusam in abstractionibus factis ab Intellectu loc. cit.

27. Adnotat secundo Caiet. ad horum pleniorum intelligentiam, quod sicuti duplex est compositio scilicet formæ cum materia, & totius cum partibus: ità duplex est abstractio per intellectum scilicet qua formale abstrahitur à materiali; & qua totum vniuersale abstrahitur à partibus subiectiuis. Secundum primam quantitas abstrahitur à materia sensibili; iuxtà secundam animal abstrahitur à boue, & leone: Primam voco abstractionem formalem, secundam verò voco abstractionem totalem, eo quod, quià abstrahitur prima abstractione, est vt forma eius, à quo abstrahitur; Quod verò abstrahitur secunda abstractione, est vt totum vniuersale respectu eius à quo abstrahitur.

Diffe-

Differunt autèm hæ duæ abstractiones quadruplicitèr. Primo quià in abstractio-
ne formali seorsim vterque conceptus completus habetur, eius, scilicet, quod abstra- *Differentia pri-*
hitur, & eius à quo abstrahitur idest formalis, & materialis, ità quod conceptus *ma inter duo*
alter alterum non includit. Linea enim in eo quod linea habet completè suam dif- *abstractiones in-*
finitionem non includentem materiam sensibilem: & æconuersò materia lineæ sensi- *tellectus, loc. cit.*
bilis habet completè suam diffinitionem non includentem aliquid lineæ in eo quod *de ente.*
linea: alitèr diffinitiones naturales abstraherentur à materia sensibili. In abstra-
ctione ve ò totali non remanet seorsim vterq; conceptus completus, ità quod alter
alterum non includit, sed vnus tantùm, eius, scilicet, qu d abstrahitur. Quando
enim abstraho animal ab homine, non præscindunt se inuicem conceptus hominis,
& animalis: sed tantùm conceptus animalis non includit conceptum hominis: homo
enim non est intelligibilis sine animali. Fundamentum huius differentiæ est, quod
illa abstractio fit per considerationem alicuius, quod est de ratione illius materiæ,
& perconsiderationem alicuius, quod est de ratione inferioris, & per remotionem
idest non considerationem alicuius, quod est de ratione illius met inferioris: Ab-
strahitur enim animal ab homine per hoc, quod intellectus considerat in homine
animal, & non rationale, quorum vtrumq; est de ratione hominis. Illa autèm abstra-
ctio non fit per considerationem alicuius, quod sit de ratione illius materiæ, & per
non considerationem alicuius, quod sit de illius ratione, sed potius fit per separatio-
nem eorum, quæ sunt de ratione formali, ab his quæ sunt de ratione materialis, &
æ conuersò, vt exemplum datum ostendit.

28. Secundo differunt, quià per abstractionem formalem oritur in eo, quod ab-
strahitur, actualitas, distinctio, & intelligibilitas. In abstractione verò totali ori- *Differentia se-*
tur in eo, quod abstrahitur potentialitas, confusio, & minor intelligibilitas. Ter- *cunda ex Caiet.*
tio differunt, quià in abstractione formali, quanto aliquid est abstractius, tanto est *loc. cit. & tertia.*
notius natura; in abstractione verò totali, quanto est abstractius tanto est notius
nobis. Fundamentum harum differentiarum est, quià abstractio formalis fit per se-
parationem à materialibus potentialibus, & huiusmodi; abstractio autèm totalis fit
per separationem à specificis actualitatibus, à quibus quanto aliquid est abstractius,
tanto est potentialius cum genus contineat potestate inferiora, & tanto est minus in-
telligibile; cùm actus secundum se sit notior potentia 6. Met.

29. Quarto differunt quià pœnes diuersos modos abstractionis formalis scientiæ
speculatiuæ diuersificantur, vt patet. 6. Met. Abstractio autèm totalis communis est *Differentia 4.*
omni scientiæ. Proptèr quod Metaphysicalia vt sic non comparantur ad naturalia per *ex Caiet, loc. cit.*
modum totius vniuersalis ad partes subiectiuas, sed vt formalia ad materialia, sicut
& mathematicalia: licet enim gradus Metaphysicales sint vniuersaliores alijs, & com-
parari possint ad alia, vt ad partes subiectiuas, eo quod eidem potest vtraque abstra-
ctio conuenire; in quantùm stant sub consideratione Metaphysicali, non sunt vniuer-
salia respectu naturalium, sed formæ; & naturalia sunt earum materia: hoc est val-
dè notandum.

Patet ergò quo modo Ens quandoq; habet abstractionem formalem, quando, scili-
cet, cum præcisione cæterarum rationum genericarum, & specificarum accipitur, &
quomodo quandoq; habet abstractionem totalem, quando, scilicet, vt totum vniuer-
sale potestate includens cætera genera, & species consideratur. Patere etiàm potest
quod nunc intendimus, quomodo ens sit concretum quidditati sensibili, cùm, scili-
cet, neutra illorum abstractionum fulcitur, sed in quidditate sensibili abstracta à sin-
gularibus, absq; aliqua separatione, inspicitur, & sic est manifestum, quid signifi-
cetur nomine entis concreti quidditati sensibili. Ità Caiet.

30. Ad-

Doctrina tertia Caiet. circà cognitionem confusam loc. cit. de Ente.

30. Adnotat tertio Caiet. loc.cit. de Ente, & Essentia, quod cognitio confusa prima est illa qua cognoscitur vt totum diffinibile, non resoluendo in partes diffinitiuas. Secunda cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totum vniuersale, non componendo ipsum cùm partibus subiectiuis: Differunt hæ duæ intèr se tripliciter primo quià prima cognitio respicit obiectum, vt totum diffinibile; secunda verò vt totum vniuersale. Secundo quià prima nullam notitiam eiusdem obiecti secum compatitur; secunda verò compatitur secum notitiam distinctam eiusdem obiecti in eo quod totum diffinibile, vt pote non sibi oppositam: similitèr enim ignoro animal in suis speciebus, & noui quid sit animal. Tertio quià prima naturalitèr est prior secunda ex quibus pono verbalem differentiam. Prima vocatur cognitio confusa actualis: secunda verò notitia virtualis confusa. Et merito: eo quod prima cognitione cognoscitur confusè, id quod actualitèr reperitur in obiecto. Secunda verò cognoscitur confusè id quod virtualitèr in obiecto includitur.

Cognitionū confusarum coordinationes ex Caiet. cap. de Ente loc. cit.

31. Coordinationes harum cognitionum sunt illæ, & in prima cognitionum confusarum actualium, est cognitio, qua cognoscitur substantia in se ipsa non penetrando tamèn: & cognitio, qua cognoscitur corpus, & qua corpus animatum vt sic, & qua animal vt sic, & qua homo vt sic, semper absq; penetratione, idest, absque hoc quod habeatur ratio formalis clara, & resoluta. In secunda verò coordinatione confusarum virtualium, sunt cognitiones oppositæ supradictis, scilicet, qua substantia, & qua corpus, & qua animal, & qua homo quidditatiuè cognoscuntur. Cognitio igitur confusa actualis diffinitur sic, quod est illa qua citrà penetrationem cognoscitur, id, quod actualitèr inuenitur in obiecto, & cognitio confusa virtualis, est qua obiectum secundum id quod virtualitèr in ipso includitur non perfectè cognoscitur. Ita Caiet. qui subiungit. Et quià ordo cognitionum confusarum actualium est via originis prior cæteris, nil aliud dubitamus in hac quæstione nisi, quid sit primum cognitum in ordine cognitionis confusæ actualis. Ità Caiet.

Opinio Scotistarum recitata à Caiet. in cap. de Ente loc. cit.

32. Quo ad secundum Caiet. in de ente, & essentia loc. cit. de sua sententia circà primum cognitum discurrit sic. Stat ergo itèr nos, & Scotum difficultas in hoc, an in ordine cognitionis confusæ actualis via originis primum cognitum sit ens, an specialissima. Et Scotus p. sent. dist. 3. q. 2. ponit quod primum cognitum cognitione confusa actuali est species specialissima, cuius singulare efficacius primò mouet sensum. Contrà ipsum stat D. Th. qui tenet, quod ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali. Et in p.p. q. 5. art. 5. Caiet. concludit, quod ratio D. Th. ibi allata de ente, & Bono probat non solum quod ens sit priùs secùndum rationem ipso bono, sed quod sit prius omnibus alijs vt patet. Ità Caiet.

Prima Conclusio Caiet. præambula ad quæsitū ex cap. 1. de Ente, & Essentia.

33. Quoad tertium pro præsupposito principio omnium, quæ dicenda sunt, ponit contrà Scotum qui negat cum suis discipulis Ens posse cognosci cognitione confusa actuali sed dumtaxat distincta, hanc conclusionem.

Prima Conclusio Caiet. vt præambula ad responsiuam quæsiti est hæc. Ens potest cognosci cognitione actuali confusa. Probatur sic à Caietano. Quandocumq; intellectus fertur in ens actualitèr ipsum concipiendo, & nesciendo separare ens a substantia, & accidente, habet de ente cognitionem confusam actualem: sed multorum hominum intellectus est huiusmodi, ergo &c. Maior sic manifestatur quià cum intellectus actualitèr fertur in ens, & tamèn nescit separare propriam eius rationem, à rationibus proprijs substantiæ, & accidentis, aut habet cognitionem confusam, aut distinctam, non distinctam, quià effectus inseparabilis cognitionis distinctæ, est scire illius obiecti differentiam ab alijs, ergo confusam, & cum positum sit, quod

sit

sit cognitio actualis sequitur, quod sit cognitio confusa actualis. Minorem experientia docet, videmus enim multos per plures annos exercitatos in studijs, adhuc nescire distinguere rationem propriam entis à substantia, & accidente, quos nescire habere conceptum actualem entis, factuum est dicere, & contrà sensum: considerant enim ens secundum id quod actualitèr in se habet, & totum attingunt: sed quià totalitèr non comprehendunt, ideò nesciunt ipsum ab alijs separare, restat igitur vt præsuppositum in nostra conclusione responsiua pro Scoto sit falsum, scilicet, quod ens sola cognitione actuali distincta cognoscatur. Ità Caiet. contrà Scotum.

34. Secunda Conclusio Caiet. responsiua quæsiti. Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali. Prima pars circà ly ens habetur à S. Doct. & Auicenna dicentibus, quod ens est id quod intellectu nostro primo imprimitur. Stante hoc. Probatur modo tota conclusio à Caiet. sic. Conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis, sed conceptus actualis confusus entis, est conceptus imperfectissimus omnium, ergo est primus via originis. Maior patet quia imperfectiora sunt priora via generationis 9. Met. Minor est etiàm de se euidens, quià omnis alius conceptus cùm addat ad entis conceptum, est perfectior illo, sicuti totum sua parte. *Secunda Conclusio Caiet. responsiua quæsiti ex cap. de Ente loc. cit.*

Resp. Antonius Trombeta, quod perfectio conceptus est duplex, profectior obiectalis, & perfectior euidentiæ, ille conceptus est perfectior obiectalis, qui habet obiectum perfectius obiectiuè positiuè: ille autèm est perfectior euidentèr, qui habet obiectum pauciora includens ex Arist. in proæmio Met: Vndè si in argumento sit sermo de perfectione obiectali, maior est falsa, & minor vera; si de perfectione euidentiæ, maior est vera, & minor falsa. *Resp. Trombetæ ad rationem Caiet.*

35. Caiet. fugat hanc. Resp. sic. Probo quod minor sit vera de perfectione euidentiæ loquendo, ità quod conceptus actualis entis sit imperfectissimus, quo ad euidentiam. Ille conceptus est omnium ineuidentissimus, sub quo intellectus noster positus magis remotus est à cognitione aliorum omnium, quàm sub quocumq; alio conceptu; at sic est, quod conceptus actualis entis confusus est huiusmodi, scilicet, quod intellectus habens ipsum, magis distat ab aliorum cognitione, quam habens quemcumq; alium conceptum, ergo conceptus actualis confusus entis est ineuidentissimus omnium. Maior patet ex eo quod euidentia conceptus, cùm sit propria perfectio intellectus, quanto maior est, tanto propinquum magis intellectum reddit ad aliorum cognitionem, præsertim cum intellectus ex euidentibus ad ineuidentia naturalitèr procedat. Minor verò probatur sic. Quandocumq; sunt aliqui duo conceptus, quorum vnus actualitèr alterum includit, & non æ conuerso, intellectus habens illum, qui actualitèr includit alterum, est in proximiori dispositione ad cognoscendum reliquum, quàm æ conuerso: modò conceptus entis ità se habet ad alios, quod ipse alios non includit, alij verò ipsum actualitèr includunt: ergo intellectus habens conceptum entis magis distat ab aliorum cognitione, quam habens quemcumq; alium conceptum. Et confirmatur per Scotum dicentem quod pars rationis actualitèr intellectæ est satis proxima intellectui, adeò vt proximius esse non possit. Illud autèm, quod adducitur ex proæmio Met. quod euidentia attenditur pœnes obiectum pauciora actu includens, ad propositum non est, quoniàm certitudo illa est certitudo obiectalis: sermo autèm noster est de euidentia se tenente ex parte intellectu: ex talibus enim euidentibus, & certis procedit intellectus ad sibi ineuidentia, & incerta. Ità Caiet. *Fuga Respons. Trombetæ ex Caiet. qui firmat suà sent. ea cap. de Ente loc. cit.*

36. Secundo probatur à Caietano eadem conclusio sic. Cognitio primorum principiorum est prima cognitio complexa; ergo cognitio entis, est cognitio incomplexa. *Probatio seù ratio secūda Caiet.*

 xa.

pro secunda Conclusione ex cap. de Ente loc. cit.

xa. Antecedens patet ex eo, quod cognitio, quæ est à natura præcedit eam, quæ est ex industria, & ex eo, quod in omnium sunt notitia etiàm puerorum, & ex eo quod præsupponitur ad quodlibet discere, vt in p. post. Consequentia probatur quià cum Ens sit terminus ille, ex quo conficitur principium primum, si ens non esset primum cognitum sed aliquid aliud, posset tunc fieri alia complexio ab intellectu ad huc non habita notitia principij, &c.Ità Caiet.

Ratio tertia Caiet. pro 2. Conclusione ex p. p. q. 5. art. 2.

Probatur tertio à Caietano eadem Conclusio cùm D. Th. ex p. p. q. 5. art. 2. sic. Vnumquodque est cognoscibile in quantum est in actu: ergo ens est proprium obiectum intellectus, ergo est primum intelligibile, ergo primo cadit in conceptione intellectus, ergo est prius secundùm rationem, quàm quodcumque aliud. Antecedens probatur ex 9. Met. Prima secunda, & tertia consequentia relinquuntur per se notæ, quarta probatur quià ratio significata per nomen est id, quod concipitur de re ab intellectu, sicuti sonus est primum audibile. Omnia clara sunt. Ità Caiet.

Tertia Conclusio respons. quæsiti contra opinionem Scoti ex Caiet. cap. de Ente loc. cit.

37. Tertia Conclusio responsiua quæsiti; contrà Scotum ponitur à Caiet. hoc modo sic. Species specialissima non est primum cognitum: Probatur à Caietano sic. Species specialissima non est obiectum confusissimum simpliciter, ergo cognitio eius actualis confusa non est prima simplicitèr, & consequentèr ipsa non est primum cognitum. Consequentia tenet ex positione aduersa dicente, quod ideò species specialissima est primum cognitum, quià est confusissima. Antecedens probatur sic. Genus est confusius specie ergo ipsa non est confusissima: consequentia ista iterùm est nota. Antecedens probatur quod plura continet est confusius: Genus plura continet quàm species: Animal enim continet plura, quàm homo, ergo &c.

Resp. Scotistarum ad rationem Caiet.

Resp. Scotistæ, quod continentia est duplex, quædam actualis, quædam potentialis; & id est confusius, quod plura continet actualitèr non potentialitèr: modò genus continet plura in potentia: species autèm in actu, & ideò species est confusior.

Fuga Resp. Scotistarum.

38. Caiet. fugat hanc Resp. sic. Confusius est, quod continet plura sine ordine, quàm quod continet plura cum ordine: sed continens actualitèr continet plura ordinatè: species enim ordinatè continet partes diffinitiuas, continens autèm in potentia continet plura sinè ordine: ergo continens plura potentialitèr est confusius.

Resp. Trombetæ ad rationem.

Resp. Trombeta, quod genus continet species ordinatè, & non sinè ordine, eo quod non respicit eas, nisi medijs differentijs, quæ sunt valdè ordinatè.

Fuga Responsionis.

39. Caiet. fugat hanc instantiam sic. Genus continet species, & differentias non in actu, sed in potentia, vt dicit Porphyrius, ergo continet eas indistinctè, ergo non ordinatè tenet consequentia quià actus est qui distinguit, ex 7. Met. & ordo absq; distinctione non est imaginabilis, etiàm si fingendi detur licentia. Quod autèm dixit, genus, scilicet, non respicere species, nisi medijs differentij ordinatis non iuuat, eo quod non solum species, sed etiàm differentias intèr se ordinatas, genus absq; ordine continet, vt probatum est. Et confusio non sequitur continentiam plurium, vt Scotistæ fingunt, sic enim vniuersum esset maximè confusum, sed continentiam plurium sinè ordine. Vbi pluralitas sinè ordine, dicit Prouerb. ibi confusio, &c. Ità Caiet.

Quarta Conclusio Caiet. ex cap. de Ente loc. cit.

Quarta Conclusio Caiet. Intèr conceptus actuales confusos prædicatorum quidditatiuorum, non est essentialis ordo originis.

40. Probatur à Caietano sic. Quandocumque sunt aliqui conceptus essentialitèr ordinati ordine originis, impossibile est extremos generari non generatis intermedijs. Ista maior patet de se alioquin non esset ordo originis essentialis intèr illos: sed de facto habemus conceptus confusos actuales extremorum absq; intermediorum conceptibus: ergo non est intèr eos ordo essentialis originis. Minorem ipsa experientia declarat; experimur namq; nos concipere hominem, & substantiam, & tamen

mèn

imèn intermedia ignoramus, non solùm distinctè, sed confusè: caremus enim conceptibus proprijs eorum, quibus actualitèr in ipsa dirigatur acies intellectus, & non solùm ignoramus resoluere ipsa in partes diffinitiuas. Et quià hæc ratio conuincit me, ideò solam adduco, ex hoc patet defectus Scotistarum dicentium, quod est ordo essentialis intèr conceptus confusos: non enim possunt soluere hanc rationem. Ità Caietanus.

Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà rationem 3. probatiuam 2. Conclusionis principalis ex p. p. q. 5. art. 2. sic. *Argumentum vnicum Caiet. contrà rationem tertiam 2. Conclusionis ex p. p. q. 5. art. 2.*

Ex illa tertia probatione supra, aut intenditur inferre, quod eus sit prius ordine rationis secundum se, aut quo ad nos. Si secundum se, hoc repugnat dictis in q. 3. art. 1. ibi enim dicitur, quod Deo nihil est prius, neq; secundum se, neq; secundùm intellectum. Ex hoc autèm sensu sequitur quod ens sit prius Deo secundum rationem: quoniàm si ens est primum intelligibile, sicùt sonus primum audibile, oportet cætera esse posteriora intelligibilia, vt patet ex p. post. quod enim primo conuenit alicui, cæteris conuenit ratione illius. Si quo ad nos, tunc non satisfit quæsito, vertitur namq; in dubium, an ratio entis secundum se sit prior quacumque alia ratione puta Boni &c. & non, quo ad nos, an sit prior. Ità Caiet.

41. Resp. Caiet. 1. quod ens potest comparari ad alia, quæ sunt sui ordinis idest ad alias rationes formales, & potest comparari ad res ipsas subsistentes. Si entis ratio comparetur ad alias rationes accipiendo rationes rerum, vt distinguuntur contrà ipsas res, sic ens primum intelligibile secundum se &c. Sunt posteriora secundum intellectum, sed intèr ly cætera, non clauditur quod quid erat esse Dei: quoniàm non potest ità esse ratio, quin sit res, quià non potest abstrahere ab existenti, cum sit ipsum esse. Sed si entis ratio comparetur, & ad rationes, & ad res, tunc non est simplicitèr primum intelligibile: sed Deitas est primum intelligibile. Ità quod intelligibilitas priùs inest Deo, quàm enti, imò inest enti, quià inest Deo, non enim Deus participatiuè est intelligibilis. Et sic vterq; textus saluatur, quoniàm ibi Deus absolutè dicitur primum secundùm intellectum: in q. 5. verò, ens dicitur primum intèr rationes formales. *Resp. 1. Caiet. ad Arg. ex p. p. loc. cit.*

42. Resp. Caiet. 2. quod hic accidit amphibologia in ly quo ad nos: quoniàm potest determinare, vel ordinem, vel intelligibilia. Si determinat ordinem, tunc distinguitur contrà ordinem secundum se: & sic procedit obiectio, & respondendum est, quod intenditur de ordine secundum se quoniàm non est hic quæstio de ordine cognitionis, quid, scilicet, priùs à nobis cognoscatur, sed de ordine rationis, cuius, scilicet, ratio formalis sit prior. Si determinat intelligibilia, tunc distinguit intelligibilia nostra, à non intelligibilibus à nobis, & in hoc sensu dicendum est, quod hic quæritur de intelligibilibus à nobis, scilicet, nostris, & quo ad nos: ità quod sermo præsens est de ordine secundum se nostrorum intelligibilium: & secundum hoc, ens est primum secundum se intelligibile, intèr intelligibilia à nobis. Deus autem est primum intelligibile simplicitèr. Et hic sensus confert, seù consonat litteræ illius Art. loquenti de obiecto Intellectus nostri dùm significare per vocem admiscet. Quamuis hoc non cogat, quin sequentia de Intellectu absolutè in quantum Intellectus, cuius tantùm obiectum proprium constat esse ens, interpretanda sint. Omnis namque Intellectus secundùm naturam propriam sumptus, sortitus est aliud proprium obiectum, Deus siquidem Deitatem; Angelicus propriam substantiam; Humanus quod quid est rei materialis, seù ens concretum quidditati sensibili, vt suis locis patebit. Ità Caiet. p. p. loc. cit. *Resp. 2. Caiet. ad Arg. ex p. p.*

Arguit Caiet. contrà 3. Conclusianem ex Scoto sic. Causæ naturales non impeditæ *1. Arg. Caiet.*

contrà 3 Conclusionem ex Scoto in de ente, & essentia loc. cit. ditæ producunt primo perfectissimum effectum, quem possunt primo producere; patet ista quià agunt secundum vltimum potentiæ suæ: sed agentia ad primum actum Intellectus sunt causæ naturales non impeditæ, ergo &c. sed talis effectus non est nisi conceptus actualis confusus speciei specialissimæ ergo &c. Probatur hoc vltimum assumptum, quià si talis conceptus, scilicet, perfectissimus sit conceptus communioris, sequitur, quod nunquàm illa agentia poterunt producere conceptum speciei specialissimæ. Tenet consequentia quià nunquàm aliqua potentia potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu: conceptus autèm speciei specialissimæ est perfectior conceptu communiori, sicuti totum sua parte.

Confir. Arg. 1. ex Trombeta. Confirmatur à Trombeta. Quandocunq; sunt aliqua duo Agentia naturalia æquè approximata passo debitè disposito, id quod est actualius, præuenit id, quod est minùs actuale in agendo ergà passum, sed rationes obiectiuæ speciei specialissimæ, & cuiuscumq; superioris sunt huiusmodi, scilicet, quod species specialissima est actualior, ergo species specialissima priùs producit effectum suum quàm Genus.

Resp. Caiet. ad Arg. 1. Scoti. 43. Resp. Caiet. ad Argumentum Scoti negando illud vltimum assumptum, scilicet, quod perfectissimus quem possunt producere agentia ad intellectionem sit conceptus specificus. Dico enim, quod perfectissimus, quem tunc possunt, est conceptus entis, imò nullum alium possunt pro tunc, & quando instatur, quod sic nunquam produceretur conceptus specificus, non valet consequentia ad cuius probationem dicitur, quod nulla virtus potest in perfectiorem effectum suo effectu perfectissimo simplicitèr: quælibet tamen virtus potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo in quem potest pro aliquo priori quià ille non est perfectissimus nisi secundum quid. Exemplum. Virtus generatiua Leonis non potest in perfectiorem effectum, quàm sit Leo, quià huiusmodi est eius effectus perfectissimus simplicitèr: potest tamen in effectum perfectiorem illo, quem producit in principio Actionis, quià tamen effectus fuit perfectissimus, quem pro tunc posset producere.

Resp. ad Confirm. Trombetæ. 44. Ad Confir. Resp. Caiet. quod Minor est falsa: nam Intellectus existens in pura potentia non est æquè dispositus ad conceptum specificum, sicut entis, non per positionem alicuius contrariæ dispositionis, sed propter ordinem conceptus generalissimi ad speciales; sicut materia prima omni contraria dispositione inconsiderata, non est æquè disposita ad formas specificas, & ad formam corporeitatis: sed opportet primò recipi formam corporeitatis proptèr ordinem formæ generalis ad speciales proptèr quod consueuit dici, quod est indisposita priuatiuè, & non contrariè. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

Arg. 2. Caiet. ex Scoto circà 3. Concl. loc. cit. de ente, & essentia. Secundo Arguit Scotus. Termini metaphysicales, vel vniuersalissimi, sunt vltimo actualitèr noti via doctrinæ: patet ista ex Auicenna p. Met. cap. 3. dicente, quod Metaphysica est vltima doctrinæ: sed termini isti sunt vniuersalissimi, ergo vniuersaliora non sunt priùs nota actualitèr.

Confirm. Arg. 2. ex Trombeta. Confirmatur à Trombeta, quià ordo scientiarum, quo ad nos attenditur penes ordinem cognoscibilium quo ad nos. Sic ergo Metaphysica est vltima quo ad nos, ergo termini sui erunt etiam vltimò noti quo ad nos.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. Resp. ad Argumentum Caiet. quod Responsio patet ex dictis: nàm termini Metaphysicales vt sic non ponuntur à nobis primo cognosci: sunt enim termini Met. abstracti abstractione formali: sed dicimus quod significatum huius termini ens concretum quidditati sensibili est primo cognitum. Ità Caiet.

Arg. 3. Caiet. ex Scoto circà tertiam loc. cit. Arguit 3. Caiet. ex Scoto sic. Si opporteret antè speciei conceptum, concipere vniuersaliora tunc supposito sensu in actu, & Intellectu soluto magnum temporis interuallum accideret antequam intellectus cognosceret speciem; tenet consequentia quià

quià sunt multa prædicata media intèr supremum, & infimum.

46. Resp. Caiet. quod non opportet in quacumque formatione conceptus specifici sempèr singillatim præformare conceptum confusum entis: sed sufficit ens primo omnium fuisse cognitum: in illo enim omnia virtualitèr concipiuntur. Vlterius dicitur, quod cum apud nos non ponatur ordo essentialis intèr istos conceptus confusos, non opportet tantum temporis interesse. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad tertium.*

Quarto Arguit Caiet. ex Antonio Trombeta sic. Id prius cognoscitur, quod est facilioris abstractionis: sed species specialissima est facillimæ abstractionis: ergo species specialissima priùs cognoscitur. Probatur Maior: quià cum Intellectus non intelligat nisi abstrahendo: sicuti se habet ad abstrahendum, ità se habet ad intelligendum; Minor patet quià facilior est abstractio à similioribus, quàm à dissimilioribus: indiuidua autem vnius speciei à quibus abstrahitur genus, seù quoduis superiùs, sunt similiora. *Arg. 4. Caiet. ex Antonio Trõbeta circà tertiam loc. cit.*

47. Resp. Caiet. quod species specialissima non est facilioris abstractionis, quam ens, loquendo de abstractione ad propositum requisita: sicuti enim ad conceptum confusum speciei specialissimæ, requiritur, & sufficit duplex abstractio: altera per actum Intellectus agentis, scilicet, separatio à singularibus: altera per actum Intellectus possibilis, scilicet, actualitèr intueri speciem, & non actualitèr intueri genus; ità ad conceptum confusum actualem entis duplex est abstractio necessaria: prima est à particularibus, quæ quidem fit, cum species quæcumque abstrahitur ab Intellectu agente; altera fit ab Intellectu possibili per hoc, quod in quidditate quacumque sibi primo præsentata actualitèr, primo concipit ens, non concipiendo actualitèr cætera, quæ in illo sunt; vndè tanta, & tàm facilis est abstractio illa entis, quàm facilis est abstractio speciei specialissimæ; imò abstractio ista entis facilior est: quià facilius est concipere actualitèr priùs sinè posteriori, quàm è conuersò. Ex quo patet quod abstractio illa de qua loquitur Argumentum non est necessaria ad cognitionem confusam. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad quartum.*

Arguit Caiet. 5. Id vniuersale priùs cognoscitur ab Intellectu, cuius singulare fortius mouet sensum: sed singulare speciei specialissimæ fortius, mouet sensum quàm cuiuscumque superioris singulare, ergo species specialissima primo cognoscitur ab Intellectu. Maior patet quià nostra cognitio Intellectiua nascitur ex sensitiua Minor probatur duplicicitèr, 1. Sensus mouetur à singulari, ergo maximè mouetur à singulari, per regulã Topicã sicut simplicitèr ad simplicitèr: sed maximè singulare, est singulare speciei specialissimæ, quià est determinatum non solùm determinatione singularitatis, sed etiàm naturæ determinatæ, non amplius determinabilis per aliam naturam, quod indiuiduis superiorum non conuenit ergo &c. 2. Probatur eadem Minor sic. Singulare actualius fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissi- est actualius, cum sit perfectius, cum ad alia singularia addat ergo &c. *Arg. 5. Caiet. ex Trombeta circà tertiã loc. cit. de ente, & essentia.*

48. Resp. Caiet. quod Minor est falsa, & ad eius probationem negatur consequentia eo quod sensus non mouetur à singulari in eo quod singulare: ille enim modus arguendi secundum regulam Topicam non tenet, nisi cùm prædicatum conuenit subiecto secundum quod ipsum. vt habet S. Doct. in 3. c. gent. c. 139. quod in proposito non reperitur hic: non enim Color, in quantùm hic mouet visum, sed in quantùm Color. Ad aliam probationem dicitur, quod Minor assumpta non est vera vniuersalitèr, eo quod coloratum magis mouet visum, quam hoc nigrum, quià à remotioribus mouet. Agens namque corporale, quandò in remotius agit tanto fortius videtur. 2. Dicitur quod fortius mouent sensum multa singularia imperfecta, quàm vnum actualius, & perfectius: & quià omnia singularia sunt singularia entis, ideò *Resp. Caiet. ad quintum.*

cogi-

cogitatiua pueri, in quo noua cognitio oriri debet, magis mouetur à singularibus entis, quàm à singularibus huius speciei: & cùm Intellectus accipiat vniuersale ex multis singularibus, vt dicitur. 2. Post. & in proæmio Met. ideò priùs cognoscit ens, quàm species, & secundum hoc dicitur ad Argumentum quod maior est vera cæteris paribus: non autèm vbi aliqua imparitas (sicut in proposito accidit) præponderans inuenitur: multo enim plura singularia entis præponderant paucioribus singularibus speciei, sicuti plus trahunt mille homines non nimis fortes, quàm decem fortes. Ità Caiet.

Argu. Caiet. sextum ex Trõbeta circà 3. Cõclusionem.

Arguit Caiet. 6. Compositius est prius notum: species specialissima est compositior omnibus superioribus, ergo species specialissima est prior nota omnibus superioribus. Maior habetur à Commentatore 1. Phys. comment. 3. Minor à Porphyrio dicente quod species abundat à genere.

Resp. Caiet. ad sextum.

49. Resp. Caiet. quod Maior est simplicitèr falsa, & ad auctoritatem dicitur quod textus ille est corruptus, debet enim legi confusa, & non composita. Et vt saluemus ipsum, dicitur secundo, quod compositum est notius suis componentibus vt sic, non autèm absolutè; vndè priùs confusè cognosco hominem, quàm partes eius diffinitiuas vt sic: absolutè tamen priùs cognosco magis vniuersale. Ex his apparet Veritas Minoris auctoritate Auicennæ probatæ. Ità Ciet.

Argu. Caiet. contrà 4. Concl. in de ente, & essentia loc. cit.

Arguit Caiet. contrà 4. Conclusionem sic. Intèr conceptus confusos actuales superioris, & inferioris non est ordo essentialis originis: ergo ità potest primo generari conceptus speciei specialissimæ, sicut ipsius entis, quod est etiàm contrà secundam Conclusionem. Tenet consequentiam quià ordo non essentialis, non est necessarius, & variari potest.

Resp. Caiet. ad septimum Arg.

50. Resp. Caiet. negando consequentiam: licet enim sit ordo essentialis intèr omnes conceptus confusos, est tamen talis ordo intèr conceptus entis, & quemcunque alium. Nec hoc est voluntarium, eo quod conceptus entis, est quædam forma generalissima ipsius Intellectus, sicuti forma corporeitatis est forma generalissima ipsius materiæ: vndè sicuti intèr formam corporeitatis, & alias est ordo essentialis non autèm intèr alias formas, intèr se; ità intèr conceptum entis, & alios, non autèm intèr alios, intèr se; potest enim post conceptum entis quodcumque aliud concipi, siuè substantia, siuè accidens, siuè species, siuè genus. Est etiàm conceptus entis quasi naturalis ipsi Intellectui, sicuti, & cognitio primi principij: statim enim præsentatum ens ab omnibus cognoscitur, & ideò ipsum opportet esse priùs alijs essentialitèr: sicuti vniuersalitèr actus naturalis præcedit cæteros, qui penitus ab extrà sunt; non autèm est similis ratiò de alijs conceptibus intèr se. Ità Caiet. de ente, & essentia loc. cit.

QVAE-

QVAESTIO III. PRIMI PHYSICORVM

Vtrum illud ens, quod statuitur intèr primo cognita à nobis, sit ipsum ens concretum quidditati sensibili, & hoc sit primum, cognitum à nobis pro hoc statu

EX CAIETANO

In varijs quæstionibus in Commentarijs p. p. q. 88. art. 3. (q. 84. art. 7.) (q. 85. art. 1.) (q. 87. art. 1.) (q. 12. art. 4.) & q. 85. art. 3.

51 EMinentissimus Caiet. declarat titulum prædictum in varijs quæstionibus p. p. citatis, & in p. p. q. 88. art. 3. in fine ait. In præsenti quæstione quæritur absolutè, an primum cognitum ab Intellectu nostro ordine generationis sit quidditas rei materialis. Si verò quæratur intèr quidditates rerum materialium quæ est primo cognita, hoc alterius inquisitionis est. Et iàm de hoc scripsi in Commet. de ente, & essentia quæstionem non paruam. Et in q. 84. art. 7. quærendo S. Doct. Vtrum Intellectus possit actu intelligere ea, quæ habet intus non conuertendo se ad phantasmata, ait Caiet. hic non est sermo de Intellectu nostro absolutè, aut secundum statum separationis à corpore, sed de eo, vt coniunctus est corpori: nec loquimur de eo, vt coniunctus est corpori glorioso, vt erit in Resurrectione, sed corpori passibili. Et in q. 85. art. 1. ait Caiet. ad propositum huius tituli. Præsens articulus, benè distinctus, & ordinatus est. Distinctus quidèm, quià aliud est formalitèr quærere, & scire: an habeamus, intelligibiles species à sensibus, & phantasmatibus, & aliud an intelligamus abstrahendo. Hoc enim quæsitum includit, & modum quo habentur species à phantasmatibus, scilicet, per abstractionem, & modum, quo Intellectus attingit res sensibiles, scilicet, denudando eas à conditionibus phantasiatis. Illud verò hoc in se non claudit nisi virtualitèr. Sed quæstiones, cum sint æquales numero his, quæ verè scimus, distinguendæ sunt penès quæsita formalitèr, non virtualitèr. Ordinatus verò, quià vt patet in diuisione præcedentis quæstionis, tota præcedens quæstio, scilicet, 84. quærit formalitèr de his, per quæ intelligimus vt sic; ista, scilicet, 85. quærit de modo, & ordine, quo intelligimus, & ideò ab vniuersalissimo modo incæpit, scilicet, abstractione à phantasmatibus. Hic enim modus communis est omni nostræ intellectioni. Ità Caietanus loc. cit. ex quo habetur claritas prædicti tituli, scilicet, quod esto præcedens quæstio virtualitèr includat hanc præsentem, non tamen formalitèr, & ideò cum Caiet. distinguimus ipsam à præcedenti.

Aperitur status controuersiæ, & declaratur Titul. ipsis Thomistis Discipulis à Caietano in varijs loc. cit. supra ex p. p.

52. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 88. art. tertio, quod cum primum dicatur in ordine ad consequentia, iuxtà diuersitatem ordinum rerum, diuersimodè quæri potest de primo cognito: ordinando vniuersum in tres ordines, scilicet, quidditatis materialis, & immaterialis, & actus puri, & hic dicitur, quod primum cognitum ab Intellectu nostro ordine generationis est quidditas materialis. Et insuper notat ibidem Caiet. quod primitas cognitionis, cùm sit primitas obiectiua, quià opportet primo cognitum, primo esse obiectum Intellectus, & primitas obiectiua nulli conuenire possit, nisi per propriam speciem, aut essentiam, immediatè sit cognitum, consequens

Doctrina prima Caiet. ex p. p. q. 88. art. 3.

sequens est, vt id quod propriam speciem non habet in Intellectu, nec per essentiam suam immediatè obijcitur, non possit esse primo cognitum, ac per hoc infertur in illo art. cit. ex hoc quod substantiæ immateriales non cognoscuntur à nobis per proprias species, ergo nec illæ, nec Deus potest primo cognosci. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. ex p.p.q.85. art. 1.

53. Adnotat secundo Caiet. in p.p. q.85.art.primo quod cum statuendum sit primum cognitum à nostro intellectu esse quidditatem materialem, seù ens concretum quidditati sensibili, hoc non potest cognosci nisi abstrahendo ipsum à phantasmatibus. Et ideò primo nota, quod abstrahere à phantasmate, quandoq; significat operationem Intellectus agentis quandoq; operationem Intellectus possibilis: Intellectus agentis quidèm quandò dicitur, quod abstrahimus species intelligibiles à phantasmatibus. Intellectus verò possibilis, quando dicitur, quod cognoscimus quod quid est hominis, abstrahendo ab hoc, & illo homine. Tantum autem interest intèr abstractionem vtramque, quod abstractio illa est realis productio rei abstractæ, scilicet, speciei intelligibilis: ista autem solum est expoliatio rei abstractæ, non per realem denudationem, sed per negationem actionis, seù considerationis, vt in Resp. S. Doct. ad primum citati Articuli clarè patet. Et quoniam secunda est effectus primę, & eiusdem rationis cum ea, ideò præsens quæstio, & conclusio, de vtraque abstractione intelligetur indistinctè. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina tertia Caiet. ex p. p. q. 84. art. 7.

54. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 84. art. 7. contrà Scotum, quod ponimus quidditatem rei sensibilis obiectum non quodcumque, sed naturalitèr proportionatum intensiuè Intellectus nostri, quià nihil potest naturalitèr Intellectus cognoscere quidditatiuè nisi naturas sensibilium. Et pro statu isto non solum est intensiuè, sed extensiuè obiectum Intellectus, quià nihil potest Intellectus noster naturalitèr intelligere, nisi in ordine ad quidditatem sensibilem. Quidquid enim de Deo, aut Angelis naturalitèr attingimus, causalitatis, aut excellentiæ, aut negationis respectu, sensibilium conditione vestitum cognoscitur, vt experimur. Vndè, & ipse Scotus à veritate coactus dicit, quod quidditas sensibilis est Intellectus nostri pro statu isto obiectum in ratione motiui, quamuis minus Philosophicè loquens, neget in ratione terminatiui, vt patet ex dictis, sed non est in verbis facienda vis, modò de rebus constet. Quid autem sit obiectum Intellectus idest ratio formalis, quod aliquid sit intelligibile, non est præsentis intentionis, vbi de primo cognito in hoc statu, & non simplicitèr est quæstio. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina quarta Caiet. ex p.p. q. 12. art. 4.

55. Adnotat 4. Caiet. in p. p.q.12. art. 4. quod initium cognitionis est ex eo, quod natura aliqua est non solùm ipsa, sed alia, vt satius dicitur in q. 14. Et quoniàm esse alia non contingit vno tantùm modo, diuersi ordines cognoscentium surgunt ex diuersis modis essendi alia. Diuersi autèm modi essendi alia, surgunt ex diuersis gradibus ipsarum naturarum, quæ sunt non solùm ipsæ, sed alia. Et proptereà secundum diuersum ordinem ipsarum naturarum cognoscentium opportet ponere diuersos modos, quibus cognoscens est cognitum. Et ex hoc manifestè sequitur, quod esse cognitum modificatur secundum modum naturæ cognoscentis, & non è conuersò. Et quià cognitio naturalis sequitur modum, quo naturalitèr cognoscens est cognitum, idcircò opportet, quod mensura naturalis cognitionis sit ipsa cognoscentis natura, v. g. Anima humana est substantia vltima intèr intellectuales: ac per hoc sortitur naturalitèr, quod sint infimo modo intellecta, & ea, quæ cognoscenda sunt. Et hinc surgit, quod ipsam opportet esse cognitam dearticulatè iuxtà ipsorum naturas; & hinc surgit, quod ipsam opportet habere primo cognitum, & alia cognita à phantasmatibus, & consequentèr quod capacitas eius naturalis non extendat se ad hoc, quod sint illa cognoscibilia, quę sunt separata à materia. Angelus autē, quià

quià eleuationis est essentiæ, vt puta materiam nullo modo requirentis ad sui modi essendi perfectionem, & ipse est alia excellentiori modo, quàm Anima nostra; vndè, & hæc materialia, & inferiora eminentèr, superiora autem participatiuè cognoscit. Et hæc est radix rationis illius art. cit. quæ fundatur suprà hoc, quod cognitum est in cognoscente secundum modum naturæ cognoscentis, & quod cognitio fit secundum modum, quo cognitum est in cognoscente. Ex his sequitur quod si cognoscentis natura est inferioris ordinis, quàm sit natura cognita, iàm non poterit ex proprijs viribus ad visionem illius se extendere, eo quod non est illud nisi modo proprio sibi, quod est non esse illud, nisi diminuta quadam participatione, quæ ad visionem non sufficit. Et hic est sermo de cognitione primi cogniti, & aliorum, non quocumque modo possibili, sed ex propria natura cognoscentis sufficientèr. Modus autem essendi cognoscentis, & cogniti non secundum speciem, sed genus, aut quasi genus sumitur. Ex his etiàm sequitur, quod primum cognitum assignatum potentiæ intellectiuæ non est obiectum adæquatum extensiuè, sed est obiectum adæquatum intensiuè naturalitèr, quià suprà illud non potest naturalitèr potentia quidditatiuè penetrare, sed infrà. Ità quo ad modum cognoscendi primum cognitum discurrit Caiet. cum D. Th. loc. cit.

56. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 12. art. 4. recitando tertiam consequentiam D. Th. in ratione ibi facta, scilicet, ergo si modus essendi primi cogniti, excedat modum naturæ cognoscentis, cognitio primi cogniti, erit suprà naturam illius cognoscentis, recitat etiàm opinionem Scoti ex 4. Sent. dist. 49. q. 11. & in 1. Sent. dist. 3. q. 3. & quolib. q. 14. art. 2. qui impugnat eam in sua vniuersalitate ad diuersa proposita: in primo tamèn quolibet. Arguit eam quo ad intellectum nostrum respectu sui naturalis obiecti. Et in q. 84. art. 7. ait Caiet. quod in 3. Sent. dist. 3. q. 3, impugnat Scotus, malè interpretans mentem S. Th. quod quidditas rei materialis non sit primo cognitum cognitione quidditatiua, nec quod sit ens cognitione confusa actuali. Cùm Scoto conueniunt contrà Caiet. Rubius cum paucis Thomistis, scilicet, quod primum cognitum est gradus corporeitatis: sed forsitàn hi de cognitione confusa actuali loquuntur. *Opinio Scoti recitata à Caiet. loc. cit.*

57. Quo ad 3. Prima Conclusio Caiet. cum D. Th. desumitur ex p. p. q. 88. art. 3. Deus non est primum, quod à nobis cognoscitur. Probat Caiet. cum D. Thom. primo sic. Substantiæ immateriales creatæ non possunt à nobis cognosci, ergo nec ipsæ, nec Deus erit primo cognitum à nostro Intellectu. Consequentia patet. Antecedens constat ex dictis in Adnotationibus suprà: Dictum est enim cum D. Th. quod cum Intellectus humanus secundum statum præsentis vitæ non possit intelligere substantias immateriales creatas, vt dicit S. Doct. in art. 2. q. cit. multo minus potest intelligere essentiam substantiæ increatæ. *1. Concl. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 88. art. 3.*

Probatur 2. Deus cognoscitur à nobis per Creaturas, ergo non est primo cognitum, ab Intellectu nostro. Antecedens patet ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea &c. *Prob. 2. eiusdem Concl. primæ.*

Secunda Conclusio Caiet. ex loc. cit. cum D. Th. est hæc. Primum cognitum à nobis est quidditas rei materialis, quod est idem, ac ens concretum quidditati sensibili.

58. Probat Caiet. sic. Proprium obiectum Intellectus nostri, nil aliud est quàm quidditas materialis, ergo nil aliud erit primo cognitum quàm quidditas materialis. Consequentia est manifesta. Antecedens multoties in locis citatis p. p. & alibi S. Doctor probat; & præcipuè in p. p. q. 87. art. 3. vbi ait S. Doct. De Intellectu quod primum intelligitur, est ipsum eius intelligere. Sed circà hoc diuersi Intellectus diuersimodè se habent. Est enim aliquis Intellectus, scilicet, Diuinus, qui est *2. Concl. Caiet. ex D. Th. loc. cit. cum sua probatione.*

ipsum suum intelligere. Et sic in Deo idem est, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, quia sua essentia est suum intelligere. Est etiam alius Intellectus, scilicet, Angelicus qui non est suum intelligere, vt dicitur in q. 84. art. 1. Sed tamen primum obiectum sui intelligere est essentia. Vndè, & si aliud sit in Angelo secundum rationem, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, tamen, & simul vno actu vtrumque intelligit, quia hoc quod est intelligere suam essentiam, est propria perfectio essentiæ suæ; simul autem, & vno actu intelligitur res cum sua essentia.

Est autem alius Intellectus (& hæc est probatio antecedentis) scilicet humanus, qui nec est suum intelligere, nec sui intelligere est obiectum primum ipsa eius essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet, natura materialis rei. Et ideò id quod primo cognoscitur ab Intellectu humano est huiusmodi obiectum, & secundario cognoscitur ipse actus, quo cognoscitur obiectum: & per actum cognoscitur ipse Intellectus, cuius est perfectio ipsum intelligere, cum ab obiecto, mediante actu, informetur: sine qua forma, cùm ipsa det esse, potentia non esset actu, hinc Philosophus dicit lib. 2. de Annima tex. 23. quod obiecta præcognoscuntur actibus, & actus potentijs. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Arg. 1. Caiet. contrà 2. Concl. loc. cit. Quo ad quartum Caiet. probat loc. cit. q. 87. art. 3. quod intelligere nostrum est primo cognitum sic. Vnumquodq; cognoscitur secundum quod est actum, sed intelligere nostrum est primum intelligibile in actu: ergo cur non statim positum in Intellectu intelligetur primo? Probatur hoc, quià nihil aliud requiritur ad hoc, quod aliquid intelligatur, nisi quod sit intelligibile in actu, & positum in actu secundo in Intellectu, sed hæc conueniunt nostro intelligere, ergo &c.

Resp. Caiet. ad Arg. 1. loc. cit. 59. Resp. Caiet. ad hoc breuitèr dicitur, quod ad hoc, quod aliquid intelligatur actu ab hoc Intellectu plus requiritur, quàm quod in se sit intelligibile in actu. Exigitur namq; quod sit præsens huic Intellectui, non qualitercumq; sed obiectiuè, modo licet intelligere sit actu intelligibile, & præsens intellectui formalitèr, non tamen obiectiuè, quando directè intelligimus, & ideò tunc non potest intelligi, quare autem in intellectione directa ipsum non sit præsens obiectiuè, iàm dictum est, quià, scilicet Intellectus noster est per se primò perfectibilis obiectiuè, à quidditate sensibili, & non à substantia Animæ: ex hoc enim sequitur, vt toties diximus cum S. Doct. quod intelligere nostrum, neq; primum obiectum, vt in Deo; neq; aliud primi obiecti, vt in Angelo est; & consequentèr, quod non sit in primo ordine intelligibilium à nobis, sed tantùm quidditas materialis. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. contrà 2. Concl. ex p. p. q. 85. a. 1. Arguit 2. Caiet. contrà illam propositionem D. Th. in art. 1. q. 85. p. p. scilicet, quod considerare naturam existentem in hac materia, non prout est in hoc, est abstrahere à phantasmatibus.

Angeli in primis, intelligunt quandoque, quod quid est alicuius rei materialis, non intelligendo ipsum prout est in hoc, & tamen non abstrahunt. Nos quoque, si vera est opinio Platonis, nihilominus intelligeremus quod quid erat esse hominis, non intelligendo hunc vel illum, & tamen non abstraheremus, ergo &c.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. loc. cit. 60. Resp. Caiet. ad hoc dicitur quod dictum illud est verissimum, si sanè intelligatur, scilicet, per se primò. Angeli, vt in Art. illo cit. dicitur non cognoscunt materialia per se primò, sed res separatas à materia, & in illis, illorumque connaturalibus speciebus materialia percipiunt. Nostri quoque acies Intellectus (si vera est Platonis opinio) ad quidditates separatas, scilicet, per se hominem, & per se Bouem primo terminatur, & non ad naturam existentem in Socrate pro vt est in Socrate. Vndè in littera vtraque obiectio excluditur à S. Doct. Prima cum obiectum in-

intellectui Angelico proprium suum datur. Secunda cum Platonis opinio refertur, de qua tria refert S. Doct. Primum ex parte Animæ, quod naturam intellectus, non modum essendi considerauit. Secundum ex parte obiecti, quod propterea poeum primo terminauit ad ideas; Tertium ex parte modi, scilicet, quod non abstrahendo, sed potius abstracta participando intelligimus. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit Caiet. cum D. Th. contrà primam Conclusionem sic. Illud enim in quo omnia alia cognoscuntur, & per quod de alijs iudicamus, est primo cognitum à nobis, sicut lux ab oculo, & principia prima ab intellectu: sed omnia in luce primæ veritatis cognoscimus, & per eam de omnibus iudicamus, vt dicit. Aug. in libro de vera Religione c. 3. ergo Deus est id quod primo cognoscitur à nobis.

Argumentum primum D. Tho. cũ Caiet. ex p. p. q. 88. art. 3.

Confirmatur primo. Proptèr quod vnumquodq; tale, & illud magis: sed Deus est causa omnis nostræ cognitionis: ipse enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc secundum mundum, Io: primo ergo Deus est id quod primo, & maximè est cognitum à nobis.

Confirm. prima Argum. contrà primam Conclus.

Confirmatur secundo. Id quod primo cognoscitur in Imagine, est exemplar quo Imago formatur, sed in mente nostra est Dei Imago vt Aug. dicit ergo id quod primo cgnoscitur in mente nostra est Deus.

Confirm. secũda Arg. contrà primam Conclus.

61. Resp. ad Argumentum Caiet. cùm D. Th. quod in luce primæ veritatis omnia intelligimus, & iudicamus, in quantum ipsum lumen intellectus nostri, siuè naturale, siuè gratuitum, nihil aliud est, quàm quædam impressio veritatis primæ vt dictum est q. 12. art. 2. Vndè cum ipsum lumen intellectus nostri non se habeat ad intellectum nostrum sicut quod intelligitur sed sicuti quo intelligitur, multo minus Deus est id quod primo à nostro intellectu intelligitur.

Resp. Caiet. cũ D. Tho. ad Arg. loc. cit.

Resp. Caiet. cùm D. Th. ad primam confirmationem, quod illa maxima intelligenda est in his, quæ sunt vnius ordinis, vt dictum est in q. 87. art. 2. ad tertium. Proptèr Deum autem alia cognoscuntur, non sicuti proptèr primum cognitum sed sicuti proptèr primam virtutis cognoscitiuæ causam.

Resp Caiet. cum D. Th. ad primã Confirmationem.

Resp. Caiet. cum D. Th. ad secundam confirmationem, quod si anima nostra esset perfecta Imago Dei, sicuti Filius est perfecta Imago Patris, statim mens nostra intelligeret Deum. Est autèm Imago imperfecta. Vndè ratio non sequitur. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Resp. Caiet. cum D. Th. ad secundam Cofirm.

QVAE-

Quid nomine primorum principiorum in Compositis naturalibus intelligatur. Et præcipuè quid intelligatur nomine Materiæ primæ

Ex Caiet. in varijs locis Comment. supra totam summam, & alibi

Aperitur, & declaratur titulus Discipulis Thomistis, & peripateticis ex Caietano.

62. EMinentissimus Caietanus in suis Comment. non quærit, sed supponit vbique, quod prima principia Entium naturalium in fieri sunt tria, scilicet, materia forma, & priuatio. Et in facto esse quod sint tantùm duo, scilicet, materia, & forma; & quod ità sunt prima, vt non possint fieri ex alijs, nec ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis, vt diffinit. Arist. in hoc primo libro c. 5. tex. 42. & supponit Caiet. quod ex eo ipso quod sunt prima, dumtaxat petunt non fieri ex alijs vt quod. Ità vt sit sensus, quod principia sunt, ex quibus omnia Entia naturalia fiunt, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vel tanquàm ex termino à quo. Et supponit etiàm quod sint prima contraria, quià contrarietate priuatiua circà idem; & prima, quià orta, & fundata in substantia, tanquàm primum genus, & radix omnis contrarietatis; & loquitur Arist. de contrarietate non formali, sed radicali, quià ipsa sunt, quæ efficiunt substantiam totalem, quæ est radix contrarietatis accidentium, & ideò sunt prima primitate simplicitèr, hinc nil valent obiectiones aliorum, quod, scilicet, materia, & forma sint substantia, & substantiæ nihil sit contrarium, & quod contraria mutuo se expellant: vndè sola forma, & priuatio dicunt aliqui quod sint contraria. Nihil valet obiectio, inquit Caiet. quià sunt prima primitate simplicitèr, quatenus, scilicet, vt diximus sunt radix, & origo omnium contrarietatum, & Arist. loquitur de tribus principijs. Ità Caiet.

Quomodo ex principijs compositi scibilis, quod sint prima, & partes Caietanus declarat, quod etiam principia compositi naturalis & sunt prima & sunt partes, ex p. post. c. 22.

Arguit Caiet. contra prædicta in lib. p. post. cap. 22. ex hoc enim quod Arist. ibi dicat, quod composita vnius generis scibilia opportet esse ex primis, si per prima intelligit principia intrinseca, cum principia intrinseca sint partes essentiales rei, non opportebat addere in textu, & partes horum sunt. Caietanus soluendo ibi hanc difficultatem de principijs intrinsecis compositi scibilis, declarat Thomistis, quomodo in primo Phys. Arist. non posuit principia esse partes rei naturalis, sed tantùm dixit quod sint prima.

63. Ad hoc dicitur duplicitèr, primo tenendo, quod idem secundum rem intelligatur per ly prima, & per ly partes, & sic dicitur duplicitèr. Vno modo, quod cum docuisset ea, quæ sub eodem genere scibili cadunt, opportere composita esse ex primis, subdidit qualia debent esse prima, scilicèt, quod debent esse partes illorum, ad differentiam principiorum, quæ non sunt per se partes rei, & hoc in scientia priori secundum rei naturam. Alio modo dicitur, quod quià principia intrinseca, & partes, & prima sunt diuersis rationibus, ideò non fuit superfluum, si primis, partes addidit: insinuauit enim, quod scientia vtitur principijs intrinsecis rerum, & vt primis à quibus incipit, & vt partibus, ex quibus constituuntur res ipsæ.

Secunda Resp. ad Argumentũ Caiet de principijs compositi scibijis primis.

Secundo Resp. Caiet. tenendo, quod non intelligitur idem conuertibilitèr per prima, & partes; & dicitur, quod per prima intellexit ea, ex quibus id de quo habetur scientia, componitur non qualitercumque, sed vt ex his incipit tàm res, quàm scientiæ processus, siuè illa sint partes essentiæ rei, vt materia, & forma, siuè partes rationis,

tionis, vt genus, & differentia, siue alio quocumque modo intrinsecè, vt punctum respectu continui, vel intelligentiæ respectu entis, &c. Per partes autèm intellexit per se partes, vt suprà, & vltrà hæc, partes etiàm subiectiuas: vndè in expositione S. Th. extenditur, ly primis, ad prima, & quoad nos, & prima ordine naturæ, & dicitur quod omne de quo est demonstratiua scientia est compositum secundum se ex primis idest ex prioribus secundum naturam; aut est compositum in cognitione nostra ex primis quoad nos. Ità Caiet. loc. cit. p. post.

De primo Principio, scilicet, Materia prima

64. CAietanus intèr prædicata, & proprietates, quas assignat Materiæ primæ cum Arist. & D. Th. potissima est, quod sit potentia receptiua formæ, & ex hoc, quod, est receptiua, causat cum forma compositum, & indiuiduat. Vndè cùm D. Th. in p. p. q. 3. art. 2. ait quod materia est principium indiuiduationis, cùm hac differentia, quod formæ quæ sunt receptibiles in materia indiuiduantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cùm sit primum substans: forma verò quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest à pluribus. Sed illa forma quæ non est receptibilis in Materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quod non potest recipi in alio, & huiusmodi forma est Deus, qui est indiuiduum immateriale; vndè ex hoc quod Materia est primum subiectum informationis, sequitur quod sit prima radix indiuiduationis positiuè vèl negatiuè. Et ex hoc quod Materia est etiàm primum subiectum subijcibile idest infimum, est ipsa indiuiduum non totale, vt indiuiduum completum, sed partiale. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina Caiet. prima circa hæc duo prædicata Materiæ primæ, scilicet, quod indiuiduet causalitèr, & quod sit receptiua ex p. p. q. 3. art. 2. vide Caiet. in p. p. q. 29. art. 1.

65. Adnotat secundo Caiet. in p. p. q. 18. art. 4. in Resp. ad tertiùm cum D. Tho. quod Materia, & omne quod se tenet ex parte materiæ est potentia; Et quià de ratione rerum naturalium, ex S. Doct. est materia: dicendum est quod res naturales verius esse habent simplicitèr in mente Diuina, quàm in se ipsis; quià in mente Diuina habent esse increatum, in se ipsis autèm esse creatum: sed esse hoc, vtpotè homo, vel equus, verius habent in propria natura, quàm in mente Diuina, quià ad veritatem hominis pertinet esse materiale, quod non habet in mente Diuina. Sicuti Domus habet esse nobilius in mente artificis, quàm in materia, sed tamèn verius dicitur Domus, quæ est in materia, quàm quæ est in mente, quià illa est Domus in actu, hæc autèm Domus in potentia. Et si vis eleuare hanc doctrinam. S. Doctoris, ait Caiet. ad omnia, nomine materiæ intellige potentiam, omne quod se tenet ex parte ipsius. Idæa enim Diuina in hoc excedit Platonicam, quod ista est immaterialis tantùm, illa verò, & materiæ, & potentiæ est expers, & est solus actus purus. Et propterea Gabriel, de cuius ratione non est materia, benè tamèn potentia, verius in se ipso est Gabriel, quam in Deo. S. Doctor meminit materiæ tantùm, quià de non viuentibus argumentum loquebatur, quæ constat materialia esse, & manifestum impedimentum habere, ne sint verius ipsa in Deo. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. de Materia prima quod sit potentia, & ex hoc indiuiduet, ex p. p. q. 18. art. 4. in Resp. ad tertium vide Caiet. p. p. q. 29. art. 1.

66. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 119. art. primo Doctrinam D. Th. de hoc prædicato alio competente materiæ primæ, scilicet, quod cum Materia prima describatur, quod non sit nec quid, nec qualis, nec quanta &c. quomodo competat ipsi, vt est pars compositi naturalis, ipsa multiplicabilitas. Et ideò Caiet. notat id quod dicit S. Doctor loc. cit. scilicet, quod natura, puta humana, potest considerari duplicitèr. Vno modo in communi secundum naturam speciei, Alio modo, secundum quod est in hoc indiuiduo. Ad veritatem igitur naturæ alicuius in communi considera-

Doctri. 3. Caiet. de Materia prima quomodo cõpetat ipsi diuidi, & diuidere, cũ sit de se indiuisibilis ex p. p. q. 119. a. 1

deratæ pertinet forma, & materia eius in communi accepta: ad veritatem autèm naturæ in hoc particulari consideratæ pertinet materia indiuidualis signata, & forma per huiusmodi materiam indiuiduata sicut de veritate humanæ naturæ in communi est anima humana, & corpus; ità de veritate humanæ naturæ in Petro, & Martino est hæc anima, & hoc corpus. Sunt autèm quædam, quorum formæ non possunt saluari nisi in vna materia signata. Sicut forma Solis non potest saluari nisi in materia quæ actu sub ea continetur. Multiplicatio materiæ in humanis corporibus non fit nisi per hoc quod alimentum conuertitur in veritatem humani corporis in quantùm verè accipit speciem carnis, & ossis, & huiusmodi partium. Et hoc est, quod dicit Philosophus in secundo de Anima tex. 45. quod alimentum nutrit in quantùm est potentia caro. Hanc doctrinam D. Th. probat cum ipso Caietanus ibi loc. cit. & infrà nos ponemus rationem formalizatam à Caietano infrà in tertio loco huius quæstionis. Ità Caiet. cùm D. Th.

67. Quo ad secundum Caietanus cum D. Th. in p. p. q. 4. art. primo refert opinionem Pythagoricorum, & Leucippi ex 12. Met. qui considerauerunt vnum principium tantùm, scilicet, materiale, quod cùm sit maximè in potentia, est maximè imperfectum: & ex hoc non attribuerunt optimum, & perfectissimum ipsi primo principio, quod est Deus in genere causæ efficientis, & non materiale.

Opiniones de Materia prima recitatæ a Caiet. loc. cit. quo ad hæc prædicata de indiuiduatione, de multiplicandis formis, cum sua sententia in fine.

Et in q. 41. art. sexto contrà hanc propositionem D.Th. scilicet, quod forma vnius speciei non multiplicatur nisi secundum materiam, refert Caiet. quod multos habet aduersarios, scilicet, Scotum, Aureolum, & Adam, & alios, quorum instantias ibi soluit; & refert etiàm Auicennam tenentem cum Scoto, quod materia non sit causa materialis formæ, sed tantùm compositi.

Et circà hoc prædicatum Materiæ, scilicet, quod multiplicet formas, & ipsa in hoc indiuiduo multiplicetur, Caiet. cum D. Th. refert in p. p. q. 119. art. 1. duas opiniones prima aliquorum, qui tenent quod forma humana non potest saluari nisi in materia quadam signata, quæ, scilicet, à principio fuit tali formata in primo homine, ità quod quidquid aliud præter illud, quod ex primo parente in posteros deriuatur, additum fuerit non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quasi verè non accipiat formam humanæ naturæ, sed illa materia, quæ in primo homine, formæ humanæ fuit subiecta, in se ipsa multiplicatur, & hoc modo multitudo humanorum corporum à corpore primi hominis deriuatur, & secundum hos alimentum non conuertitur in veritatem humanæ naturæ, sed dicunt quod alimentum accipitur vt quoddam fomentum naturæ idest vt resistat actioni caloris naturalis, ne consumet humidum radicale, sicuti plumbum, vel staneum adiungitur argento, ne consumatur per ignem. Sed D. Th. & Caiet. dicunt quod hæc positio est multiplicitèr irrationalis. Alij verò dicunt, quod forma humana potest quidem fieri de nouo in aliqua alia materia si consideretur natura humana in communi, non autèm si accipiatur pro vt est in hoc indiuiduo, in quo forma humana fixa manet in quadam materia determinata, cui primo imprimitur in generatione huius indiuidui, ità quod illam materiam nunquam deserit vsque ad vltimam indiuidui corruptionem, & hanc materiam dicunt principalitèr pertinere ad veritatem humanæ naturæ: sed quià huiusmodi materia non sufficit ad quantitatem debitam, requiritur vt adueniat alia materia per conuersionem alimenti in substantiam nutriti, quantùm sufficiat ad debitum augmentum. Et hanc materiam dicunt principalitèr pertinere ad veritatem humanæ naturæ, quià non requiritur ad primum esse indiuidui, sed ad quantitatem eius. Iàm verò si aliquid aliud aduenit ex alimento non pertinet ad veritatem humanæ naturæ propriè loquendo. Sed D. Th. & Caiet. hoc vocant inconueniens.

Quæ-

Quænam sit sententia D. Th. & Caiet. explicatur suprà in vltima adnotatione, & amplius declarabitur infrà immediatè per Conclusionem de multiplicatione Materiæ. Ità Caiet.

Quo ad tertium Conclusio prima Caiet. ex D.Th. cap. 2. de ente,& essentia quæstione tertia est hæc. Materia, vt principium primum entis naturalis, de se sola sumpta non est essentia substantiæ compositæ. Sed essentia in substantijs compositis significat compositum ex materia, & forma. *Conclusio Caiet. quod materia nō sit essentia tota sed pars essentialis ex c. 2. de ente, & essētia q. 3.*

68. Probatur à Caiet. cùm D. Th. prima pars sub tali forma primo sic. Illud quod est essentia substantiæ compositæ est principium cognoscendi illam: sed materia sola non est principium cognoscendi illam: ergo materia sola non est essentia substantiæ compositæ Maior patet ex eo quod vnumquodq; per suam essentiam cognoscitur quidditatiuè, vndè omnes aliæ cognitiones oriuntur. Minor habetur ex 9. Met. tex. 20. vbi dicitur quod principium cognoscendi est actus, & non potentia.

Secundo probatur eadem prima pars. Essentia substantiæ compositæ est id, quo res ponitur in genere, & specie: sed materia sola non est id, quo res ponitur in genere, & specie: ergo materia sola non est essentia substantiæ compositæ. Maior est euidens inducendo in singulis: Socrates enim per suam naturam in specie humana collocatur, similitèr in genere animalis, & sic de alijs. Minor probatur quià id, quo aliquid reponitur in specie, opportet quod actuale sit, eo quod est principium distinguendi ipsum ab alijs speciebus, & collocandi ipsum in tali gradu vniuersi. Materia autèm sola est pura potentia, vndè actualitatem non includit. Ità Caiet. loc. cit. *Probatio Caiet. secunda pro prima parte loc. cit.*

69. Probatur à Caietano secunda pars sic. Id quod tanquàm principio completo denominante substantia composita ipsum ens est, est compositum: sed essentia ipsius substantiæ completæ est id, quo tanquàm principio completo denominante substantiæ compositæ est ens, ergo essentia ipsius substantiæ compositæ est composita. Minor est de se clara, dicitur enim, & est, Socrates Ens per suam essentiam, quam habet. Maior verò declaratur sic. Quandocumque aliqua res ex pluribus principijs constituitur, non est talis ex altero eorum, vt completo principio; sed ex complectente vtrumque: at substantia composita est ens ex pluribus principijs constitutum, scilicet materia, & forma, ergo non ex altero tanquàm principio completo sed complectente vtrumq; est, & dicitur Ens: sed id quod complectitur vtrumque est compositum, ergo id, quod cùm substantia composita tanquàm completo principio, denominat esse, opportet esse compositum (quod erat probandum) Maior hæc patet ex saporibus, quià ex actione callidi dirigentis humidum causatur dulcedo: & quamuis hoc modo calor sit causa dulcedinis, non tamèn denominatur corpus dulce à calore, sed à sapore, qui callidum, & humidum complectitur. Ità Caiet. *Probatio secundæ partis ex Caiet. cum D. Tho. loc. cit.*

70. Secunda Conclusio de Multiplicatione Materiæ in hoc, & in illo ex p. p. q. 119. art. primo, ponitur à Caietano sic. Et dicitur prout in hoc, & in illo, quià Materia dicitur indiuisibilis per negationem totius generis quantitatis; & Materia non extenditur, nisi per quantitatis susceptionem. *Secunda Conclusio Caiet. cum D. Th. de multiplicatione Materiæ ex p. p. q. 119 art. 1. cum sua probatione.*

Conclusio igitur Caiet. & D. Th. est hæc. Non est verum, quod illa materia prima quæ in primo homine, formæ humanæ fuit subiecta, in se ipsa multiplicetur, sed sua multiplicatio pro vt est in hoc, & in illo non nisi sit per hoc, quod alimentum conuertitur in veritatem humani corporis, scilicet, quià verè accipit speciem carnis, & ossis, & huiusmodi partium.

Probatur à D. Th. multis rationibus refellendo illas duas positiones allatas à Caietano in secundo loco huius quæstionis. Sed Caiet. vnam tantum formalizando;

 pro-

probat ipsam vnica ratione D.Th. sic. Multiplicatio materiæ aut est per rarefactionem, aut per conuersionem, aut creationem nouæ materiæ: sed multiplicatio humanæ materiæ in corporibus non est per rarefactionem, quià essent imperfectiora, nec per creationem, quià omnium materia est simul creata secundum D. Greg. ergo per conuersionem alimenti. Maior probatur. Multiplicatio materiæ aut attenditur penes quantitatem tantùm, & sic est rarefactio, vt patet ex eius ratione, aut penès ipsam substantiam materiæ, & tùnc aut penes omnino eamdem substantiam materiæ, aut penes aliam, non penes omninò eamdem, quià multiplicatio sine diuisione intelligi nequit, eiusdem autèm omninò ad seipsum non est diuisio, ergo penes aliam, ergo aut per conuersionem, aut per creationem, non enim inuenitur alius modus: per creationem iàm dictum est quod non, quià secundum Greg. omnia sunt simul creata secundum substantiam materiæ, licet non secundum speciem formæ, relinquitur ergo de primo ad vltimum, quod multiplicatio corporis humani non fit nisi per hoc quod alimentum conuertitur in veritatem humani corporis. Est alia ratio D. Th. ducens ad impossibile formalizata ibi à Caiet. cum dubio moto, & soluto à Caiet. sed quià non est directè pro hac quæstione, ideò relinquitur curioso discipulo ad legendum. Ità Caiet. loc. cit.

Argumentum primum Caiet. ex p. p. q. 41 art. 6. cum sua Confirmatione.

Quo ad quartum Argumentum à Caietano in p. p. q. 41. art. sexto probando, quod Materia prima non habeat hanc proprietatem quod indiuiduet formam, sic. Res non est hæc per illud quod non est per se causa eius, sed materia non est causa formæ secundum Auicennam, ergo forma non est hæc per materiam.

Confirmatur ex auctoritate Scolæ Parisiensis, quæ inter articulos Philosophiæ damnatos ponit hunc, si formæ non recipiunt diuisionem nisi secundum materiam error. Et insupèr infert Scotus, quod non est sana Doctrina, tenere conclusionem illam pro adeo certa, & necessaria per propositiones nimis generales, & cùm tot instantijs.

Resp. Caiet. ad Arg. & simul ad Confirm. loc. cit.

71. Respond. Caiet. ad Argumentum dicendo, quod nec somniauimus, quod forma in materia existens, sit hæc per materiam intrinsecè, seù formaliter, sed causalitèr. Et licet Materia sic secundum Auicennam non sit causa materialis formæ, sed compositi, quià causa materialis nominat causam intrinsecam, est tamèn materia causa formæ in genere causæ materialis, educitur enim de ea, vt materia, & hoc sufficit. Et quod additur de Articulis Parisiensibus, iàm glosauimus in Commentarijs de ente, & essentia. Et aduerte quod doctrina tradita ibi art. cit. de indiuiduatione materiæ non est noua, sed fortè ascendens ad altitudinem D. Th. quo ad eius intentum. Nominauit autèm irreceptibilitatem, immaterialitatem, quià potentia receptiua ex parte materiæ se tenet, & facile propterea ex hac erat illam intelligere, & sic patet illa prima ratio D. Th. in art. cit. sumpta ex communibus omnibus omninò immaterialibus formis subsistentibus. Nec inconuenit eam adduxisse ad proprietates personales in Diuinis: immò necesse fuit, quoniam ipsæ de talium numero sunt, & non cognoscimus eas secundum se ipsas; sed ex Creaturis, vt possumus, ad eas ascendimus, vt teneamus conclusionem certam, & necessariam, ex propositione certissima communi omnibus Philosophis, imò communi animi conceptione sapientum, scilicet, quod forma vnius speciei non multiplicatur nisi secundum materiam, seu receptiuum. Et propterea vanè à Scoto articuli Parisienses, qui de materia, vt materia loquuntur, afferuntur, cùm secundum veritatem, materia vt potentia receptiua, formalitèr loquendo in illa propositione intelligatur. Vndè Scotus non intellexit illam propositionem tanto studio à se impugnatam, non enim immaterialitas idest carentia materiæ, quæ est altera pars compositi, sed immaterialitas idest

Ca-

Carentia materiæ idest potentiæ receptiuæ est, de qua S. Doct. loquitur circà formas subsistentes immateriales, vt etiàm manifestat exemplum allatum de ipsa albedine, à S. Doct. si subsisteret. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit secundo Caiet. in p. p. q. 4. art. 1. contrà ly recipere proprium materiæ primæ. Si ipsum recipere in sua communitate arguit imperfectionem, & turpitudinem in materia prima sequitur quod Deus, qui est suum esse, vel essentia Dei, quæ est suum esse, videatur esse imperfectissimum, sed hoc non dicitur, ergo &c. Probatur sequela, quià cum esse sit communissimum, & recipiens omnium additiones, manifesta fit sequela. *Argumentum secundum Caiet. ex p. p. q. 4. ar. 1.*

72. Resp. Caiet. in Resp. ad tertium D. Th. aduerte duo primo quod Responsio stat in hoc. Commune dupliciter per modum actus, & per modum potentiæ; Communitas per modum actus consistit in recipi; Communitas per modum potentiæ consistit in recipere: esse autem est communissimum per modum actus, quià ad omnia comparatur, vt receptum ad receptiua vt patet. Secundo ex hoc patet defectus Scoti in quarta sent. dist. p. q. p. contrà hanc S. Thomæ positionem, scilicet, quod esse secundum suam formalem rationem est perfectissimum omnium perfectionum arguentis ex communitate ipsius. Mirum est enim quod hanc rationem afferat ad concludendum, quam expresiè S. Doctor soluerat tàm clarè. Ita Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Argumentum.*

Arguit tertio Caietanus ex Durando in p. p. q. 3. art. secundo. Materia non est primum subiectum prædicationis idest infimum subijcibile, sed est primum subiectum informationis ergo ex hoc quod est primum subiectum, non est indiuiduans. Consequentia nota. Antecedens probatur quià materiæ, & si conueniat ex se negatio essendi in alio, vt in subiecto informationis, non tamèn conuenit ei negatio essendi in alio, vt in subiecto inferiori: quoniam materia est quoddam vniuersale, & prædicatur de hac, & illa materia, vt vniuersale, vt superius de suis inferioribus, vt patet: alioquin Materia non esset scibilis, cum scientia non sit nisi vniuersalium: male igitur Thomistæ assignant rationem indiuidui ex materia. *Argumentum tertium Caiet. ex Durando in p. p. q. 3. art. 2.*

73. Resp. Caiet. negando consequentiam, quià ex hoc, quod Materia est primum subiectum informationis, sequitur, quod sit prima radix indiuiduationis positiuè vel negatiuè. Negatur quoque antecedens, quià materia est etiàm primum subijcibile idest infimum, non totale, vt indiuiduum completum, sed partiale. Et cum instatur contrà, quià est vniuersale quoddam, Resp. quod materia secundum se non est vniuersale, nec prædicabile, vt patet ex eo quod secundum se non est intelligibilis, & consequentèr nec scibilis, sed materia in analogia ad formam vniuersalem, intelligitur vniuersalis, & fit prædicabile quoddam, & scibile, &c. & propterea à S. Doct. in illo articulo cit. dicitur, quod forma quantùm est de se, potest esse in pluribus, materia autèm est primum subiectum: quià ergo omnis vniuersalitas est à forma, materia secundum se vniuersalis non est, & cum primum subiectum sit omnium prædicamentorum, ipsa est, & infimum subijcibile, partiale tamèn, & primum subiectum informationis, ac per hoc vndique indiuiduationis radix: sed de his in commentarijs de ente, & essentia, & in quæstionibus duabus satis dictum est, & inferius ampliùs dicetur probando quod Materia sit radix indiuiduationis, cum in hoc loco præsenti excedat limites negotij. Satis hic sit pro notitia huius primi principij entis naturalis, scilicet, materia prima; quod apud nos Thomistas ex isto modo essendi in alio per informationem, nil aliud habetur, quod non est constitutiuus formalitèr, sed causalitèr indiuidui. Ità Caietanus loc. citato pro declaratione Materiæ primæ quo ad illa prædicata competentia ipsi, in quibus aduersarij faciunt vim contrà nos Thomistas. *Resp. Caiet. ad tertium Argumentum loc. cit.*

Ad percipiendum naturam materiæ primæ lege caput primum opusculi D. Thomæ 32. vbi ex termino Actionis Physicæ sumit viam ad naturam materiæ inquirendam, vt facit Philosophus in hoc primo libro Physicorum: sed quià terminus Actionis Physicæ est duplex primus, & secundus, scilicet, generatio quæ est terminus primus alterationis Physicæ; & secundus est forma, quæ est finis generationis, licet non semper, vt patet de Anima humana: qua propter formam, inquit S. Doctor in cap. 2. eiusdem opusculi trigesimi secundi, opportet prius cognoscere, & per hanc indagare, & requirere naturam materiæ primæ. Ex generatione ergo, quæ est primus terminus Actionis Physicæ, vt facit in capite primo: & ex forma, quæ est terminus secundus Actionis eiusdem, vt facit S. Doctor in capite secundo inuestigat, & requirit naturam materiæ primæ. Legas primum, secundum, & tertium capitulum, &c.

Circà primam, & secundam Doctrinam Caietani supra de radice indiuiduationis; si cupis, nouitie Tomista, percipere breuiori methodo, quomodo Materia prima sit principium indiuiduationis ipsius indiuidui pro vt collocatur in genere substantiæ; & quomodo materia signata sub certis dimensionibus sit causa indiuiduationis, quià, scilicet, per ipsas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, legas opusculum vigesimum nonum, & caput tertium opusculi trigesimi secundi S. Doctoris, in fine cuius dicitur, quod materia sub certis dimensionibus est causa indiuiduationis: non quod dimensiones causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum: sed quià per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, sicut per signum proprium indiuidui, & inseparabile. Ita Sanctus Doctor, &c.

QVAESTIO V. PRIMI PHYSICORVM

Vtrum omne receptiuum siuè Physicum, siuè Metaphysicum possit denominari Materia

EX CAIETANO

In varijs locis suorum Commentariorum

Aperitur status controuersiæ ex Caiet in Commentarijs.

74. EMinentissimus Caiet. quià vidit quod prædicatum quidditatiuum Materiæ primæ consistit in hoc quod sit pura potentia, & hæc passiua, & receptiua simul: quòd quidem esse receptiuum vnitum cum passiuo facit quod sit physicum; & receptiuum disiunctum à passiuo facit quod sit tantùm potentia Metaphysica; ideò soluit hanc quæstionem pro vt est in titulo in diuersis locis suorum Comment. primo in cap. 7. de ente, & essentia q. 16. contrà Antonium Trombetam distinguens poten iam in purè receptiuam, & in passiuam, & receptiuam simul. Hoc idem tractat in p. p. q. 66. art. secundo (& in quæst. 50. art. 2. in Resp. ad secundum) & in quæst. 41. art. 6. & in quæst. 18. art. 4. in Resp. ad tertium dicendo semper cum D. Th. quod non omne receptiuum est materia prima, vel non habet materiam tanquàm sui compartem, licet omne receptiuum nomine materiæ nominetur. Hanc quæstionem mouet Ità Caiet.

75. Ad-

75. Adnotat 1. Caiet. in p. p. q. 66. art. 2. pro ly receptiuum, quod potentia passiua est duplex, quædam purè receptiua, quæ, scilicet, nulla passione media recipit formam, & hæc non dicitur potentia contradictionis, vt materia Lunæ nulla passione, aut Actione media habet suam formam. Constat etiàm hoc in potentia Celi respectu suæ figuræ: non enim est contradictionis, & tamen est receptiua, & non passiua. Alia verò est potentia passiua, quæ est receptiua, & passiua simul, ità quod agitur ab Agente, & recipit formam, & hæc est contradictionis, quæ propriè est materiæ primæ sublunarium. Quæ distinctio iterum à Caietano in de ente, & essentia c. 7. q. 16. sic proponitur. Potentia materialis est duplex, quædam est receptiua tantùm: quædam verò non solum receptiua, sed etiàm passiua, extenso nomine passionis ad omne genus transmutationis. Potentia receptiua tantùm est necessario coæua suo actui, eo quod si esset ante suum actum, opporteret, quod per aliquam transmutationem illum reciperet, & sic non esset receptiua tantùm respectu illius. Potentia autem passiua necessario nulli actui coæua est, respectu cuius est passiua: eo quod omnem actum per transmutationem acquirit, & consequentèr per transmutationem perdit: omne enim generabile est corruptibile vt dicitur primo Cœli. Propositio igitur illa Antonij Trombetæ. Omnis potentia est potentia contradictionis, est intelligenda de potentia passiua, & non receptiua tantum. Ità Caietanus loc. cit.

Doctrina prima Caiet. circa ly receptiuũ ex p.p.q. 66. art. 2.

76. Adnotat 2. Caiet. in p. p. q. 50. a. 2. in Resp. 2. vt benè intelligantur istę duæ proprietates materiæ, scilicet, recipere, & substare, cum D. Th. quod non est idem modus: quo recipit Intellectus, & quo recipit materia: materia enim recipit formam vt secundum ipsam constituatur in esse alicuius speciei, vel aeris, vel ignis, vel cuiuscumque alterius. Sic autèm Intellectus non recipit formam, alioquin verificaretur opinio Empedoclis, qui posuit, quod terram terra cognoscimus, & ignem Igne. Sed forma intelligibilis est in Intellectu, secundum ipsam rationem formæ sic enim cognoscitur ab Intellectu. Vndè talis receptio non est receptio materiæ, sed est receptio substantiæ immaterialis. Ad quæ addit Caiet. loc. cit. ad secundum quod materia recipiendo constituitur in esse specifico, & naturali receptæ formæ; Intellectus autèm recipit formam secundùm ipsam rationem formæ. Sed addit Caiet. nota quod receptio est triplex, scilicet, purè materialis, quæ consistit in esse; & purè formalis, scilicet, quæ abstrahit ab omnibus materialibus; & receptio media quæ est partim materialis, & partim formalis, & hæc est intentionalis particularitèr conueniens sensibus. Contrà vnum extremum, scilicet, receptionem materiæ simplicitèr. S. Doct. semper alterum extremum distinguit, scilicet, receptionem intentionalẽ vniuersalem, insinuans etiàm ex hoc sapientibus, distinctionem ipsius recipere Intellectus à tota latitudine receptionis materiæ siuè totalitèr, siuè partialitèr. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina secũda Caiet. in p. p. q. 50. art. 2. in Resp. ad 2. quæ dicet modum recipiẽdi quem habet materia prima.

77. Adnotat Caiet. in p. p. q. 41. art. 6. pro maiori intelligentia huius proprietatis materiæ, quæ est recipere, quod aliquando S. Doctor vt in art. cit. nomine materiæ, intelligit omne receptiuum. Nàm constat quod Charitas forma est vnius speciei multiplicata ad multitudinem Beatorum Angelorum, & hominum, & tamen nulla est in voluntate materia, quæ est pars compositi, sed receptiua tantùm potentia; vndè sensus est, quod forma specifica non multiplicatur nisi secundum receptiuum, & intendit, quod si est forma receptibilis, plurificatur ad plurificationem receptiuorum actu, vel potentia, quod dico proptèr Animas intellectiuas: si autèm est irreceptibilis, eo ipso est implurificabilis. Et addit Caiet. in p. p. q. 7. art. 2. quod materia considerata vt est potentia, & non vt receptiua, est infinita ex parte potentiæ, quià dum recipit formam, finitur per ipsam, & per hoc non est infinita

Doctrina tertia Caiet. circà ly receptiuum ex p.p.q. 41. a. 6.

ta simplicitèr: quià tamen remanet in potentia ad infinitas formas, dicitur infinita secundum quid; similitèr forma creata si est in materia, finitur per eam, si est subsistens sine materia, & recipiens esse, & vt hæc, quià sinè materia, ideò est infinita secundum quid, istest secundum terminos materiales: quià tamen habet esse receptum, est finita simplicitèr: esse enim coaptatum,ità huic certæ naturæ, quod non alij, limitatum opportet esse simplicitèr; alioquin omnis in se naturæ perfectionem contineret. Ità Caiet. loc. cit. quæ valdè notanda sunt à Thomistis discipulis ad penetrandam naturam receptiui, & recepti iuxtà doctrinam S. Præceptoris, & Caietani.

Opiniones recitatæ à Caiet. de ente, & essentia c. 7. q. 16.

78. Quo ad 2. Caiet. in q. 16. de ente, & essentia cap. 7. admonet discipulos Thomistas, vt caueant ab errore intolerabili Antonij Trombetæ docentis quod potentia, vt potencia est non repugnat esse sine actu; & quod subiectum est solum in potentia passiua respectu passionis, contrà S. Doct. qui in p. p. q. 77. tenet ex intentione tamquàm principium verum, quod subiectum est causa suæ propriæ passionis in triplici genere causæ, scilicet, materialis, effectiuæ, & finalis. Insuper tenet Trombeta, quod omnis potentia passiua sit potentia contradictionis, quæ propositio cùm sit Arist. est malè intellecta, & malè probata ab ipso; quià, ait Caiet. intelligitur de potentia passiua, & non receptiua tantùm.

1. Concl. Caiet. ex c. 7. de ente, & essentia q. 16. cũ sua probatione circà potentiam receptiuam.

Quo ad 3. Caiet. in cap. 7. loc. cit. de ente ponit hanc Conclusionem contrà Scotistas, & præcipuè contrà Trombetam. Nulla potentia receptiua tantùm, est potentia contradictionis.

79. Probatur à Caiet. sic. Et primo quo ad sensum: quià in Cœlo est potentia receptiua suæ figuræ, & tamèn in eo talis potentia non est potentia contradictionis, ergo. Probatur hoc Cœlum enim non est in potentia de aliam figuram. Probatur etiàm ex ipso textu Arist. 9. Met. vbi ait, conuincendo, quod Cœlum non est in potentia ad motum, sed ad terminos eius tantùm: & tamèn constat Cœlum habere potentiam receptiuam sui motus, vndè ex hoc insinuauit, quod Arist. loquebatur de potentia passiua: ea enim Cœlum est in potentia ad terminos motus. Vndè concluditur contrà Trombetam, quod subiectum non habet potentiam passiuam, sed receptiuam tantùm respectu propriæ passionis: (nulla enim mutatio mediat intèr subiectum, & passionem) opportet subiectum non esse in potentia contradictionis respectu passionis, & sic falsa est illa Conclusio deducta à Trombeta, ergo potest habere ipsam, & non ipsam. Ità Caiet. loc. cit.

2. Concl. Caiet. Resp. quæsiti ex p. p. q. 7. art. 1. cũ sua probatione.

Secunda Concl. Caiet. de ipsa potentia receptiua. Non omne receptiuum potest dici Materia simplicitèr. Est in p. p. q. 7. art. 1.

80. Probatur, seù declaratur hæc Conclusio sic à Ciet. ex parte actus. Duplex est actus, scilicet, esse, & forma, ergo duplex est potentia receptiua, scilicet essentia, & materia: ergo duplex est receptio, & irreceptio, ergo &c. Antecedens est notum apud Thomistas vt principium. Consequentia prima probatur, quià sicuti esse est alterius rationis à forma, & essentia est alterius rationis seù ordinis potentia à materia, vt differentia compositionis ex esse, & essentia, & ex materia, & forma ostendit, sequitur benè quod sit duplex potentia receptiua, scilicet, essentia, & materia diuersæ rationis; & sequitur etiàm quod alterius rationis sit receptio esse in essentia, & formæ in materia, & per consequens, quod non omne receptiuum possit dici materia. Et quod sit diuersa vtriusq; ratio S. Doctor insinuat in illo art. 1. cit. dùm dicit quod esse non est prima forma, sed quod est formalissimum omnium, vt probat S. Doctor in p. p. q. 4. art. 1. & q. 3. art. 4. Forma autem non perficitur per materiam, sicuti ista per illam, imò magis per materiam coarctatur eius amplitudo:

do: at esse est maximè formale omnium, vndè si datur aliquod esse, quod non sit receptum in alio, sed in se subsistens, hoc erit infinitum, & perfectissimum. Ità Caiet. loc. cit.

Quoad 4. Arguit Caiet. in p. p. q. 50. art. 2. contrà istam Conclusionem 2. probando quod essencia, seù Intellectus conuenit in ratione receptiui cum materia prima, & per consequens, quod omne receptiuum possit dici materia. *Argu. Caiet. contrà 2. Concl. ex p.p.q.50.a.2.*

S. Doctor assignat differentiam intèr ipsum recipere materiæ, & intèr ipsum recipere Intellectus, quod illa recipiendo constituitur in esse specifico, & naturali formæ, hic autèm recipit formam secundum rationem formæ: sed hæc differentia non diuersificat ergo &c. Probatur à Caiet. Minor sic. Quid est recipere secundum ipsam rationem formæ? aut hoc est recipere quod quid erat esse formæ; & hoc non, quià etiàm materia hoc habet; aut est recipere intencionalitèr, & hoc non, quià etiàm Aer recipit intentionalitèr; aut est recipere solam formam, & hoc non, quià itidem hoc etiàm habet materia; aut est recipere vniuersalitèr, & hoc non potest dici secundum S. Doct. quià apud ipsum quidquid recipitur in Intellectu, est indiuidualis, seù singularis res, puta hæc species intelligibilis, ergo vera est Minor.

81. Resp. Caiet. ad Argum. quod recipere secundum ipsam rationem formæ, est recipere formam per modum formæ. Modus autèm formæ est, quem secundum se forma habet, hic autèm est determinatio ad hoc, vel ad illud. Et ideò de primo ad vltimum est recipere formam salua eius communitate, & amplitudine ad quæcumq: & hoc est recipere vniuersalitèr; & ad id quod obijcitur. Resp. quod recipere vniuersalitèr non opponitur cuilibet singularitati, sed singularitati materiali, quæ est ad hic, & nunc: quoniam vnum indiuiduum immateriale æquiualet infinitis materialis ordinis. Et species lapidis in Anima est lapis vniuersalis, quamuis sit vna quædam res numero, scilicet, alterius ordinis immaterialis. *Resp. Caiet. ad Argum. loc. cit. q. 50.*

Confirmatur Argumentum à Caiet. sic. In loc. cit. distinguitur receptio formæ secundum ipsam rationem formæ, contrà receptionem, qua res constituuntur in esse. Constat enim quod receptio contrà istam distincta est receptio intentionalis: & tamèn hæc est etiàm receptio materialis, vt patet ex S. Tho. 2. cont. gent. c. si ratione tertia. *Confirm. Arg: loc. cit. q. 50. Caiet.*

82. Resp. Caiet. quod receptio intentionalis habet magnam latitudinem: diuiditur enim in vniuersalem, & particularem, quæ conuenit sensui, medio &c. Vndè non est intentio S. Th. insinuare, quod receptio secundum ipsam rationem formæ, & receptio intentionalis conuertantur: sed distinguendo D. Th. vt dicitur in secunda adnotatione Caiet. supra contrà receptionem materiæ, receptionem intentionalem vniuersalem, insinuauit distinctionem ipsius recipere Intellectus à tota latitudine receptionis materiæ, siuè totalitèr, siuè partialitèr. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad Confirm. loc. cit.*

Arguit Caiet. in de ente, & essentia c. 7. q. 16. contrà primam Conclusionem. Ideò potentia passiua ad esse est, quià potest ab alio recipere esse, scilicet, ab agente, si autèm ab alio recipit esse illo circumscripto, quantum est in se, est sub non esse. Si ergo potentia receptiua tantum ex se est sub non esse, & ab agente potest habere esse, necessariò sequitur, quod est potentia contradictionis, scilicet, ad esse, & non esse. *Arg. Caiet. ex Trombeta contrà 1. Concl. in c. 7. q. 16. de ente, & essentia.*

83. Resp. Caiet. quod propositio 1. ibi adducta, scilicet, quod ideò potentia est ad esse quià potest recipere esse ab alio, scilicet, ab agente, in vno sensu est vera, & in altero falsa, si enim ly potest dicat posse distinctum contrà impossibile. Arist. dicit esse falsam. Est enim sensus, quod ideò potentia est ad esse, quià non est impossibile ipsam recipere esse ab agente: & sic Cœlum esset in potentia ad motum, cum recipiat ipsum ab alio. Si autèm ly potest dicat potentiam, vt distinguitur contrà *Resp. Caiet. ad Arg. Trombeta loc. cit.*

esse

esse in actu, tunc propositio est vera: ideò enim aliquid est in potentia ad esse, quia potest recipere esse, quod non habet adhuc: sicut ideò aliquid est in potentia ad non esse, quià potest habere non esse, quo caret, sed cum omnis actus possibilis haberi ab aliqua potentia non nisi per transmutationem acquiratur, ad nostram positionem regredimur, quod, scilicet, potentia passiua sola sit adesse. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO VI. QVINTI PHYSICORVM

Quid nomine alterius principij naturalis, scilicet, formæ intelligatur vt sic.

EX CAIETANO

Varijs in locis suorum Comment.

Aperitur à Caiet. titulus quæsiti ipsis Tyronibus Thomistis.

84. EXplicatis ab Eminentissimo Caiet. proprietatibus ipsius materiæ primæ per duas antecedentes quæstiones. In præsenti deuenit ad explicationem formæ vt sic, scilicet, de forma partis, quæ est pars essentialis ipsius Compositi Physici naturalis constituens intrinsecè, vt primum principium simul cùm materia prima ipsum compositum corporeum, quæ dicitur substantia corporea denominatiuè à corporibus, cuius est forma, siuè animata, siuè inanimata: per hoc excludendo ab huius præsentis quæsiti consideratione, ipsas formas totales subsistentes, & simplices, etiàm in ratione entis naturalis physici, quià immateriales, vt Angeli, quorum consideratio, cùm sint creati simul cùm Creatura corporea ex p. p. q. 61. art. 3. & ideò simul sumpti (cùm nulla pars perfecta sit à suo toto superata) possint dici Pars Vniuersi, spectat potius ad Theologum, & ad Metaphysicum vtpotè nullum habentes consortium cùm materia prima, & transcendentes Metas Physicales. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina prima Caiet. ex p. p. q. 7 art. 1. de quidditate formæ substantialis vt sic.

85. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 7. art. 1. quod forma potest sumi dupliciter, scilicet, absolutè in eo quod forma; & secundum quid, idest in eo quod talis puta informatiua materiæ: forma talis perficitur ex vnione ad materiam, non autem forma in eo quod forma. Et quià in proposito est sermo absolutè secundum latitudinem formæ in sensu declarato cuius deteriorem partem constat esse illam, quæ est finibilis per materiam, altera parte libera, ac nullis materiæ terminis conclusibili remanente, ideò neganda est absolutè illa propositio, quando affertur in argumentando, scilicet, finitas formæ non dicit imperfectionem, sed perfectionem. Et addit Caiet. quod duplex est finitas ex parte formæ, seù actus, & quandò dicitur, quod forma finitur per materiam non loquitur S. Doct. de finitate simpliciter, sed tali, scilicet penes terminos materiales; & sic stat quòd natura Angelica carens hac finitate (& alias est finita ex alia parte, scilicet, in hoc gradu entium) sequitur quod possit dici infinita secundum quid. Forma verò substantialis pars compositi, cùm habeat vtramque finitatem, & finita ex omni parte, sequitur quod sit forma, & actus finitus simpliciter. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 2. Caiet.

86. Adnotat 2. Caiet. in p. p. q. 76. art. 1. quod ad rationem formæ substantialis,

tialis, vt dicitur in 2. cont. gent. c. 67. duo requiruntur. Primo quod forma sit principium formale illius, cuius est forma: formale dico essendi substantiam. Secundo quod forma, & materia conueniant in vno numero esse, quo compositum ex eis est. Sed nota quod apud non admittentes materiæ, & formæ esse vnum solum esse, admittitur tamèn, quod vtrumque esse in vno composito esse conuenit. Auuert. tamèn contrà quem disputamus, illas duas conditiones admittit: quià reuera ità simplicitèr est. Et addit ibidem, quod commune est omni formæ, quod esse existentiæ sit sibi proprium, ità quod per se primo sibi conuenit, quod manifestatur ex eo, quod formæ conuenit esse, & non per aliud, quià nec per materiam, nec per compositum, cùm tàm materia sit actu per formam, quàm compositum, vt patet 7. Met. tex. 7. & consequentèr cui conuenit, ratione formæ conuenit. Sed cùm duplicitèr intelligi possit quod esse est proprium formæ, scilicet, velut rationis essendi, seù quo est; vel subiecti, seù quod est, in hoc communicare dicendum est; omnes formas, quod esse est eis proprium, saltèm vt rationibus essendi. In reliquo autèm, scilicet, vendicare sibi esse vt quod, est differentia intèr formas. Quoniàm quædam sunt independentes à materia, seù subiecto, & istis esse est proprium vtroque modo vt quo, & vt quod, & ideò vocantur formæ subsistentes: & in quantùm formæ sunt, esse eas comitatur; in quantùm verò tales, puta independentes, esse suum ipsæ sustentant. Quædam verò sunt dependentes à subiecto, quod talibus esse non est proprium, vt quod est, quià nunquàm aliqua earum est naturale, quod est. Et fundamentum huius differentiæ est, quià forma dicitur essendi causa, in quantùm facit formalitèr completum susceptiuum ipsius esse, vt diaphaneitas quodammodo complet proprium subiectum luminis. Ità Caie. loc. cit.

iet. ex p. p. q. 76. a. 1. de quidditate formæ substantialis vt sic quo ad esse suum.

87. Adnotat 3. Caiet. ibidem, quod differentia est intèr Animam intellectiuam, & alias formas sensibilium in hoc, quod esse est sibi verè proprium vt quo, & vt quod, reliquis verò vt quo tantùm, ità quod esse quo homo est, priùs conuenit animæ intellectiuæ, & non solum, vt quo, sed vt quod est, quàm composito. In reliquis verò, esse priùs conuenit formæ vt quo, non tamèn vt quod, sed composito priùs conuenit vt quod est, & per compositum formæ. Et ratio diuersitatis est, quià in reliquis compositum tantùm habet rationem sufficientis susceptiui ipsius esse, reliqua verò sunt, in quantùm sunt aliquid illius. In homine verò non solùm compositum, sed Anima est sufficiens receptiuum, ipsius esse; & priùs natura ipsa Anima, quæ prior est naturalitèr composito, & ex sua substantiali, & intrinseca perfectione, hanc habet independentiam, qua sustinet in se esse. Et propterea singularitèr attribuitur Animæ intellectiuæ, quod esse sibi sit proprium, & quod illud communicat composito, & dicitur, quod hoc non conuenit alijs formis, & quod proptèr hoc Anima Intellectiua non corrumpitur cum composito, sed retrahit illud esse secum. Cæteræ autèm formæ, quià hoc non habent, corruptibiles sunt cùm compositis, quorum sunt: hæc enim omnia manifestè sequuntur ex hoc fundamento. Si enim Anima habet esse independens à corpore, & illud retrahit secum, composito corrupto, & sic non corrumpitur necessariò, composito corrupto. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 3. Caiet. ex art. 1 loc cit. quo ad esse formæ vt eius proprietas.

88. Adnotat 4. Caiet. ibidem loc. cit. Formam excedere facultatem materiæ quo ad ipsam facultatem, seù potentiam materiæ, est non esse in potentia materiæ, ità quod non est de numero, seù genere earum, ad quas illius potentia se extendit, sed supra eas. Quo ad fieri, est non per transmutationem materiæ educi, sed deforis aduenire; quo ad esse verò, est esse subsistentem, seù independentem secundum esse à materia, ità quod sic informet, quod non pendeat. Quo ad posse, est habere virtutem non receptam in corpore, sed in ipsa Anima stantem; quo ad operari, est operari absque

Doct. 4. Caiet. ex art. 1. loc. cit. quo ad excessum formæ super materiam.

communicante corpore cùm subiecto; vndè Animam intellectiuam excedere facultatem materiæ nihil aliud est, quam ipsam esse tantæ perfectionis essentialitèr, quod quamuis informet, subsistens tamèn, seù independens à materia est. Vel Animam intellectiuam supergredi facultatem materiæ est eam esse talis generis, quod ex ratione sui generis, seù ex hoc quod Intellectiua est non habet, quod informet materiam, illam tamèn informat subsistendo. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 5. Caiet. ex p. p. q. 76. art. 4. quo ad vniri formam materiæ.

89. Adnotat 5. Caiet. ibidem loc. cit. art. 4. in Resp. ad tertium quod immediatè vniri materiæ primæ non infert imperfectionem formæ, sed dare illi primum tantùm perfectionis gradum. Vndè esse formam propinquam materiæ primæ contingit duplicitèr. Vno modo quo ad vnionem, & sic omnis forma substantialis est æquè propinqua materiæ primæ, quià in ipsa immediatè recipitur, & penès hanc propinquitatem non attenditur perfectio, vel imperfectio formæ substantialis. Alio modo quo ad gradualem perfectionem, & sic non omnis forma est æquè propinqua materiæ primæ. Sed quanto aliqua forma est propinquior materiæ, tanto imperfectior, & quanto magis elongata tanto perfectior. Et sic formæ Elementorum dicuntur imperfectissimæ, & immediatè materiæ, & primæ formæ eius, & deindè mistorum, & sic deinceps. Vocatur autèm forma propinquior materiæ secundum perfectionem, quę primum ordine generationis gradum perfectionalem dat tantùm, remotior vero, quæ primum, & secundum, & sic procedendo data latitudine in quolibet gradu. Ità Caiet. art. 4. loc. cit.

Doctrina 6. Caiet. ex cap. 2. de Ante prædicamentis quo ad differentiam formæ accidentalis, & formæ substantialis in ly esse in subiecto.

90. Adnotat 6. Caiet. in cap. 2. de Ante prædicamentis, quod ex diffinitione de ly esse in subiecto, scilicet. In subiecto esse dico, quod cùm sit in aliquo, non sicuti pars quædam, impossibile est esse sinè eo, in quo est, habetur proprietas accidentis; & quod ex qualibet istarum trium particularum diffinitionis potest sumi differentia intèr esse in subiecto, & esse formæ substantialis in materia. Primo potest sumi ex ly aliquo. Dicit namque Auuerroes, quod Arist. in hoc libro contentus est sermone famoso, secundum quem subiectum, sensibile aliquid esse discernitur, materia autèm prima nequaquam cùm etiàm sapientes de illa dicant, quod non est quid, neque quale, neque quantum: & ideò dicens cùm sit in aliquo, idest in subiecto sensibili, exclusit modum, quo forma substantialis inest, quoniam vt dicitur in lib. de Gen. Generatio ad formam substantialem est mutatio nullo sensibili remanente; accidens autèm, subiectum habet sensibile. Secundo potest sumi ex ly non sicuti pars duplicitèr quoniam forma substantialis, & si non sit in materia sicuti pars in toto, est tamèn in materia existente sicuti pars in toto, quoniam est de essentia eius; Accidens autèm neque est pars subiecti existentis. Deindè quoniam forma substantialis est etiàm in ipsa materia sicuti pars, non quidem in toto, sed in parte; Accidens autèm est in subiecto, neque vt pars in toto, neque vt pars in parte: quoniam ex accidente, & subiecto non resultat vnum totum, sicuti ex materia, & forma. Tertio potest sumi ex ly impossibile est esse sine eo, in quo est, quoniàm formæ substantiali vt sic non repugnat esse sine materia, alitèr omni formæ substantiali repugnaret separari à materia, quod in Anima humana falsum ostenditur licet aliundè repugnet, puta quià est materialis: & consequentèr ista propositio est falsa formalitèr loquendo, formam substantialem impossibile est esse sine materia. Accidenti autèm vt sic repugnat esse sine subiecto: & ideò formalitèr, & simplicitèr verum est, accidens non posse esse sine subiecto. Et quià sermo Philosophi est formalis, hinc habetur differentia intèr esse in subiecto, & esse in materia formalitèr loquendo. Ità Caiet. loc. cit. in Ante prædicamentis.

Doctrina 7. Ca-

91. Adnotat 7. Caiet. in cap. 7. de ente, & essentia in principio, quod formæ acci-

accidentales conueniunt cum formis substantialibus in tribus. Primo in hoc, quod neutrum eorum habet esse absolutum à subiecto independens à receptiuo: sed sicuti, ex forma substantiali coniuncta materiæ fluit esse commune vtrique: ità ex coniunctione accidentis cum subiecto relinquitur esse commune vtrique, ex coniunctione enim albedinis cum niue fit esse, quo, & albedo est, & nix est alba. *iet ex cap. 7. de ente, & essentia quo ad conuenientias, & differentias formæ substantialis, & accidentalis.*

Secundo conueniunt in hoc, quod neutrum eorum habet essentiam completam quià essentia vtriusque essentialitèr ad aliud refertur vt receptiuum: forma siquidem substantialis essentialitèr est entitas perfectiua materiæ, & accidens essentialitèr est entitas subiecti qualificatiua. *2. Conuenientia.*

Tertio conueniunt in hoc, quod neutrum eorum habet diffinitionem completam proprijs terminis, sed per additamentum: sicut enim in diffinitione accidentis opportet poni suum subiectum, quod est extrà eius genus, ità in diffinitione formæ substantialis opportet ponere receptiuum materiam, scilicet, quæ est extrà eius genus proprium: nàm genus formæ est actus, vt patet, secundo de Anima, materiam autèm, cùm diuidatur in actum, & potentiam, sub potentia contineri clarum est: & consequentèr esse extrà actum, quod est genus formæ. Huius signum est, quod Arist. diffiniendo Animam, posuit in eius diffinitione, corpus Physicum organicum, quod propria materia est Animæ in eo, quod est corporis Physici perfectio. Addidit autem Arist. hoc ne mireris, quare in diffinitione Animæ non ponitur materia, cùm sit forma substantialis, sed corpus Physicum, non enim ideò est, quià Physicus non considerat Animam, vt formam substantialem, sed vt Animam, quæ vt sic corpus Physicum præexigit tanquàm propriam materiam. Hinc habes quod considerare Animam intellectiuam vt sic secundum suam completam quidditatem non est opus Physici, vt etiàm tradit Arist. in lib. 1. de partibus Animalium cap. 1. *3. Conuenientia.*

92. Differunt autèm in quinque. Primo quià receptiuum formæ substantialis non habet esse per se sine esse formæ: est enim in hoc conforme suæ formæ: sicuti enim forma substantialis non habet esse pratèr suum receptiuum: ità nec suum receptiuum habet esse pratèr suam formam; receptiuum verò accidentis habet esse per se pratèr esse sui accidentis. Huius differentiæ ratio est, quià receptiuum formæ substantialis est ens in pura potentia: receptiuum verò formæ accidentalis habet esse in actu. *1. Differentia.*

Secundo differunt, quià ex coniunctione formæ substantialis ad suum receptiuum emanat esse illud, quo res ipsa subsistit, seù simplicitèr est; ex coniunctione verò formæ accidentalis ad subiectum fluit esse, quo res secundum quid est. Et hæc differentia oritur ex prima ex quo enim receptiuum formæ substantialis caret esse per se, illud esse, quod ex forma fluit, primo est; & per oppositum, ex quo subiectum accidentis proprio esse gaudet, per additionem accidentis ale esse aquirit, & non esse simplicitèr, hoc enim præhabet; & sic secundum hoc primum esse, potest intelligi esse sine secundo: potest enim substantia ab accidente separari, vt dicitur 7. Met tex. 4. *2. Differentia.*

Tertio differunt, quià ex compositione formæ substantialis cum suo subiecto fit, vnum per se; ex compositione autèm accidentis cùm subiecto non fit vnum nisi per accidens. Oritur autèm hæc differentia ex secunda: ex quo enim ex forma substantiali esse simplicitèr fit, quo res est per se, opportet quod vnum simplicitèr fiat, quo res sit per se vna: ens enim sequitur vnum. Ex eo verò quod subiectum, & accidens duo esse habet, vnum per se facere non possunt eadem ratione, quià, scilicet, vnum sequitur ens; non enim potest esse, quod vnum per se sequatur ens per accidens. *3. Differentia.*

4. *Differentia.* Quarto differunt: quià ex coniunctione formæ substantialis cùm materia resultat essentia quædam tertia, scilicet, entitas. Ex coniunctione verò accidentis cùm subiecto non fit aliqua essentia tertia. Oritur autèm hæc differentia ex tertia: cùm enim essentia sit id, quod per diffinitionem significatur vt res diffinita, diffinitum autèm opportet esse vnum per se secundum Arist. 7. Met. tex. 16. ex eo, quod ex accidente, & subiecto non fit vnum per se, habetur, quod nec essentia aliqua resultat; & per oppositum ex eo, quod ex forma substantiali, & materia vnum per se fit, essentia tertia resultat.

5. *Differentia.* Quinto differunt, quià forma substantialis, & si non sit essentia completa, est tamèn pars essentiæ completæ. Accidens verò non est essentia completa, nec pars essentiæ completæ. Sequitur hæc differentia ex quarta. Si enim ex forma, & materia fit essentia quædam tertia, forma substantialis illius pars erit. Si autèm ex accidente, & subiecto essentia nulla resultat, Accidens nullius essentiæ completæ pars poni potest. Et sic Accidens, incompletum, & secundum quid est ens, ac consequentèr incompletam essentiam, & diffinitionem habet. Nec te moueat, quod formam substantialem non absolutam à receptiuo, esse non habere sine materia, modo dicatur, & superiùs dictum sit animam intellectiuam independentem à materia, & separatum ab illa secundum rem remanere: hoc enim est simplicitèr verum; ad verificationem autèm eius, quod modò diximus, sufficit Animam intellectiuam esse essentialitèr materiæ informatiuam, & tali modo ab illa insolubilem secundum esse quidditatiuum, vt eius diffinitio ostendit; & quod forma substantialis vt sic non habeat, vndè secundum esse actualis existentiæ à materia absoluatur, & independens, scilicet, aliundè alicui formæ substantiali hoc insit, puta ex hoc quod est intellectiua: loquitur enim de forma partis substantiali vt sic. Ità de quidditate, & proprietatibus formæ vt sic, Caietanus.

QVÆSTIO VII. PRIMI PHYSICORVM

De alio Principio rei naturalis in fieri, scilicet, de Priuatione vt sic

EX CAIETANO

In varijs suæ Doctrinæ locis

Aperitur à Caietano ipsis Tyronibus Thomistis quid nomin. priuationis Physicæ vt sic. in cap. p. post prædicam. & alibi.

94. PRiuatio, quæ ab Arist. in primo Phys. Comment. tex. 66. ponitur inter principia in fieri per se, & non per accidens ipsius generationis, ad differentiam formæ præexistentis, & dispositionum, quæ per accidens, & non nisi in genere causæ materialis incurrunt, explicatur à Caietano in capite primo de post Prædicamentis, vbi pro explicatione tituli ait, quod quamuis Priuatio, vt in quinto Met. scribitur, multis modis dicatur, quos vide ibi si placet, in communi tamèn vsu loquentium duplicitèr sumitur. Vno modo strictius dicitur priuatio, negatio formæ in subiecto apto nato habere vtramq; ordine irregressibili, & hoc modo cæcitas dicitur priuatio visus, & mors priuatio vi-

vitæ. Priuatio hoc modo sumpta explicatur in post prædicamentis cap. p. & secundum hanc dicit Arist. infrà quod à priuatione ad habitum non datur regressus. Alio modo dicitur Priuatio negatio alicuius formæ in subiecto apto nato habere illam: & hoc modo tenebra dicitur priuatio lucis, & ignorantia priuatio scientiæ; & sic ponitur priuatio vnum principium naturalium, vt in titulo, & in hoc primo Physicorum, ratione cuius prima principia sunt maximè contraria, & priuatiuè opposita, & si in nullo formalitèr conueniant, in subiecti tamèn positione conueniunt, vtrumque enim subiectum ponit. Et Priuatio hæc Physica, licet in materia debeat præ esse, vt hæc ad nouam formam mutetur: attamen ipsa priuatio habet specialem modum concurrendi, distinctum ab eo, quo materia concurrit, nimirùm vt terminus à quo, cui per se correspondet terminus ad quem. Ità Caiet. in loc.cit. & alijs locis.

95. Adnotat primo Caiet. in cap. primo post. in principio expositionis textus, quod quià prædicata tenent formaliter, & subiecta materialitèr, ideò Arist. ex conditionibus Physici subiecti, & formæ, naturam subiecti, & prædicati in propositionibus declarat. Vndè, prosequitur Caiet. In Physicis hæc quattuor inueniuntur, scilicet, quod idem substernitur factioni alicuius formæ, & illi formæ, vt patet, quando aqua calefit. ipsa siquidem acqua est, quæ calefit non solùm, seù non solùm mouetur ad calorem, sed etiàm recipit calorem; Secundo quod forma neque substernitur subiecto, neque factioni eius; Tertio quod forma non substernitur factioni alterius formæ: nisi forte vna mediante alia suscipiatur, vt color recipitur in substantia media quantitate; quarto quod quando subiectum habens aliquam formam, mouetur ad vnam aliam non oppositam, illa etiàm forma dicitur moueri per accidens ad illam aliam formam, quià, scilicet, est coniuncta ei, quod mouetur ad illam: sicuti enim ex parte causæ efficientis dicimus per accidens Musicus ædificat, ità ex parte causæ materialis, dicimus, quod album fit dulce: hinc Arist. sumit pro assumpto, transferendo ista quattuor ad propositionum affirmatiuarum non quidditatiuarum subiecta, & prædicata, istam propositionem, omne quod propriè est tale, fit tale. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina prima Caiet. in cap. p. post. quomodo priuatio sit principium per se, & aliquàdo per accidens concurrat.

96. Adnotat secundo Caiet. ibidem loc. cit. infrà immediatè, quod didicimus ab ipso Arist. in secundo de Cœlo nos Thomistæ, quod ad cognoscendum principium, tàm efficiens, quàm materiale, & priuationem, & quodcumque aliud non debemus intueri, an incæperit causare, an non, sed habitudinem vnius ad aliud, sufficit enim, quod si inciperet illud, hoc esset materia illius siuè efficiens, &c. Vndè, quoniàm si risibile homo fieret risibile, sibi non nisi per accidens substerneretur; & conuersò autèm si homo fieret risibilis, homo secundum se ei subijceretur, ideò nihil minus illa, scilicet, risibile est homo, est per accidens in proposito (quamuis necessaria) quàm illa album est homo. Termini igitur assumpti in illa propositione, Physicè sunt intelligendi, & ratio ipsa, pro qua assumetur est Physica, secundùm autèm Physica documenta non refert, quo ad fieri ex aliquo per accidens, siuè illud sit necessariò coniunctum ei ex quo fit per se, siuè contingentèr. Vndè in primo Phys. ex priuatione fieri per accidens res dicitur, si ly ex, denotet causam materialem, & tamèn constat eam esse necessariò coniunctam materiæ, ex qua res fit per se. Quando ergo dicitur ab Arist. hic quod album fit, vel est lignum, Physico more, ly accidit, sumendum est. Quod ne limites egrediar, sic declarasse sufficiat. Ità de priuatione in concursu rei faciendæ Caiet. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. loc. cit. post. circà idē vt suprà.

97. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 66. art. primo diligentissimè, quod si quis naturam materiæ vt sic considerauerit, facile reddet rationem quomodo materia sit vna, & quomodo principium hoc, scilicet, priuatio concurrit. Materia enim secundum

Doctrina tertia Caiet in p p. q 66 art. 1. quomodo priuatio sit annexa materiæ.

dum se, secundum id quod est, vt in art. dicitur cit. non est aliquod ens nisi substantialis potentia ad formam, nec aliam naturam habet, & hoc est eius quod quid est. Verùm hoc non contingit vno modo, sed duobus, quià esse ad formam contingit dupliciter, scilicet, ad formam secundum genus, & ad formam talem secundum speciem. Cum enim opporteat potentiam omnem aliquem actum per se primo respicere, vt adæquatum sibi, per quem diffinienda est, vt patet 9. Met. consequens est, vt substantialis potentia materiæ respiciat vt adæquatum actum, aut formam talem secundum genus, aut secundum speciem: indiuidua enim extrà artem sunt. Intèr autèm hos duos modos, hæc est in manifesto differentia, quod potentia ad vnam formam genere tantùm, est ad plures species, potentia verò tantùm ad formam vnam specie non est ad plura, nisi fortè per accidens, puta quià species illa multiplicabilis esset numeralitèr. Ex hac differentia sequitur alia, scilicet, quod potentia primo modo habet priuationem annexam; potentia verò secundo modo, non: & patet sequela, quià materia quæ est in potentia ad plura, habendo vnum actu, ad huc est in potentia ad aliud, ac per hoc priuatur illo: potentia enim ad aliquid cum negatione illius, in eo constituit priuationem vt patet. Materia verò, cuius est potentia ad vnum solum, cum habendo illud, nullo sibi possibili careat, nullam habet priuationem. Nec pertransibis hic sed philosophicè subsiste, & considera, quod nulla res appetit negationem, aut malum, nisi quià appetit bonum, cui est annexa negatio alterius; sicut calefactibile appetendo calorem appetit negationem frigoris; & ignis appetendo perpetuitatem sui, corruptionem aquæ ex consequenti appetit. Et propterea si potentia aliqua non est ad aliam formam, non habet congenitam priuationem eius formæ, quam habet, alitèr appeteret primo non esse, quod non est intelligibile. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina quarta Caiet. loc. cit.

98. Adnotat quarto Caiet. ibidem, circà non esse, & ly priuatio, quod duplicitèr intelligi potest, & per simplicitèr, & per secundum quid. Materia est per quàm res potest non esse saltem secundum quid, & similitèr est idem subiecto cum priuatione secundum quid saltèm. Et hoc potest etiàm duplicitèr exponi, primo vt subiectum vendicet sibi prædicatum, & sic non sunt veræ similes propositiones nisi cum distinctione simplicitèr, vel secundum quid, alio modo vt prædicatum determinet sibi subiectum, & sic sunt veræ absolutè. Vbicumque namque est potentia ad esse, & non esse, ibi est materia, similitèr vbi est priuatio, ibi est idem subiecto cum materia, & non æ contrà. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina Caiet. in p. 2. q. 86. a. 1. in Resp. ad tertium quod priuatio physica non suscipit magis, & minus.

99. Adnotat. quinto Caiet. in p. 2. q. 86. art. 1. in Resp. ad tertium circà multiplicationem priuationum in materia morali, & circà priuationem an suscipiat magis, & minus, adnotat inquam verba D. Th. ad tertium *quod macula peccati non est aliquid positiuè in Anima: nec significat priuationem solam, sed significat priuationem quamdam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum, & ideò diuersa peccata diuersas maculas inducunt: & est simile de vmbra, quæ est priuatio luminis ex obiectu alicuius corporis, & secundum diuersitatem corporum obiectorum diuersificantur vmbræ*. Ità D. Th. cui addit Caiet. licet enim priuatio coniunctionis, similitudinis, refulgentiæ, gratiæ, charitatis, non suscipiat magis, & minus, quià consistit in facto esse: causa tamèn eius, scilicet, peccatum, suscipit magis, & minus: ac per hoc macula, quæ significat priuationem non absolutè, sed vt ex peccato, suscipit magis, & minus, non in se, sed in causa. Et ex hoc prouenit, quod iste est magis maculatus eadem macula specie altero, & magis peccator altero post actus peccatorum. Ità à moralibus priuationibus descendit ad priuationem Physicam, idem met Caiet. loc. cit.

AP-

APPENDICES

DE hoc principio naturali, scilicet, de Priuatione, cur dicatur principium per accidens, & non per se, & quomodo sit eadem subiecto cùm Materia prima, & ab hoc, differat vt principium non realitèr, sed ratione tantùm. Vide, si vis, discipule Thomista, intelligere Doctrinas Caietani suprà, Opusculum D. Th. trigesimum primum de principijs naturæ ad Fratrem Syluestrum, &c.

QVÆSTIO VIII. PRIMI PHYSICORVM

Quid nomine Compositi substantialis intelligatur

EX CAIETANO

In varijs suæ Doctrinæ locis

100. ADnotat primo Caiet. in q. 76. art. 8. p. p. quod compositum substantiale physicum non est ità totum essentiale, & perfectùm, vt non possit conuenire formæ subsistenti. Et sic notat ibi, quod totalitas essentialis est duplex, scilicet, ex partibus secundùm rem, & hæc non conuenit formæ sed essentiæ compositæ, & ex partibus secundum rationem suæ diffinitionis, & hæc conuenit formis, & dicitur forma tota positiuè, quià vtrobiq; totalitas essentialis sumitur positiuè, etiàm si aliquando distribuat pro partibus diffinitionis, & non rei, & sic erit dicere, quod est totum essentialitèr idest secundum omnes partes suæ diffinitionis intrinsecas. Et insuper sumendo totum prout est idem quod perfectum, totalitas essentialis sumetur pro perfectione essentiali: hæc etiàm totalitas per se conuenit nedum composito, sed etiàm formis, quoniàm, & diffinitur vnumquodq; & perfectionem habet ratione formæ. Et hoc tangitur à S. Doct. in art. cit. & prima totalitas diffinitionis, quando dicit, esse quoddam totum quod diuiditur in partes rationis, & essentiæ, vt diffinitum, & æ conuerso. Secunda totalitas, quando dicitur ibi, quod ista attenditur secundum rationis, & essentiæ perfectionem. Ità Caiet. art. 8. cit. in fine commentarij.

Doctrina prima Caiet. in p. p. q. 76. art. 8. de cõposito substantialis quod habeat totalitatem essẽtialem.

101. Adnotat secundo Caiet. in cap. 7. de Ente, & essentia in fine comment. quod D. Th. comparando essentias substantiarum simplicium essentijs substantiarum compositarum assignat triplicem differentiam. Prima est, quod essentia substantiæ simplicis significat formam tantum: essentia autèm substantiæ compositæ significat compositum quid ex materia, & forma. Secunda est quod essentia substantiæ compositæ potest significari vt totum, & vt pars, non autèm essentia substantiæ simplicis: hæc tamèn differentia intelligenda est cum additione, scilicet, quod essentia substantiæ compositæ ex se habet, quod significabilis sit per modum totius, & partis; essentia autèm simplex ex se non habet, quod significetur per modum totius, & partis, sed ab intellectu tantùm: & ideò diuersitas, quæ intèr abstractum, & concretum in substantijs compositis est, ex parte rei est, & reducitur ad distinctionem,

Doctrina secũda Caiet. in cap. 7. de Ente, & essentia, in quibus differant totum simplex, & totum compositũ.

quæ

quæ est intèr subiectum deferens, & formam delatam. Diuersitas autèm, quæ est inter abstractum, & concretum in substantijs separatis non est nisi ex parte intellectus vt Comment. ibi dicit. Et proptèr hoc dicit Auicennas, quod quidditas simplicis, est ipsum simplex, & quidditas compositi non est ipsum compositum. Tertio differt quod essentia substantiæ compositæ est plurificabilis numero in eadem specie, sicuti essentia humana distinguitur numero in Socrate, & Platone. Essentia autèm substantiæ simplicis idest separatæ à materia non est plurificabilis in plura indiuidua eiusdem speciei, sed quodlibet indiuiduum constituit vnam speciem, & distinguitur specificè ab alio. Ità cùm D. Th. Caiet. loc. cit.

Doctri. 3. Caiet. In p. p. q. 76. art. p. in quibus differat compositum substantiale, à composito accidentali.

102. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 76. art. primo, quod compositio substantialis, & accidentalis in hoc conueniunt, quod vtraque constat, & actu, & potentia: sed differunt in hoc, quod in substantiali fit ens, & vnum per se, in accidentali verò non. Radix huius diuersitatis est, quià ens, & vnum per se opportet in aliquo vno tantùm genere, & specie essentialitèr esse, ac per hoc ex essentialitèr actu, & essentialitèr potentia compositi, si compositum est: alioquin non esset essentialitèr in vna specie. Essentialitèr autèm potentiam alicuius actus, illam, & solam esse constat, quæ nihil aliud est, quàm potentia illius, vt figurabile respectu figuræ, & calefactibile respectu caloris significant, & sic de alijs. Quandocumque autèm vnus solus actus cùm sola potentia adunatur, vnum tantùm esse interuenit secundum illum actum, ac per hoc per se ens, & vnum fit; quandò verò duo actus vniuntur, duo quoque necesse est fieri, ac per hoc non per se ens, nec per se vnum; sed ens, & vnum per accidens: propterea 7. Met. dicitur quod ex duobus actibus non fit vnum per se, v. g. callidum constat ex calore, & calefactibili; calefactibile autèm non est tantùm hoc, quod significat calefactibile, idest, capacitas caloris, sed in se alterius naturæ, puta ligneæ, vel aqueæ, & propterea ex calefactibili, & calore non fit per se ens, & vnum, quià ex illa substrata natura, puta aqua, vel ligno, & calore non potest fieri per se Ens, & vnum, ponit enim vtrumq; eorum suum esse proprium, & consequentèr duo entia constituuntur. Sed si calefactibile non esset alicuius certæ naturæ, sed huius tantùm, quod esset naturalitèr potentia ad calorem, & frigus: tunc ex calefactibili, & callido fieret per se ens vnum, quià ibi nullum interueniret esse, nisi caloris: calefactibile enim nullum aliud ex se adduceret esse, sed ad caloris esse specificaretur, ac per hoc in vnum tantùm quod quid erat esse vtrumque adunaretur, quod est esse per se ens, & vnum. Et quoniàm in compositione substantiali subiectum est ens in pura potentia, in accidentali verò ens in actu, vt dicitur in 2. de Anima comm. 4. ideò ibi fit vnum per se, hic vero vnum per accidens. Patet ergo quod radix, quod compositum sit per se ens, & vnum, est vnitas esse; & quod non fit per se ens, & vnum, est pluralitas esse: & quod vnitas, & pluralitas esse attenditur secundum vnitatem, & pluralitatem formæ, quià per se primo formæ conuenit. Et propterea intolerabilis est Physicorum error dicentium in composito esse tot esse, quot entitates. Destruit enim hoc naturam compositionis essentialis, & illud Met. maximum principium iàm probatum, quod esse per se primo conuenit formæ, & multa alia; vndè præclarè Arist. in secundo de Anima tex. 7. exclusit quæstionem, quomodo ex Anima, & corpore fiat vnum per hoc, quod cuius proprium est esse, scilicet, ipsius actus, hoc multiplicato, multiplicetur, & ens, & vnum. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina quarta Caiet. p. p. in q. 44. art. 2. quo

103. Adnotat quarto Caiet. magis explicando doctrinam prædictam in p. p. q. 44. art. secundo. Quando ens fit per se. Iuxtà doctrinam igitur p. Phys. tex. 76. dupliciter in communi loquendo contingit fieri aliquid, scilicet, per se, & per accidens.

dens. Et vt ibi dicitur. Illud fit per se, cuius ratio immediatè antè hoc non fuit. Illud verò fit per accidens, cuius ratio antequam fieret, erat. Exemplum primi, quando coloratum fit ex non colorato. Exemplum secundi quando, ex nigro fit coloratum, quià fit album: in nigro enim præerat coloratum: & ratio huius differentiæ assignatur ibidem optima, scilicet, quià nullum agens per se intendit facere id quod est, sed quod non est, vt sit. Et sumitur ly ex in proposito, non vt denotat habitudinem subiecti, sed ordinem durationis ad terminum à quo, ità quod significat idem, quod post, vt ibidem patet. Ens igitur dupliciter contingit fieri, scilicet, per accidens, & per se. Per accidens quidem fit, quando factio inuenit ens, seù quandò fit ex ente, sicuti quando coloratum fit ex nigro; per se autèm, quando fit ex non ente, sicuti cum coloratum fit ex non colorato proptèr eandem causam. Et quoniàm omne transmutans aliquod ens in actu inuenit, ex quo facit aliud ens in actu, ideò nullum transmutans facit ens per se, sed per accidens tantùm: ex quo enim inuenit ens, licet non illud, quod intendit generare, ideò non agit per se vt faciat ens, sed accidit, vt intendendo faceret tale ens, faciat etiàm ens: vndè si non intenderet facere nisi ens, non ageret: quià iàm antè actionem suam, est Si itaq; peripatetica hæc doctrina, & optimè fundata super continua experientia, & ratione vera est, opportet dicere, quod sicuti ad hoc quod coloratum fiat per se, opportet quod non præfuerit coloratum; ità ad hoc quod fiat ens per se, opportet quod non præfuerit ens: hoc autèm est nihil præesse, & totum fieri non ex aliquo. Et sic opportet, quod si ens fit per se, quod fiat post nihil ipsius entis. Ex his patet id quod S. Doct. dicit in art. cit. ex eo namque quod transmutans omne, inuentum subiectum determinat, manifestè patet sequi, quod non facit per se ens, sed determinat ad hoc, vel illud. Materia enim prima, & si secundum se non sit quid, vel quale, est tamèn tali pacto ens, quod vnumquodque producibile ex se, se ipsa ponit extrà nihil: Est enim aliquid omnium. Et propterea merito impedit causationem entis in eo quod ens; & ab agente per se ens, opportet produci effectum totum syncathegorematicè, vt S. Doct. ait. Ità Caiet. loc. cit.

modo compositum si causatur per transmutationē non possit dici quod fiat ens per se formaliter loquendo.

104. Adnotat quinto Caiet. ibidem art. 2. cit explicando magis prædictam doctrinam pro vt spectat ad propositum, quod de causis intrinsecis loquendo, eædem, quamuis non eodem modo, sunt causæ entium in eo quod entia, & transmutabilium vt sic, scilicet, materia, & forma, vt patet primo Phys. & 7. Met. Transmutabilia entia in quantum entia ex materia, & forma constant; separata tamèn immateria ex sola forma. De principijs quoque extrinsecis loquendo, principia transmutabilium, & entium vt sic materialitèr coincidunt, quoniàm Deus gloriosus est, & primus motor, & supremus finis, & primum essendi principium: & propterea indistinctè quandoque inuenitur de causis entium, in eo quod entia, & causis transmutationum: opportet tamèn diligentèr lectorem discernere, quando formalitèr, & quando materialitèr sermo verificatur; nos enim in præcedenti doctrina formalitèr loquimur, & ideò causas entium in eo quod entia à causis transmutationis separamus; & quando dicitur in quinto Phys. & alibi, quod in generatione substantiali fit ens simplicitèr ex non ente simplicitèr, & per consequens fit ens secundùm quod ens, hoc non obstat huic doctrinæ, & præcedenti, quoniàm aliud est fieri ens simplicitèr, & aliud est fieri secundum quod ens: illud enim importat fieri ens ex pura potentia, vt subiecto, hoc autèm fieri ens post non ens simplicitèr. Et caue ne fallaris nesciens discernere inter has propositiones. Ens in actu fit ex ente in potentia per se, & ens in actu fit per se. In prima enim notatur habitudo termini ad subiectum, & est vera, quià si ens in actu habet subiectum eius subiectum per se est ens in poten-

Doctrina quinta Caiet. loc. cit. quomodo, & in quo sensu compositum possit dici si transmutatur, fit, ens per se.

tentia, & in hoc sensu ponatur in 12. Met. tex. 8. In secunda autèm notatur habitudo termini ad suum fieri absolutè: & propterea numquàm verificatur quando ratio termini praerat.Ità Caiet. loc. cit.

QVAESTIO IX. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm vna sit Materia prima in formis omnium corporalium

EX CAIETANO

Cum D. Th. in p. p. q. 66. art. 2.

Aperitur à Caieta. Tyronibus Thomistis status controuersiae.

EMinentissimus Caiet. explicatis aliquo modo quidditatibus, cùm aliquibus proprietatibus primorum principiorum quae dicuntur tria in fieri, scilicet, materia, forma, & priuatio pro vt in praecedentibus quaestionibus constat: modo explicat aliqua praedicata, quae competunt ipsis, & iterùm principiando à materia prima quaerit cum D. Th. in p. p. q. 66. art. 2. de hoc praedicato in ly vna, an sit in omnibus compositis substantialibus, & quomodo sit vna, an vniuocè, an analogicè, & ly vna, ait Caiet. propriè sumitur pro vnitate generis Physici, quae propriè est vnitas materiae vt patet quinto Met. Ità Caiet.

Doctrina prima Caiet. ex p. p. q. 66. art. 2. quo modo potentia Caeli non possit esse potentia contradictionis ex ipso Arist.

105. Adnotat primo Caiet. in q. 66. loc. cit. arguendo ad hominem contrà Scotum qui tenuit quod materia corporis caelestis non sit potentia purè receptiua: eo quià non est in potentia contradictionis adesse, & non esse, vt est ista materia corporum sublunarium. Notat igitur, ad hominem scito verè, quod Arist. 9. Met. tex. 27. qui allegatur à Scoto pro sua phantasia imaginata, non vocat potentiam, nisi potentiam, vt potentia est: potentia autèm vt potentia non est, quandò iàm est sub actu, & sic potentiam purè receptiuam non vocat potentiam, & propterea dicit, quod omnis potentia est potentia contradictionis quià sola potentia, quae est simul passiua, & receptiua; verè nominatur potentia, & simpliciter. Et si vis etiàm proteruos conuincere affer codicem, & videbis ibidem, quod negat in Coelo esse potentiam ad motum localem, cùm tamèn constet, quod motus est actus entis in potentia in quantùm potentia: quià enim posuit motum Coelo coeternum, sicuti, & figuram, ac per hoc Coelum nunquàm est in statu potentiae respectu motus, sed semper est in actu, ideò dicit non esse in potentia ad motum, sed in potentia ad terminos motus, vndè, & quo ad illos continuè agitur à Motore deperdendos, & acquirendos. Et in hoc stat differentia intèr materiam corporis coelestis, & corporis inferioris, quod materia, puta Lunae, non est in potentia secundum se ad priuationem suae formae, quià potentia ad priuationem huius formae, fundatur super potentiam ad aliam formam, vt patet ex dictis suprà: Materia autèm corporis sublunaris, quià est simul passiua, & receptiua, est potentia contradictionis, scilicet, ad non esse, & esse, quià secundum se est in potentia ad priuationem suae formae, vt iàm dictum est. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. loc. cit. in fine Comment.

106. Adnotat secundo ibidem Caiet. contrà Auuerroim, qui tenet corpus coeleste esse ens in actu, idest, simplex corporeitas sua materia: quod bene infert S. Doct. in littera; articuli cit. in positione Auuerrois, quod si corporeitas illa esset actus, esset

esset intellecta in actu, quod repugnat corpori cœlesti, quià est sensibile vt patet. Et ideò Caiet. addit notando, quod esse ens in actu contingit dupliciter, vno modo propriè, alio modo communiter. Et communiter quidem vocatur ens in actu omne, quod quomodolibet extrà causas suas est. Propriè autèm illud tantùm, cuius propriè est esse, quod, scilicet, est per se ipsum, non quià aliquid est alicuius, hoc autèm in his quæ fiunt, est illud quod fit idest compositum, vt patet 7. Met. In his autèm quæ non generantur, nec componuntur, est illud quod fieret, scilicet, compositum, & cùm in proposito non sit sermo de esse in actu communitèr sed propriè, bene infert S. Doctor, quod iuxtà positionem Auuerrois, illa corporeitas simplex, sequitur quod sit intellecta in actu, & fundatur suprà resolutionem ipsius substantiæ corporeæ; cùm enim hæc diuidatur sufficientèr in materiam, & formam, & compositum ex illis, & materia diffinita sit, quod non est secundum eam hoc aliquid, forma verò sit secundum quam fit hoc aliquid, opportet quod corporeitas cœlestis, cùm manifestè sit hoc aliquid, secluso Motore, patet quod non cadit sub membro primo, scilicet, materia, sed secundo, vel tertio, scilicet, forma, vel composito. Et cùm Auuerrois neget compositum, ergo restat, quod est forma, & est ratio, quià aliquid alicuius est, sed est per se ipsam, ità quod si fieret eius esse per se primo fieri, ac per hoc, eius est esse per se primò. Omnis autèm forma, quæ est per se primò, est intellecta in actu, quoniàm vt in tertio de Anima dicitur, omninò ità se habent, quæ circa intellectum sunt, sicut circa separationem à materia. Duo igitur sequuntur ad positionem Auuerrois. Ex eo quod per se primo est ens in actu, sequitur quod sit de genere intellectorum in actu. Ex eo verò quod subijcitur quantitati potentiæ ad vbi, &c. Sequitur quod sit de genere sensibilium, sunt ergo hæc incompossibilia. Nec potest ab hac ratione quis euadere nisi ponendo quartum genus substantiæ, quod ab Arist. Philosophia alienum esse patet. Quod enim aliqui ponunt, scilicet corporeitatem illam comprehendi sub primo membro, scilicet, sub materia, distinguentes materiam in materiam ad esse, & in materiam ad vbi, contradicit diffinitioni, seù proprietati materiæ, quæ ipsum est primum membrum, vt patet in secundo de Anima. Contrariatur quoque doctrinæ Arist. alibi, vt ostendi facile posset, si contrà Auuerroim, modò scribendum esset. Ità Caiet. loc. cit. art. 2. *art. contrà Auuerroim de sua materia corporis cœlestis.*

107. Adnotat Caiet. tertio in Resp. ad primum q. 75. art. 5. pulchram doctrinam, quod in ordine actuum, qui est ordo causæ efficientis fit reductio ad vnum numero, à quo omnes alij actus sunt. In ordine verò potentiæ, qui est ordo causæ materialis, non fit reductio totius vniuersi ad vnam numero potentiam, sed ad vnam potentiam analogia idest in multas potentias ordinatas ad diuersos actus, & conuenientes inter se proportione, quià quolibet se habet ad actum suum, vt alia ad suum. Ordo autèm intèr eas est iuxtà ordinem actuum, quorum sunt capaces. Et sic reductio in genere causæ materialis tripliciter fieri potest. Primo omnium eiusdem generis, & sic ad vnam numero potentiam; secundo totius vniuersi, & sic ad vnam analogia; tertio ipsarum potentiarum, & sic vna non resoluitur in aliam vniuersalitèr loquendo: quià nec potentia intellectus in potentiam materiæ, nec è conuersò resolui potest: quamuis vna intèr eas sit infima ordine perfectionis, puta materia prima. Et ratio S. Th. subtilissima est, quià potentiam etiam prima est intrinseca rei, cuius est, & ideò opportet esse diuersorum diuersam. Efficiens verò primum nihil est rerum, & ideò stat vnum omnium esse. Causa enim materialis est intrinseca, effectiua verò est extrinseca. Ità Caiet. art. 5. cit. in fine Comment. *Doctrina tertia Caiet. pulcherrima ex D. Th. in p. p. q. 75. art. 5. in fine quo modo fit reductio materiæ primæ ad puram potentiã.*

108. Quo ad secundum Caiet. cùm D. Th. in art. cit. primo tractat opiniones partis affirmatiuæ. Prima est antiquorum quos defendit Plato impugnatus ab Arist. *Opiniones antiquorũ Platonis,*

Auicembron, & Auerrois circà vnitatem materiæ eodem loc. cit. q. 66. art. 2.

in lib. p. de Cœlo à tex. 5. vsque ad 19. per motus naturales ipsorum corporum; Secunda est Auicembron. Et vtrique ponunt vnam omnium materiam. Plato enim, & omnes Philosophi antè Arist. posuerunt omnia corpora esse de natura 4. Elementorum. Vnde cum 4. Elementa communicent in vna materia, vt mutua generatio, & corruptio in eis ostendit, per consequens sequebatur, quod omnium corporum sit vna materia. Quod autèm quædam corpora sint incorruptibilia Plato in Timæo ascribebat non conditioni materiæ, sed voluntati Artificis, scilicet, Dei, quam introducit corporibus cœlestibus dicentem. Natura vestra estis dissolubilia, voluntate autèm mea indissolubilia, quià voluntas mea maior est nexu vestro, hanc autèm positionem Arist. reprobat per motus naturales corporum cum enim corpus cœleste habeat naturalem motum diuersum à naturali motu Elementorum, sequitur quod eius natura sit alia à natura 4. Elementorum. Et sicut motus circularis, qui est proprius corporis cœlestis, caret contrarietate, motus autèm Elementorum sunt inuicem contrarij (vt qui est sursum ei, qui est deorsum) ità corpus cœleste est absq; contrarietate, corpora verò Elementaria sunt cùm contrarietate, & quià corruptio, & generatio sunt ex contrarijs, sequitur quod secundum suam naturam corpus cœleste sit incorruptibile, Elementa verò sunt corruptibilia. Sed non obstante hac differentia corruptibilitatis, & incorruptibilitatis naturalis, Auicembron posuit vnam materiam omnium corporum, attendens ad vnitatem formæ corporalis, sed si forma corporeitatis esset vna forma per se, cui superuenirent aliæ formæ, quibus corpora distinguuntur, haberet necessitatem, quod dicitur, quià illa forma immutabilitèr inhæreret materiæ, & quantùm ad illam omne corpus esset incorruptibile sed corruptio accideret per remotionem sequentium formarum, quæ non esset corruptio simplicitèr, sed secundum quid, quià priuationi substerneretur aliquod ens actu, sicuti etiàm accidebat antiquis naturalibus, qui ponebant subiectum corporum aliquod ens actu puta ignem, aut aerem, aut aliquod huiusmodi. Supposito autèm, quod nulla forma, quæ sit in corpore corruptibili, remaneat vt substrata generationi, & corruptioni sequitur de necessitate quod non sit eadem materia corporum corruptibilium, & in corruptibilium: & hæc est opinio negatiua S. Doctoris.

Sentētia Caiet. cū D. Th. de vnitate materiæ primæ.

Qui infert tres propositiones, ait Caiet. Prima est. Materia Cœli secundum se non est in potentia, nisi ad formam, quam habet. Secunda est quod non remanet in potentia ad esse, sed ad vbi; Tertia quod materia corporum corruptibilium, & incorruptibilium, non est eadem nisi analogicè, quæ est responsiua ad quæsitum directè, quæ est contrà Auerroim qui fingit, quod ipsum corpus cœleste sit materia Cœli, ens in potentia ad vbi, & non ad esse, & quod forma eius sit substantia separata, quæ ei vnitur vt Motor, contrà quem S. Doct. affert rationem conuincentem, vt videbimus in conclusione infrà, concludendo S. Doct. contrà ipsum, quod materia corporis cœlestis secundum se considerata non est in potentia nisi ad formam, quam habet. Nec refert ad propositum quæcumq; sit illa, siuè anima, siuè aliquid aliud. Ità Caiet. cum D. Th.

Prima Conclusio Caiet. ex D. Th. p. p. q. 66. ar. 2. cū sua probatione formalizata in Enthimema.

109. Quo ad tertium Caiet. cum D. Th. ponit hanc primam conclusionem. Materia corruptibilium, & incorruptibilium non est vna. In hac, ait Caiet. D. Th. conuenit cum Auuerr. & discrepat à Platone, & antiquis, & Auicembron, & ex ijsdem fundamentis elicit D. Th. oppositam opinionem.

Probat. Caiet. cùm D. Th. sub tali forma Conclusionem. Materia secundum id, quod est, est in potentia ad formam, ergo secundum se est in potentia ad omnes formas, quibus est communis, ergo habendo vnam illarum, remanet in potentia ad omnes alias formas, ergo est simul sub forma vna, & priuatione alterius, ergo si vna est corruptibilis, & incorruptibilis, compositum erit idem simul corruptibile, & incor-

incorruptibile, secundum naturam, ergo impossibile est esse vnam materiam corruptibilium, & incorruptibilium, quæ est Conclusio. Secunda consequentia probatur, quià si habendo vnam, non remaneret in potentia ad reliquas, hoc esset, quià illa forma, quam habet, perficeret eam sic, quod non relinqueret, potentiam ad alias, sed hoc non potest esse, quod dupliciter probatur primo quià Materia per vnam non fit actu, nisi secundum potentiam ad illam; secundo, & est exclusio responsionis; quià Materia secundum se, indifferentèr se habet ad formam perfectam, & imperfectam. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Conclusio ponitur cum D. Th. contrà Auuerrois positionem. Materia Cœli non est simplex substantia corporea. *2. Concl. Caiet. ex D. Th contrà Auuerroim loc. cit. in fine Comment.*

110. Probatur à Caiet. cum D. Th. sub tali forma. Omne ens actu, vel est actus, seù forma, vel habens actum, seù formam: sed corporeitas Cœli secluso Motore est ens actu, & non est habens actum, seù formam, ergo est actus, seù forma. Discursus bonus cum præmissis euidentibus, saltèm naturalitèr, & ad hominem, scilicet, Auuerroim. Falsitas autèm conclusionis probatur sic. Si corporeitas illa esset actus, esset intellecta in actu, quod repugnat corpori Cœlesti, quià est sensibile vt patet. Ergo iuncta ista Conclusio cum prima concluditur quod non sit eadem materia corporis Cœlestis, & Elementorum, nisi secundùm analogiam, secundùm quod conuenit in ratione potentiæ. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà primam Conclusionem ex Scoto qui in 2. Sent. dist. 14. q. 1. probat in Cœlo non esse materiam, quæ sit pura potentia. *1. Arg. Caiet. ex Scoto in 2. Sent. dist. 14. q. 1. contrà 1. Conclusionem.*

In Cœlo non est potentia contradictionis, ergo in eo non est materia, quæ sit pura potentia, Antecedens ex 9. Met. tex. 17. Consequentia probatur Potentia pura, est secundum se ad esse, & non esse.

Confirmatur à Scoto hoc motiuum, quià pura potentia priùs natura habet priuationem, quàm formam: probatur quià priuationem habet ex se, formam ab alio, sicuti Aer se habet ad tenebras, & ad lumen. *Confirmatio 1.*

Confirmatur quià Materia, est per quàm res potest esse, & non esse, & Materia 1. Phys. est principium vnum subiecto, & duo secundum rationem, proptèr priuationem. *Confirmatio 2.*

111. Resp. Caiet. ad Argumentum, & Confirm. ex dictis supra loc. cit. & ad Argumentum dicit, quod non concludit, quià licet in Cœlo non sit potentia talis, scilicet, passiua, & receptiua simul, quæ sola admittit potentiam contradictionis ad esse, & non esse, est tamèn ibi potentia purè receptiua suæ formæ tantùm, & potentialitatem ad vbi, ex quo fit quod materia Cœli non significat materiam vnam, sed quoddam analogum omnibus materijs cœlestium corporum, & sublunarium vt probatum est per rationem suprà. *Resp. Caiet. ad Arg. primum.*

Ad Argumenta Confirmationum Resp. Caiet. quod illæ propositiones possint exponi dupliciter. Primo vt subiectum vendicet sibi prædicatum, & sic non sunt veræ nisi cùm distinctione, simpliciter, vel secundum quid; alio modo, vt prædicatum determinet sibi subiectum, & sic sunt veræ absolutè. Vbicumque namque est potentia ad esse, & non esse, ibi est materia, similitèr vbi est priuatio, ibi est idem subiecto cum materia, at non è contrà. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Confirm. loc. cit.*

Arguit 2. Caiet. ex alijs. Si Cœlum esset compositum ex materia, & forma non esset opus Anima, siuè Intelligentia motrice; & tenet sequela, quià formam sequeretur motus circularis, sicuti motus seorsum sequitur formam grauis. *2. Argu. Caiet. ex exteris cõtrà 1. Concl.*

112. Resp. Caiet. negando sequelam, & ratio est, quià motus circularis est motus animalis, & non merè naturalis, & propterea non superfluit forma Cœli. Nec est prin- *Resp. Caiet. ad 2. Argu. loc. cit.*

principium purè passiuum respectu motus circularis, sed quemadmodùm forma cordis concurrit ad motum Cordis medio modo intèr pure passiuum, & actiuum, & tamèn non nisi ab Anima motus ille esse potest, ità forma Cœli natura talis est, ad quam in coniunctione ad Animam, seù intelligentiam natus est sequi motus circularis. Vndè substantia corporalis Cœli est principium naturale motus circularis, alioquin rueret totus processus in primo de Cœlo, & Mundo ad inferendam quintam essentiam, & nihilominus Animam opportet adiungere, sicuti patet in motu cordis. Est enim primus motus in Vniuerso, sicut motus cordis in animali, vt patet in 8. Phys. Ità Caiet.

3. Arg. Caiet. ex Scoto eodem loc. cit. Arguit 3. Caiet. ex Scoto loc. cit. qui probat quod materia Cœli non sit alterius rationis à materia sublunari. Non dantur duo primi fines, nec duo prima agentia, ergo nec dantur duæ primæ Materiæ.

Confirm. Arg. secundi. Confirmatur Materia Solis dato quod non sit in potentia ad aliam formam, est tamèn secundum se in potentia ad formam Solis, & eius priuationem, ergo est in potentia contradictionis, & consequentèr erit corruptibile, quantum est de se Corpus Cœleste.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. 113. Resp. Caiet. ad Argumentum neganda est sequela, quoniam non est par ratio de causis extrinsecis, & intrinsecis, quoniàm illæ sunt partes rei, & intrant compositionem rerum, ac per hoc opportet esse varias iuxtà rerum varietates: extrinsecæ autèm non.

Resp. ad Confirm. 2. Ad Confirmationem, iàm responsio patet ea dictis, negatur siquidem, quod Materia Solis sit in potentia secundum se ad priuationem suæ formæ, & ratio est, quià potentia ad priuationem huius formæ, fundatur super potentia ad aliam formam, vt patet ex dictis. Ità Caiet. loc. cit.

4. Arg. Caiet. ex Aegydio discipulo D. Th. loc. cit. Arguit 4. Caiet. ex Ægydio contrà rationem, & conclusionem: soluit enim Ægydius in 2. Sent. rationem D. Th. negando secundam consequentiam, imaginatur enim, quod Materia Lunæ non sit in potentia ad formam Ignis, quià forma Lunæ non habet contrarium, & sic non est priuata, nec appetit illam. Sed re vera mirum est, addit Caiet. de tàm præclaro discipulo, quomodo à tanto declinauerit Magistro, in re tàm patula. Priuatio enim, vt habetùr 4. Met. est negatio in subiecto apto nato, sed Materia Lunæ est secundum se apta nata recipere formam Ignis, & habet negationem eius, ergo in Materia Lunæ, est priuatio formæ Ignis. Ità Caiet. contrà Ægydium.

Arg. Aegydij. Argumentum igitur Ægydij est sub forma tali. Negatio omnium formarum constituit vnitatem materiæ secundum se, sed seclusa omni forma tàm Cœlesti, quàm inferiori, inuenitur omnis materia cum abnegatione omnis formæ, ergo omnis materia secundum se est vna, & eadem negatiuè, vt de materia omnium inferiorum dicimus.

Confir. 1. Aegydij. Confirmatur Actus est qui distinguit, & separat vt in Met. ergo in pura potentia nulla potest esse distinctio seclusis actibus.

Confir. 2. Arg. 2. ipsius Aegydij. Confirmatur 2. Si darentur diuersę puræ potentiæ, sequeretur, quod intèr actum, & potentiam puram, non esset maxima distantia positiua, hoc non potest intelligi, ergo &c. probatur sequela, quia positis duabus potentijs puris diuersarum rationum, vt his ponitur opportet, quod altera magis distet ab actu puro, quàm altera, ergo distantia vnius potentiæ puræ non est maxima. Ità Caiet. ex Ægydio.

Resp. Caiet. ad Argu. Aegydij loc. cit. 114. Resp. Caiet. ad Argumentum Ægydij. Modificatur illa propositio, negatio omnium formarum constituit vnitatem materiæ: potest enim intelligi dupliciter primo absolutè vt sonat, & sic est falsa. Negatio absolutè dicitur de nihilo. Alio

modo

modo in subiecto apto nato, & sic est vera, sed subiectum aptum in proposito, est materia communis multis, hæc enim est vna negatiuè, non positiuè, sed materia communis multis cum materia propria vni, non sortitur vnitatem ex negatione, quià ex hoc ipso quod est communis his, illæ non sunt iàm diuersæ.

Resp. Caiet. ad primam Confirmationem, conceditur quod solus actus distinguit, & dico quod duæ puræ potentiæ distinguuntur actibus, quos per se primo respiciunt, & per quos diffiniuntur, & à quibus non possunt abstrahi, etiàm per primam operationem Intellectus. Et si quæras distinctiuum intrinsecum in eis, dico quod est ipsa cuiusque substantialis commensuratio ad actum sibi adæquatum. Si de ipsa substantiali commensuratione ad actum quæras, dico, quod est non solùm identicè, sed formalitèr ipsa essentia cuiusque puræ potentiæ. Et propterea sicut actus adæquati sunt diuersi se ipsis, ità potentiæ propriæ ad eos sunt per se diuersæ proptèr actus: sicuti enim materia est proptèr formam, ità distinctio materiæ est proptèr diuersitatem formarum. *Resp. Caiet. ad 1. Cõfir. Aegydij.*

115. Ad secundam Confirmationem dicit Caiet. quo ad rem, nullum est inconueniens vnam puram potentiam magis distare ab actu puro, quàm aliam puram potentiam, non per inclusionem alicuius actualitatis in vna magis, quàm in alia, quià non essent ambæ puræ potentiæ, sed per vnius commensurationem ad perfectiorem actum adæquatum respectu alterius, ità quod ex hoc vna pura potentia, est altera pura potentia minùs ab actu distans, quià est capax perfectioris actus. Sed caue hic ne fallaris in sophismate consequentis, aut figuræ dictionis à pura potentia, ad puram potentiam ad talem actum. Illa enim est propè nihil, & maximè distans à Deo &c. Sed habet latitudinem proptèr respectos actus, modo declarato. Singularium autèm purè potentiarum, nulla nisi commensurata infimo actui, est maximè distans, & propè nihil. Ità Caiet. (qui addit) ex his autèm puto facile reliqua solui posse, quare transeamus ad alia contrà secundam Conclusionem. *Resp. Caiet. ad 2. Confir. Aegydij.*

Arguit Caiet. contrà secundam Conclusionem. Falsum est, quod omne quod est secundum se totum actus, sit intellectum in actu: ergo ratio nulla. Probatur falsitas. Hæc Albedo est secundum se tota actus, & similitèr hæc forma huius Bouis est tota actus, & tamèn nihil horum est intellectum in actu, sed sensibile in actu, & intelligibile in potentia: nihil enim prædictorum habet plures partes, quarum vna sit actus, seu forma, & altera non. Ergo similitèr Auerrois potest dicere de illa corporeitate, quod est de genere substantiæ sensibilis, & tamèn tota est actus potentiæ admistus, quià mobilis, & subiectus quantitati, figuræ, & cæteris accidentibus. *Arg. ipsius Caiet. contrà rationem 2. Concl. pro Auerroi.*

116. Resp. Caiet. ex doctrina sua allata suprà in secundo notabili, quæ si applicetur ad hoc Argumentum videbit, ait Caiet. quod cùm hic sit sermo non de ente in actu communitèr, sed propriè, Instantiæ nihil valent, nulla enim forma apud nos est, aut sit, nisi quià est, aut sit Compositum. Vndè ratio Conclusionis stat solida, & robur trahit ex resolutione substantiæ, vt in secunda Doctrina diximus per extensum. Ità Caiet. in fine Comment. art. 2. cit. *Resp. Caiet. ad proprium suum Argumentum.*

QVAE-

QVÆSTIO X. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm Materia prima sit verè pars quidditatis naturalis

EX CAIETANO

P. 1. q. 65. art. 4. & cap. 2. de ente, & essentia q. 4.

Titulus à Caiet. declaratur.

EMinentissimus Caiet. pro tituli declaratione notat loc. cit. cum D. Th. quod titulus potest habere duplicem sensum, scilicet, & de materia in communi, an sit pars quidditatis humanæ, vel cuiuscumq; alteriùs vt sic; & secundo de materia signata, pro vt est in hoc indiuiduo, an sit pars huius indiuidui. In vtroque sensu quærit Caietanus loc. cit.

Prima Doctr. Cai. t. p. p. q. 65. art. 5. quod non sola Anima sit pars quidditatis.

117. Adnotat 1. Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 65. art. 5. quærendo Vtrùm Anima sit homo, quod Anima esse hominem dupliciter intelligi potest. Vno modo, quod Anima sit homo, sed quod hic homo non sit Anima, sed compositum ex Anima, & corpore, puta Socrates; quod ideò dico, ait D. Th. quià quidam posuerunt, solam formam esse de ratione speciei, Materiam verò esse partem indiuidui, & non speciei. Alio modo potest intelligi sic, quod etiàm hæc Anima sit hic homo, & hoc quidem sustineri posset, si poneretur, quod Animæ sensitiuæ operatio esset eius propria sine corpore quià omnes operationes, quæ attribuuntur homini, conuenirent soli Animæ. Illud autèm est vnaquæq; res, quod operatur operationes illius rei. Vndè illud est homo, quod operatur operationes hominis, ostensum est autèm in art. 3. loc. cit. quod sentire non est operatio Animæ tantùm. Cùm igitur sentire sit quædam operatio hominis, licet non propria, manifestum est, quod homo non est, Anima tantùm, sed aliquid compositum ex anima, & corpore. Plato verò ponens sentire esse proprium Animæ, ponere potuit quod homo esset Anima vtens corpore. Ità Caiet. qui quærit potius in primo sensu.

Doctrina Caiet. ibidem loc. cit. in fine Comment. quod Materia communis, & signata est pars quidditatis hominis in quantũ homo &c.

118. Adnotat 2. Caiet. ibidem loc. cit. in fine Comment. quod aduertendum est diligentèr à Thomistis, quod quià homo est de genere substantiarum sensibilium, ly in quantùm homo, non reduplicat partem intellectiuam puram, quià nec homo est intellectualis, sed partem intellectiuam, & sensitiuam simul: quià homo est naturæ rationalis, cuius actus à Phantasia, & sensu dependet, non autèm à vegetatiua, & elementari parte nisi per accidens, & remotè. Quià ergo de integritate hominis vt sic non est nisi ratiocinari, quod constat ex intellectu, & sensu, ideò omnes operationes hominis, formaliter loquendo, habet Anima: sic tàm intelligere, quàm sentire est sibi proprium: sed quià nec Anima intellectiua habet omnes operationes hominis vt sic, nec operationes, vegetatiuæ, aut elementaris in homine sunt opera hominis vt sic, ideò patet per hanc doctrinam Resposio ad obiectiones omnes, si quæ afferuntur; quià sermo D. Th. est formalis, & intelligitur de homine in quantum homo simplicitèr; & de omnibus, non de principalibus tantùm operationibus hominis in quantùm homo; sic enim intelligendo benè intelligitur, quod Materia communis, & signata, est pars hominis, & huius hominis in quantùm homo. Ità Caiet. loc. cit.

Doct 3 Caiet. in cap 2. de ente, & essentia q. 4. in Resp. ad 2.

119. Adnotat 3. Caiet. in cap. 2. de ente, & essentia q. 4. in Resp. ad secundum quod ista propositio, quæcumque, sunt idem, quidquid habet vnum, habet reliquum potest intelligi duplicitèr. Vno modo sic. Quæcumque sunt idem realitèr, quid-

quid

quid realitèr coniunctum est vni, est & realitèr coniunctum alteri, & sic semper conceditur vt vera illa propositio nec potest inficiari illius quæstionis resolutio; alio modo potest intelligi sic. Quæcumque sunt idem realitèr, quidquid prædicatur de vno prædicatur de altero in hoc sensu est falsa. Aliquid enim conuenit vni, vt distinctè secundum rationem ab altero quod non conuenit alteri: sicuti in proposito habere quidditatem conuenit homini, vt distincto à sua quidditate secundum rationem, distinguitur enim ab illa, vt habens ab habito. Ità Caiet. loc. cit.

120. Quo ad 2. Caiet. in cap. 2. de ente, & essentia q. 4. declarat mentem Arist. fuisse omninò certam circà positionem Materiæ quod sit pars quidditatis compositæ naturalis, & primo ex 8 Met. Comm. 15. & 16. vbi assignat causam, quarè diffinitio compositorum est vna: quià ex actu, & potentia natum est fieri vnum: quidditates autèm simplices se ipsis, inquit, habent vnitatem statim, eo quod formæ tantùm sint: ex quibus habetur, quod si essentia substantiæ compositæ esset sola forma, non opporteet Arist. assignare causam proptèr quid sit vna: forma enim se ipsa est vna: sed quià est composita, ideò dixit, quod vnitatem habet, ex eo quod altera pars est actus, altera potentia. Similitèr 9. Met. Comment. vlt. dicit quod in quidditatibus compositorum accidit error, non autèm in quidditatibus simplicium proptèr multitudinem partium, ex quibus sunt compositæ illæ quidditates, vndè ex earum compositione error accidere potest, qui in simplicibus, cùm careant partibus, locum non habet: ex quibus habetur ipsum opinari essentiam compositi esse compositam, & non simplicem: & quod quidditas substantiæ materialis differt à quidditate separata, ex eo, quod ista est essent alitèr simplex: illa verò est essentialitèr composita. Aristotelem sequitur S. Th. in loc. cit. & 6. Met. Comment. 33. & in p. p. q. 75. art. 4. expressè dicendo, quod Materia est pars quidditatis substantiæ naturalis. Et solus Commentator Auerroes in 6. Met. tex. 21. & 34. opinatur Materiam non esse partem quidditatis naturalis, sed cadere in diffinitione rei naturalis, vt deferens illam quidditatem: contrà quem stat vterque Thomas, & D. Th. & Caiet. & in p. p. q. 75. art. 4. Caiet. cum D. Th. præcipuè impugnat Auerroim qui 7. Met. ponit quod Materia non est pars quidditatis, sed indiuidui, vt videbimus infrà in 2. Conclusione. Ità Caiet. loc. cit.

Sent. Arist declaratur à Caiet. & in c. 2. de ente, & essentia, & in p. loc. cit. contrà positionem Auerrois.

Quo ad 3. sit 1. Conclusio Caiet. cum D. Th. in cap. 2. de ente, & essentia q. 4. Materia est pars quidditatis substantiæ naturalis.

121. Probatur à Caietano tali ratione in forma. Quidquid de essentia omnium indiuiduorum contentorum sub specie, vniuersalitèr est conceptum, est de essentia speciei: sed Materia est de essentia omnium indiuiduorum naturalium, ergo Materia vniuersalitèr accepta est de essentia speciei, & sic non cadit in speciem, vt deferens ipsam, sed vt pars essentialis. Maior est vera pro tanto, quià alitèr essentia specifica non prædicaret essentialitèr totam essentiam indiuidui. Ità Caiet.

1. Concl. Caiet. ex cap. 2. de ente, & essentia q. 4. cum sua probatione.

Confirmatur primo à Caiet. cum D. Th. sic. In omni obiecto quidditatiuè sumpto cui conuenit aliqua passio adæquata, opportet inuenire intrinsecè causam illius passionis: sed Corpus contrarietati subiectum, quidditatiuè sumptum est subiectum, cui conuenit corruptibilitas per modum passionis adæquatæ, ergo in corpore contrarietati subiecto, quidditatiuè sumpto opportet intrinsecè inuenire causam corruptibilitatis: & talis causa non est nisi Materia ergo &c. Maior est de se nota, quià passio fluit ab intrinsecis principijs quidditatis: alitèr non conueniret ei secundum quod ipsa. Minor manifestatur ex eo, quod corruptibilitas primo concluditur de corpore contrarietati subiecto. Quod autèm causa corruptibilitatis sit materia, maximè patet etiàm apud ipsum Comment.

Confir. rationis Caiet. cum D. Th. pro 1. Concl.

Confirm. 2. rationis 1. Concl. loc. cit.

122. Confirmatur secundo à Caiet. cum D. Th. sic. Id quod est pars humanæ naturæ est pars quidditatis humanæ: quià natura, & quidditas sunt idem: sed materia est pars naturæ humanæ: ergo &c. Probatur Minor ex eo, quod Materia est natura vt dicetur infrà in 2. Phys. tex. 1. Et si non est pars, opportet quod in Socrate sint duæ naturæ non partiales, quià non sunt partes alicuius naturæ, quod est impossibile. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit. de ente, & essentia.

2. Concl. Caiet. cum D. Tho. in p. p. q. 75. art. 4. cum sua probatione.

Secunda Conclusio Caiet. cum D. Th. ex p. p. q. 75. art. 4. contrà positionem Auuerrois. Materia non solum signata, sed etiàm communis est de ratione, & speciei, & indiuidui.

123. Probatur à Ciet. cum D. Th. sic. Sicut de ratione huius hominis est, quod sit ex hac Anima, & his Carnibus, & his Ossibus: ità de ratione hominis est, quod sit ex Anima, Carnibus, & Ossibus ergo verà Conclusio. Antecedens probatur quià opportet de substantia speciei esse quidquid est communitèr de substantia omnium indiuiduorum sub specie contentorum, vt dicitur in cap. 2. de ente, & essentia, & in prima ratione pro Conclusione 1. suprà. Ità Caiet. in p. p. loc. cit.

Arg. 1. Caiet. Ex c. 2. de ente, & essentia q. 4. sumptum auctoritate Arist.

Quo ad 4. Arguit 1. Caiet. in cap. 2. de ente, & essentia q. 4. auctoritate Arist. qui 7. Met. tex. 34. videtur docere expresse, quod Materia non est pars quidditatis; & in 2. Phys. tex. 28. collocat partes diffinitionis in genere causæ formalis; Vndè & 10. Met. tex. 25. dicit quod mas, & fęmina non variant speciem, quià sunt differentiæ materiales. Quod persuaderi potest ex consequentibus materiam: Materia enim est causa corruptionis, distinctionis suppositi à natura, sensibilitatis, & similium quorum opposita conueniunt quidditatibus: sunt enim essentiæ rerum ingenerabiles, incorruptibiles, insensibiles, & huiusmodi.

Resp. Caiet. ad Argum. Arist.

124. Resp. Caiet. quòd Arist. in 7. Met. non remouet materiam à quidditate: sed materiam particularem, & eas partes, quæ per accidens se habent ad speciei intellectum, vt manus, & pedes, v. g. ab hominis ratione, & has carnes, & hæc ossa. Quod autèm partes diffinitionis in genere causæ formalis collocentur non est contrà id, quod dicimus. Meminisse enim opportet, quod omne superius se habet vt formale respectu inferioris vt ibidem ab Arist. habetur. Masculus quoq; & fęmina, & si non differant specie in genere animalis, sicuti album, & nigrum, differunt tamèn specie in genere sexus, cuius differentiæ ad genus animalis per accidens se habent, & ex parte materiæ: & propterea in illo genere non causant diuersitatem specificam.

Resp ad rationem suasiuam Caiet.

Ad rationem persuasiuam Resp. Caiet. de passionibus Materiæ, quod illa sequuntur materiam particularitèr existentem: & non sequuntur materiam abstractam à singularibus, quæ est pars quidditatis specificæ: & ideò non opportet illa inesse quidditati, nec opportet materiam remoueri à quidditate proptèr hoc, quod illorum opposita quidditati insunt. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. ex Commentatore loc. cit.

Arguit 2. Caiet. loc. cit. ex Commentatore. Si quidditas hominis esset homo compositus ex materia, & forma, tunc quidditas hominis haberet quidditatem, & sic quidditatis esset quidditas, quod est falsum. Tenet consequentia, quià quæcumque sunt idem, quidquid habet vnum, habet, & reliquum: si ergo quidditas hominis, & homo compositus sunt idem, cum homo compositus habeat quidditatem, sequitur quod quidditas hominis habeat quidditatem.

Confirm. Arg.

Confirmatur hæc ratio Auuerrois à Caiet. sic. Essentia rei, est substantia declarans quidditatiuè rem: Materia non pertinet ad essentiam rei ergo &c. Minor colligitur ex 1. Phys. tex. 69. vbi dicitur, quod Materia secundum se est ignota, & per consequens alterius declaratiua non est.

Resp.

Resp. Caiet. ad Argumentum ex tertia sua Adnotatione suprà, quod illa propositio si intelligatur in primo sensu non est contrà nos; & cùm in secundo sensu sit falsa, Argumentum non procedit.

Resp. Caiet. ad Arg. Commentaris loc. cit. cum Resp. ad Confir.

125. Ad Confirmationem Resp. Caiet. negando Minorem licet enim Materia secundum se idest solitariè sumpta sit ignota: adiuncta tamèn, & substrata tali formæ specificæ, siuè genericæ declaratiua est alteriùs. Itá Caiet. loc. cit.

3. Arg. Caiet. loc. cit.

Arguit 3. Caiet. loc. cit. Vniuersalia naturalia sunt diffinibilia: quià rerum naturalium non nisi essentiæ sunt diffinibiles, eo quod diffinitio significat essentiam rei: essentiæ autèm naturalium, vt deductum est particulares sunt. Maior probatur sic. Quod habet in se actu intrinsecè principium indiuiduationis, est particulare: habens intrinsecè materiam habet in se principium indiuiduationis, quià materia est principium indiuiduationis ergo &c.

Resp. Caiet. ad 3. Argum.

126. Resp. Caiet. destruendo Maiorem cum sua probatione, dicens D. Th. quod materia dupliciter accipitur, signata, scilicet, & non signata: signata est principium indiuiduationis, non signata ponitur pars essentiæ specificæ: Signata poneretur in diffinitione Socratis si diffiniretur: non signata ponitur in diffinitione vniuersalium: vndè, & patet Vniuersalia diffiniri, & tamèn materiam includere, sed non signatam, quæ particularitatis est principium. Itá Caiet. loc. cit.

4. Arg. Caiet. ex p. p. q. 75. a. 4.

Arguit Caiet. in p. p. q. 75. art. 4. Ad hoc quod Anima sit homo, aut requiritur habere omnes operationes hominis, aut principales: si omnes tunc nunquàm Anima esset homo etiàm apud Platonem: si principales ergo Anima Intellectiua est homo ergo ratio probatiua secundæ Conclusionis non subsistit.

Resp. Caiet. ad Arg. 4. loc. cit.

127. Resp. Caiet. ex secunda Adnotatione quod sermo S. Th. est formalis, & intelligitur de homine in quantùm homo est simpliciter, & de omnibus, non de principalibus tantùm operationibus hominis in quantùm homo; & sic cùm Anima intellectiua non habeat omnes operationes hominis vt sic, nec operationes vegetatiuæ, aut elementaris partis in homine sunt opera hominis vt sic, per consequens non potest dici quod sit homo, & hic homo. Itá Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO XI. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm Materia prima habeat Actum, & possit esse sine forma

EX CAIETANO

Q. 8. in cap. 5 de ente, & essentia, & alibi.

Aperitur sensus Tituli à Caiet. in p. p. q. 66. art. 1.

128. Eminentissimus Caiet. in p. p. q. 66. art. 1. in fine Comment. vbi S. Doctor quærit an informitas Materiæ, tempore præcesserit formationem ipsius post probatam Conclusionem, scilicet, quod informitas materiæ non præcesserit duratione eius formationem, aut distinctionem, sed natura tantùm, hæc habet. Circà hanc partem aduerte, quod ad hunc locum videntur spectare quæstiones duæ. Altera est an Materia possit esse sine forma, altera an detur forma corporeitatis, quasi forma coæua

 ma-

materiæ, sed prima quidem non directè spectat ad hunc Artic. quoniam non de Diuina potentia, sed de rerum ordine sermo est: constat autèm etiàm secundum aduersarios, quod secundum rerum ordinem materia non potest esse sinè forma. Vndè de hoc specialis requiritur quæstio in commentarijs de ente, & essentia cap. 5. qu. 8. Secunda autèm cùm de pluralitate formarum inferius tractabitur, aliqualitèr tractabitur, scilicet, q. 76. art. 4. In præsenti igitur quæstione Caiet. agit de Materia secundum se vt est pars quidditatis naturalis, an sit ità pura potentia secundum se, vt actum omnem excludat seù formalem, seù entitatiuum, siuè metaphysicum, siuè existentialem physicum partialem; vndè de se mendicando totum vt supra à forma sit pura potentia realis capax capacitate reali ipsius actus; & tamdèm si existit, non possit existere sine forma. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 1. Caiet. ex 3 p. q. 6. ar. 4. quod Materia tripliciter potest considerari, & secundum se in communi, & propria in fieri, & propria in facto esse.

Adnotat 1. Caiet. in 3. p. q. 6. art. 4. quod Materia prima potest sumi duplicitèr, & vt propria formæ, quæ propria formæ potest adhuc considerari duplicitèr, scilicet, in fieri tantùm, vel in facto esse, in proposito Caiet. quærit potiùs de Materia secundum se; in art. tamèn cit. S. Doctor, quando quærit, an caro Christi fuerit priùs à Verbo assumpta, quàm Animæ vnita quærit de materia propria in facto esse: Materia enim propria in fieri videtur existere antè aduentum formæ, quoniàm materia non est propria, nisi proptèr dispositiones ad talem formam, materia autèm plenè disposita est immediatè antè instans productionis formæ: priùs igitur tempore est materia propria Animæ rationalis, & vniuersalitèr formæ, quàm adsit forma. Quæsitum, quidquid sit de materia propria, controuertit de materia secundum se cùm Scoto, vt infrà in secundo loco videbimus. Ità Caiet. art. 4. cit.

Doct. 2. Caiet. ex cap. 5. q. 8. de ente, & essentia de priori, & posteriori quomodo dependeant, &c.

130. Adnotat 2. Caiet. in q. 8. cap. 5. de ente, & essentia in Resp. ad secundum, scilicet, Scoti probat euidentèr, quod materia secundum se licet sit priùs natura, & non tempore: hæc prioritas tamèn non facit, quod possit esse sinè suo posteriori, idest forma; vndè illa maxima Scotica omne priùs absolutum in eo quod priùs non dependet à posteriori, non potest saluari, etiàm sequendo viam Scoti, & primo pro nunc manifestatur ex eo, quod partes essentiales simul sumptæ sunt priores toto, & tamèn apud Scotum non possunt esse sinè toto; secundo manifestatur ex eo, quod prædicamentum quantitatis, est absolutè priùs prædicamento qualitatis, præsertim quo ad quartam speciem eius: & tamèn non potest fieri quantitas continua sine figura. Si enim quantitas sinè figura fieri dicatur, aut finita, aut infinita: non infinita, quià illa non dabilis: & si forte imaginetur dari, adhuc cum opporteat esse lineatam, aut ergo linea recta, aut curua, & sic esset figura, si finita ergo figurata: Figura enim est, quæ termino, vel terminis clauditur; & similitèr aut habet lineas rectas, aut curuas, aut circulares. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti recit. à Caiet. in q. 8. loc. cit decurse cum Sent. sua, Arist. & D. Th.

131. Quoad secundum in loc. cit. de ente, & essentia Caiet. dicit quod Scotus in 2. Sent. dist. 2. opinatur materiam posse esse sinè forma. S. Thomas verò in p. p. q. 66. art. 1. & in quæstionibus de potentia Dei q. 4. art. 1. & in quolibetis q. 3. art. 1. confirmat, quod hic dicit, scilicet, cap. 5. de ente, & essentia q. 8. scilicet. Materiam non posse esse sine forma. Hanc veritatem approbat Arist. vt ipse Scotus fatetur loco allegato. Sed quià dicit ex falso fundamento Aristoteles hanc conclusionem tenuisse; scilicet, ex hoc quod Deus non potest agere sinè causis secundis, ostendo in hoc Scotum errare ex dictis Comment. 2. enim Phys. Comment. 12. Auerrois ex eodem præcisè fundamento, quod S. Th. adduxit in prima ratione, tenet istam Conclusionem. Vbi nullam fieri mentionem de connexione causalitatis primæ causæ apparet, sed tantùm de actu, & potentia, ità quod ex natura actus, & natura primæ materiæ, quæ est pura potentia concludit Auerrois quod duo contradictoria

ctoria essent simul vera, vt deducit S. Doctor. Auicenna quoq; in secundo Met. suæ cap. 30. tenet Conclusionem Scoti esse impossibilem, & tamen posuit expressè Materiam esse creatam. Vndè hæc tanquàm destructiua Metaphysicalium principiorum vitanda est. Et licet Scotus rationi D. Th. loc. cit. det quamdam Resp. quæ quià tamèn non est nisi chimærica, & tanquàm indigna, de qua verba fiant, omittitur: quolibet enim proferente contraria sollicitum esse, stultum est, ait, Arist. à quo didicimus in libro 9. Met. quod sit Actus, & quotuplex. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

Sent. D. Th. & D. Aug. recitata à Caiet. in p. p. q. 66. art. p. de Materia prima in rerum ordine à Deo collocata.

Hoc idem Caiet. notat in p. p. q. 66. art. 1. cum D. Th. distinguendo de informitate Materiæ cum D. Aug. ex vna parte, quià accipiendo ipsam pro carentia omnis formæ, vt accipitur in præsenti quæstione, impossibile est ait D. Th. quod Informitas materiæ tempore præcesserit, vel formationem ipsius, vel distinctionem. Et accipiendo informitatem Materiæ cum Basilio, Ambrosio, & Chrysostomo, non secundum quod excludit omnem formam, sed secundum quod excludit istam formositatem, & decorem, qui nunc apparet in corporea creatura, dicunt isti SS. Doctores quod informitas materiæ corporalis duratione præcessit formationem eiusdem. Sed quià hoc, ait Caiet. in titulo, appellat aliam quæstionem, scilicet, an detur forma corporeitatis, quasi forma coæua materiæ, resoluimus primum cum D. Th. & D. Aug. persequentem Conclusionem. Ità Caiet.

1. Concl. Caiet. cum D. Th. in q. 8. loc. cit. de ente &c. cum sua prima probatione.

131. Quo ad 3. Caiet. accipit à D. Th. hanc Conclusionem in c. 5. q. 8. de ente, & essentia, scilicet, Materia non potest esse sine forma.

Probatur à Ciet. duabus rationibus D. Th. & prima sic ducens ad impossibile. Si Materia existeret absq; omni forma, materia simul esset, & non esset; scilicet, esset ens actu sine actu, ait in p. p. loc. cit. hoc implicat contradictionem ergo &c. probatur consequentia quo ad secundam partem, quià quo ad primam ab aduersarijs conceditur. Impossibile est effectum formalem separari à forma, sed existere est effectus formalis formæ, sic enim diffinitur, forma est, quæ dat esse rei, ergo impossibile est ponere existentiam sinè forma; sicuti enim impossibile est esse album sinè albedine, ità esse in actu sinè actu: Actus autèm primus, cuius est dare esse, idem est quod forma. Ex illa ergo propositione, Materia existit absque omni forma, sequuntur duo contradictoria simul vera: ex eo enim, quod Materia existit, sequitur quod sit in actu: ex eo autèm quod est absq; omni forma, sequitur, quod non sit in actu. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

2. Probatio Caiet. pro 1. Concl. loc. cit.

Probatur à Caietano cum D. Th. eadem Conclusio 2. sic. Omne indiuiduum determinatum ad genus completum, vel incompletum in rerum natura per se existens est in aliqua certa specie per se, vel reductiuè: Materia sola neque per se, neque reductiuè est in aliqua certa specie, ergo Materia sola non potest esse indiuiduum quodcumq; in rerum natura. Minor est ex se clara, non enim facile esset fingere in qua determinata specie, esset materia sola. Maior probatur ex eo, quod indiuiduum omne tàm completum, quàm incompletum, si per se existit in rerum natura separatum (quod dico proptèr indiuiduum generis, vt hæc substantia, hæc Anima &c.) non continentur sub genere per se, vel reductiuè immediatè, sed mediante specie: intèr genera enim, & indiuidua mediat species, & intèr principia generis, & principia indiuidui mediant principia speciei pariformitèr.

Insuper hæc Maior potest probari ad hominem assumendo dicta Scoti in 5. Argumento, ibi enim ipse expressè assumit, quod qui determinat sibi genus aliquod determinat sibi speciem certam aliquam illius generis. Et potest etiàm ex dictis Scoti ibi arguere ad hominem, & probare oppositum sui intenti sic. Quidquid determinat

nat aliquod genus, determinat sibi aliquam certam speciem illius generis: Materia sola determinat sibi genus substantiæ: ergo determinat sibi aliquam certam speciem substantiæ saltèm reductiuè, ergo Materia sola esset in aliqua certa specie: hoc est falsum, hæc minor est omnium, & processus bonus, ergo &c. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & essentia.

Secunda Conclusio Caiet. cum D.Th. in p. p. q. 66. art. 1. cũ sua probatione quæ declarat quomodo in rerum ordine fuerit producta Materia prima à Deo, &c.

134. Secunda Conclusio Caiet. cum D. Th. in p. p. q 66. art. 1. quæ est secundum quod dicit rerum ordo. Impossibile est dicere, quod informitas materiæ tempore præcesserit, vel formationem ipsius, vel distinctionem, sed si præcessit præcessit origine, seù natura tantùm.

Probatur à Caietano cum D.Th. sub tali forma. De formatione quidèm probatur quià sequeretur, quod esset ens in actu sine actu, quod implicat contradictionem, quod manifestè est probatum in prima ratione suprà pro prima Conclusione. De distinctione verò probatur quià sequeretur opinio antiquorum naturalium ponentium subiectum generationis in actu, & consequentèr generari non esset nisi alterari, quià omnis forma genita non faceret ens simplicitèr, sed adueniret illi. Antiqui enim ponebant materiam primam esse aliquod corpus in actu, putà ignem, aerem, aut aquam, aut aliquod medium, ex quo certè sequebatur, quod fieri non esset nisi alterari, & sic sequentes formæ aduenientes primæ, quæ facit hoc aliquid in genere substantiæ, essent accidentia, secundum quæ non attenditur generatio, sed alteratio, quod verò præcedat natura, sicut potentia actum, & partes totum probatur ex eo quod talis informitas est conditio materiæ primę secundum se non habentis aliquam formam. Opportet igitur dicere de rerum ordine quod Materia prima neque fuit creata omnino sinè forma, neque sub forma vna communi, sed sub formis distinctis. Et sic si informitas materiæ referatur ad conditionem materiæ primæ, quæ secundum se non habet aliquam formam, informitas materiæ non præcessit formationem, seù distinctionem ipsius tempore, vt August. dicit primo super Gen. 1. c. 15. sed origine, seù natura tantùm, eo modo quo potentia est prior actu, & pars toto. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit. p. p.

Primum Arg. Caiet. ex Scoto loc. cit. de ente, & essentia quod est etiàm D. Th.

Quo ad quartum arguit primo Caiet. contrà primam Conclusionem ex Scoto in c. 5. de ente, & essentia q. 8. sic. Non minus dependet accidens à substantia, quàm materia à forma: sed accidens potest esse sinè substantia, vt patet in Sacramento Altaris ergo materia potest esse sinè forma. Hoc argumentum primo fuit D. Th. quod est in numero tertium p. p. q. 66. art. primo.

Resp. Caiet. ad primum Scoti loc. cit. sed D. Tho. Resp. in p. p. q. 66. ad tertium art p. quod accidens cùm sit forma est actus quidem, materia autèm secundum id quod est, est ens in potentia. Vndè magis repugnat esse in actu materiæ sine forma, quàm accidenti sinè subiecto. Ità D. Th.

135. Resp. Caiet. ad argumentum negatur antecedens: plus enim dependet potentia pura ab actu, quàm actus imperfectus ab actu perfecto. Vide D.Th. Resp loc. cit.

Instat Antonius Trombeta magis dependet posterius à priori, quam priùs à posteriori: sed accidens est posterius substantia, materia autèm est prior forma: ergo magis dependet accidens à subiecto, quàm materia à forma. Fortè diceretur, ait, quod materia non est prior, sed posterior forma. Contrà nam licet materia sit posterior forma ordine perfectionis, est tamèn prior ordine generationis, & consequentèr prior simplicitèr. Vndè arguatur sic. Quandocunque sunt aliqui duo ordines, quorum vnus est prior simplicitèr altero, quidquid est in ordine prioris est simplicitèr priùs quocumq; existente in ordine posteriori: sed ordo originis, & ordo perfectionis ità se habent, quod ordo originis, est prior simplicitèr ordine perfectionis (& hoc in natura limitata) ergo quidquid est prius origine, est prius simplicitèr quocumque priori ordine perfectionis: sed ità est, quod materia est prior origine forma licet forma sit prior perfectione, ergo materia est simplicitèr prior forma. Processus est bonus.

Maior

Maior probatur quod, scilicet, ordo originis, est prior simplicitèr ordine perfectionis, nàm priora generatione sunt posteriora perfectione: natura enim semper procedit de imperfecto ad perfectum: ergo quidquid est imperfectius est simplicitèr priùs quocumque perfectiori: sed materia prima est imperfectior forma: ergo materia prima est simplicitèr prior forma. Tunc vltra est simplicitèr prior forma, & omne prius in suo priori potest esse sinè suo posteriori, ergo &c.

Instantia Antonij Trombetæ contrà responsionem ad Argum. primum Scoti.

136. Resp Caiet. triplici responsione ad insinuandum argumenti multiplicem defectum. Primo dato toto processu. Vltima hæc consequentia nihil valet: falsum est enim quod omne prius possit absolui secundum rem à quolibet posteriori, vt dicetur ad secundum. Et dictum est suprà in secunda adnotatione.

Resp. Caiet. ad instantiam Antonij Trôbetæ loc. cit. de ente.

Secundo Resp. Caiet. quod aliud falsum ibi assumitur, scilicet, quod ordo generationis sit simplicitèr prior ordine perfectionis stando infrà limites naturæ finitæ cùm enim actus sit prior potentia simplicitèr, tàm si ponatur Deus infinitus, quam finitus, vt patet ex 9. Met. & prioritas actus, sit prioritas perfectionis, consequens est quod secundum Arist. & veritatem, ordo perfectionis sit simplicitèr prior ordine generationis. Amplius id quod est prius natura, ratione, & tempore est simplicitèr prius: ordo perfectionis est prior natura, ratione, & tempore ordine imperfectionis, qualis est ordo generationis, qui se tenet ex parte causæ materialis: ordo igitur perfectionis est prior simplicitèr. Media quoque proposito est Arist. 8. Phys. Comm. 75. vbi expresè loquitur in natura finita ad probandum, scilicet, motum circularem esse primum. Vndè ad probationem concesso quod priora generatione sunt imperfectiora, & quod natura procedit de imperfecto ad perfectum negatur consequentia, ergo ordo generationis est simplicitèr prior: licet enim agens naturale priùs attingat imperfectum: Opportet tamèn priùs agens in se perfectum esse vt dicitur in 12. Met. Hic aduertetu, quod opportet mendacem esse memorem, in quæstione de primo cognito Antonius Trombeta, quas impugnat propositiones, has assumit, &c. Ità Ciet. loc. cit.

Resp. secunda Caiet.

137. Tertio Resp. Caiet. quod forma licet sit posterior materia ordine generationis est tamèn prior etiàm ordine generationis materia existente. Magni enim refert dicere materiam, & materiam existentem; sicut superficies est prior albedine: Albedo tamen est prior superficie habente esse album; vnde in proposito cùm sermo sit de materia existente. (si enim poneretur materia sola in rerum natura opporteret ipsam existere) patet falsum assumi. Ità Caiet. loc. cit.

Resp. tertia Caiet. ad instantiã Trombetæ loc. cit.

Instat Caiet. contrà hanc Resp. cuicumque conuenit actu causare pro aliquo signo, conuenit, & existere pro eodem signo sed materiæ primæ in primo signo quo recipit formam conuenit causare, ergo pro tunc conuenit sibi existere sed pro illo signo non habet existentiam formæ: ergo propriam.

Instantia Caiet. circa suam Resp. ibidem loc. cit.

Confirmatur quià materia aut causat compositum, & recipit formam quandò existit, aut quando non existit, non quando non existit, ergo quando existit, ergo pro tunc conuenit sibi existentia propria, quià existentia formæ sequitur totum compositum.

Confirm. prima suæ instantiæ.

Confirmatur secundo quià causa non mendicat à suo effectu: Materia autem causat existentiam formæ, & compositi, ergo non mendicat existentiam ab eis, &c.

Confirmatio secunda.

138. Resp. Caiet. ad argumentum quod sufficit causæ pro quolibet instanti temporis, quo actu causat habere existentiam: nec apparet necessarium, quod pro quolibet signo naturæ insit existentia sibi, quo inest causalitas: Ordo enim naturæ talis est in eodem instanti temporis, quod, scilicet, materia recipit formam, ex quibus resultat compositum, cui iàm esse actualis existentiæ aduenit, quo ipsum compositum pri-

Resp. Caiet. ad suam instantiam

primo, forma secundo, & materia tertio existunt. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad primam Confirmationem. Resp. Caiet. ad primam confirmationem quod Materia causat quando existit, quia pro omni instanti, quo causat, existit; quando enim, est terminus temporalis.

Resp. ad secundam. Resp. Caiet. ad secundam confirmationem quod licet causa vt causa non mendicet à suo effectu: tamen causa materialis mendicat à suo effectu, quæ est eius causa in altero genere causæ: eo quod causæ sunt sibi inuicem causæ 5. Met. comm. 2. Oportet autèm has responsiones à Scoto admitti, quià cùm ponat in 2. sent. dist. 3. q. 3. existentiam esse vltimum actum posteriorem tota coordinatione prædicamentali, licet non distinctum realitèr à re cuius est opportet essentiam materiæ ex natura rei habere habitudinem ad existentiam, vt potentia ad actum. Et tunc potest argui sic. Essentia Materiæ, vt distincta contrà suam existentiam, causat ex natura rei in genere causæ materialis suam existentiam recipiendo eam: ergo sibi pro illo signo conuenit existentia, & sic habet existentiam antequàm recipiat eam: similitèr stando in illo signo: aut essentia Materiæ recipit ex natura rei suam existentiam quando est, aut quandò non est, &c. Ità Caiet.

Argumentum secundum Caiet. ex Scoto loc. cit. Arguit secundo Caiet. ex Scoto loc. cit. Absolutum distinctum, & prius alio absoluto potest esse sinè illo absque contradictione: Materia respectu formæ est huius modi ergo potest esse sinè forma. Minor est euidens. Maior probatur quià prius in eo quod prius non dependet à posteriori, & accipitur hoc ex 5. Met. comm 16. Priora sunt, quæ possunt esse sine alijs, alia non sinè ipsis.

Resp. Caiet. ad secundum. 139. Resp. Caiet. negatur maior. Ad eius probationem dicitur quod non sola dependentia, sed necessaria connexio aliquorum potest esse causa inseparabilitatis eorum. Ad id quod adducitur ex 5. Met. dicitur, quod vniuersalis affirmatiua non conuertitur simplicitèr: ista enim est vera. Quæcùmque possunt esse sine alijs, & alia non sinè ipsis, sunt propria; sed non conuertitur. Quæcumque sunt propria, possunt esse sinè alijs, & alia sinè ipsis. Vide supra de Maxima Scotica Adnotationem secundam. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. tertium Caiet. ex Scoto loc. cit. Arguit tertio Caiet. Quidquid absolutum facit Deus in Creaturis mediante causa secunda quæ non est de essentia causati, potest facere sine illa: sed materiam facit Deus existere mediante forma; quæ non est de essentia eius, ergo potest facere sinè illa.

Resp. Caiet. ad tertium. 140. Resp. Caiet. ad tertium quidquid sit de maiori. Negatur minor forma enim & si non sit de essentia materię, est tamèn de essentia Materiæ existentis. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. quartum Caiet ex Scoto loc. cit. Arguit quarto Caiet. Quidquid Deus immediatè creat immediatè conseruat vel conseruare potest, sed Materiam Deus immediatè creat: ergo immediatè conseruare potest: ergo sine omni forma.

Resp. Caiet. ad quartum. 141. Resp. Caiet. ad quartum dicitur, quod cum medium sit duplex effectiuum, & formale, quidquid Deus immediatè causat effectiuè, potest absque media causa effectiua conseruare, non autèm absque media causa formali, quale medium est forma respectu Materiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. quintum Caiet. ex Scoto loc. cit. Arguit quinto Caiet. Cùm nihil Deus extrà se necessario velit, ex hoc, quod vult materiam esse, non est necesse, quod velit materiam esse nisi proptèr necessariam connexionem vtriusque: sed intèr materiam, & formam non est talis necessaria connexio, ergo &c. Minor probatur quià tunc sequeretur quod materia determinaret sibi necessariò aliquam determinatam formam. Probatur consequentia ista, quià quod determinat sibi genus formæ, determinat sibi aliquam certam speciem in genere illo, & quod determinat sibi speciem, determinat sibi esse in aliquo indiuiduo illius

illius speciei: Omne enim, quod est de necessitate homo, necessario est hic, vel ille homo: consequens autèm est falsum: Materia enim nullam sibi determinat formam, ergo relinquitur quod Materia non determinat sibi genus formæ ad hoc quod sit. Ità Caiet. loc. cit.

Confirmatur à Caiet. Quidquid contingentèr se habet ad quodlibet generis absoluti contingentèr se habet ad id genus absolutum: sed materia contingentèr se habet ad quamlibet formam: ergo materia contingentèr se habet ad genus formæ. Probatur adhuc, quod si necessariò materia determinat sibi genus, &c. Vnum essentiale, & vnum singulare, est impossibile dependere à pluribus essentialitèr eiusdem generis: Materia autèm est vna essentialis, & singularis: ergo impossibile est, quod dependeat à pluribus formis eiusdem generis: & sic si necessariò determinat sibi genus formæ, necessariò quoque determinabit sibi aliquam vnam formam, quod falsum est. *Comfirm. Arg. quinti ipsius Caiet.*

142. Resp. Caiet. ad quintum negatur, quod intèr materiam, & formam non sit necessaria connexio. Ad cuius probationem negatur consequentia cuius probationis falsa est maior: Per id autèm quod additur, scilicet, secundum quod necessariò est homo, necessariò est hic, vel ille homo, nil aliud habetur, nisi quod quià materia necessariò determinat sibi genus formæ, ideò materia non potest esse sine hac, vel illa forma, quod est intentum nostrum. Non enim valet consequentia, A, necessariò est homo, ergo A, necessariò est hic, vel ille determinatè, sed vagè: & sic conceditur Materia necessariò sibi determinat formam, ergo necessariò determinat sibi hanc, vel illam formam non determinatè, sed vagè. Ità Caiet. *Resp. ad Arg. quintum Caiet.*

Ad Confirmationem Resp. cum dicitur, quidquid contingentèr se habet ad quodlibet generis absoluti, contingentèr se habet ad genus ipsum, eodem modo Resp. distinguendo, contingentèr se habere ad quodlibet vel determinatè, vel vagè. Primo enim modo falsa est maior. Secundo verò falsa est minòr: Materia enim non contingentèr se habet ad quamlibet formam indeterminatè, vel vagè, sed necessariò. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad Confirm. Arg. 5.*

143. Ad aliam probationem dicitur, quod vnum essentialitèr vnum, & singulare negatiuè, sicut est Materia prima potest essentialitèr dependere in esse à pluribus eiusdem generis indeterminatè, & vagè, secundum quod illa plura habent vnam rationem communem, sicut in proposito omnes formæ conueniunt in hoc, quod dant esse actuale. Reflecte hoc Argumentum contrà Scotum de quantitate, & figura, & fortè persuadebis infirmitatem eius: quantitas enim continua determinat sibi genus figuræ; nullam tamèn sibi figuram vendicat. Ità Caiet. loc. cit. q. 8. c. 5. de ente, &c. *Resp. Caiet. ad aliam probationem eiusdē Confirmationis.*

QVÆSTIO XII. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm Materia prima in recipiendo formam substantialem, siuè animatam siuè inanimatam immediatè ipsam recipiat

EX CAIETANO

In p. p. cum D. Th. q. 76. art. 4.

Aperitur titulus à Caiet Tyronibus Thomistis loc. cit.

EMinentiss. Caiet. declarat titulum in p. p. q. 76. art. quarto vbi quærit S. Th. Vtrùm in homine sit alia forma præter animam intellectiuam, vnico verbo dicendo. Titulus clarus, de forma substantiali, quam formam substantialem in q. 66. vt in præcedenti quæstione innuimus, significat esse formam corporeitatis, vel formam misti, scilicet, an Materiæ primæ itâ sit coæua forma corporeitatis, vel forma misti, vt sub tali dispositione recipiat suam primam formam substantialem siuè sit animata, siuè inanimata nihil refert. Titulus quæsiti intelligitur de quacumque forma prima substantiali citrà formam corporeitatis, & misti. Itâ Caiet. loc. cit.

Doctrina prima Caietani ex Resp. ad primum cum D. Th. circà formam corporeitatis loc. cit.

144. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 76. art. 4. quod D. Th. in Resp. ad primum ex diffinitione animæ data à Philosopho in secundo de Anima, vbi dicitur quod est actus corporis Physici; facit difficultatem in illis verbis, quià antè animam apparet, quod præcedat in corpore (quod comparatur vt materia ad illam) aliqua forma substantialis seù mistionis; & ideò notat cum D. Th. quod Arist. non dicit animam esse actum corporis tantùm, sed actum corporis Physici organici potentia vitam habentis, & quod talis potentia non abijcit animam. Vndè manifestum est quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiàm anima includitur, eo modo loquendi, quo calor est actûs callidi, & lumen est actus lucidi, non quod seorsim sit lucidum sine luce, sed quià est lucidum per lucem, quod est idem dicere, quod anima dat corpori, quidquid corpus ipsum habet, & tamèn ibi saluatur potentia, idest quod per animam, ait D. Th. & est corpus, & est organicum, & est potentia vitam habens, & dicitur actus primus, respectu actus secundi, qui est operatio. Talis enim potentia est non abijciens idest non excludens animam. Itâ Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. pro forma corporeitatis, & misti contrà Scotum loc. cit. & cōtrà Henricum de Gandauo.

145. Adnotat secundo Caiet. ibidem, quod quià ponere formam corporeitatis antè aduentum formæ substantialis talis, puta animæ intellectiuæ præcipuè militat contrà S. Th. qui nullum aliud esse ponit in homine, nisi illud in extensum, & immateriale, quod est proprium animæ intellectiuæ: ideò nota (vt satisfacias argumentis) & distingue; quod in anima intellectiua inueniatur esse corporeum materiale, quantum, & figuratum, &c. potest intelligi dupliciter. Vno modo formaliter, alio modo virtualiter, & quod quamuis in ea non inueniantur hæc formaliter, sunt tamèn in ea virtualiter, & anima dat, quod habet virtualiter, & hoc sufficit. Est enim anima intellectiua tantæ excellentiæ, vt & faciat ens materiale quantitati subiectum, &c. in quantùm habet in se vim priorum, & vt det esse intellectuale, & indiuisibile in quantùm formaliter excedit omnes alias; facileq; percipi potest, quod compositum sit quantum, & figuratum subiectiuè, & tamèn illius forma indiuisibilis formaliter, & diuisibilis virtualiter, si priuatus quis non est naturali lumine, quo discernere datum est, quod intèr formam purè indiuisibilem vt sunt intelligentiæ,

& in-

& intèr formam diuisibilē vt sunt omninò materiales mediat forma indiuisibilis formalitèr, & diuisibilis virtualitèr, cui ex formali indiuisibilitate conuenit esse non quantum, & ex virtuali diuisibilitate, conuenit facere formalitèr ens extensum subiectiuè. Et nota, quod cum dicimus, animam intellectiuam dare esse extensum composito, intelligitur non de esse actualis existentiæ, sed de esse essentiæ: illud namque indiuisibile, & immateriale, sicut anima ipsa: hoc verò diuisibile, & materiale; illud vnum est simplicitate, communicatum tantùm composito, & materiæ; hoc vero est vnum compositione ex materia, & forma. Ità Caiet. loc. cit.

146. Adnotat tertio Caiet. ibidem in fine Comment. In Resp. ad quartum vbi Mistio Elementorum tractatur, longior habendus esset sermo, si cuncta adducenda essent obiecta. Vndè in loco proprio in primo de generatione requirantur, hic sat sit has rationes tractare, & nota quod materia recipiat formas mistorum immediatè potest dupliciter intelligi. Primo quo ad vnionem formæ cum materia, & sic est necessario; alio modo quo ad transmutationem, & sic mediant Elementa, ità quod Elementa media sunt in transmutatione, non in informatione. Vel dicitur quod non solum in fieri, sed in esse Elementa sunt media non formalitèr, sed virtualitèr, sicut & manent non formalitèr sed virtualitèr. Sed aduerte, quod Elementa remanere virtute potest intelligi duplicitèr. Vno modo in forma substantiali misti, eo modo, quo vegetatiuum est in forma sensitiua, & hæc est opinio Scoti in secundo sent. dist. 15. Alio modo in qualitate, quæ est propria dispositio ad formam misti, & hæc est opinio S. Th. & quamuis opinio Scoti contrà viam S.Thomæ sit, & rationi aduersetur, quià non est eadem proportio formæ perfectionis puta sensitiuæ ad formas specificas Elementorum, & gradus genericos, vt quemadmodum hos continet, ità illas contineat, quoniàm illarum prædicatio sibi repugnat, non autèm horum. Et sensui contradicit, quià operatio Elementi non æquè perfectè, aut perfectius est in forma misti, sed longè imperfectior, cuius oppositionem videmus in omnibus virtualitèr clausis in formis posterioribus: sensitiuum enim perfectiori modo operatur opera vegetatiui, quàm purè vegetatiuum, quià tamèn non est contrà præsentem intentionem, in qua pluralitatem formarum à materia excludimus, discutienda relinquatur in loco proprio: sed hæc sint ad discretionem opinionis S. Th. dicta. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina tertia Caiet. in Resp. ad quartū pro forma misti loc. cit. Legas opusculū D.Th 33 pro hac Doctrina Caiet.

147. Quo ad secundum Caiet. in q.76. cit. refert in Resp. ad primum, vt in primo notabili suprà innuitur, opinionem Scoti in quarto sent. dist. 11. q.3. qui conatur probare in homine præter animam intellectiuam, esse aliam formam corporeitatis, seù mistionis, & conatur infirmare rationem adducendam infrà D. Th. dicendo, quod non includit intentum D. Thomas per illam; sed quod Responsio Scoti sit voluntaria, & nulla, facilè manifestabitur infrà; sicuti & ostendemus, quod prædicta à D. Th. de vnica forma substantiali dante esse simplicitèr materiæ primæ, sine vlla alia præcedenti forma substantiali, & accidentali in fieri talis compositi puta hominis, habent locum in omnibus compositis substantialibus eisdem rationibus, & medijs. Esto Henricus de Gandauo in quolib. secundo q.2. & 3. & quolib. 4.q.13. & 14. teneat, quod non est eadem ratio de homine, & alijs, & quod quamuis anima intellectiua sufficiat pro anima sensitiua, & vegetatiua, non tamèn pro forma mistionis, & corporeitatis, quià illa est inextensa, istæ verò sunt extensæ. Ità Caiet.

Opinio Scoti recitata à Caiet in p. q 76. in Resp. ad primum, & Henrici de Gandauo.

Circà Mistionem Elementorum in Materia prima vt recipiat immediatè suam formam substantialem Caiet. cum D. Th. in Resp. ad quartum loc. cit. refert opinionem Auicennæ, qui posuit formas substantiales Elementorum integras remanere in Misto, Mistionem autèm fieri secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducun-

Opinio Auicennæ & Auerrois recitata à Caiet. cū propria sent. D.Th.

ducuntur ad medium; sed satis efficaciter impugnatur Auicenna à D. Th. vt videbimus infrà in Conclusione 2. sicuti, & etiàm impugnat D. Th. rationes Auuerrois in 3. de Cœlo ponentis formas elementorum propter imperfectionem sui, esse medias inter formas accidentales, & substantiales, & ideò recipiunt magis, & minus, & ideò remittuntur in mistione, & ad medium reducuntur, & conflatur ex eis vna forma. Auuerroim impugnat D Thomas, qui tenet impossibile esse, quod forma substantialis quæcumque recipiat magis, & minus; & quod aliquid sit medium inter substantiam, & accidens. Vndè S. Doctor tenet cum Philosopho in primo de Generatione, quod formæ Elementorum manent in misto non actu, sed virtute. Manent enim qualitates propriæ Elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum Elementarium. Et huiusmodi qualitas mistionis, est propria dispositio in materia ad formam substantialem corporis misti, puta formam lapidis, vel animæ cuiuscumque. Ità Caiet. cum D.Th. in Resp. ad quartum loc. cit.

Prima Conclusio Caiet. cum D. Thom. responsiua quæsiti ex p.p.q. 76. ar. 4. cum sua probatione.

148. Quo ad tertium Caiet. in art. 4. q. 76. p. p. ponit cùm D. Th. Conclusionem vniuersalem de quacumque forma substantiali negatiuam, quæ est principalis responsiua quæsiti. In omni composito substantiali prætèr suam propriam formam substantialem, quàm materia immediatè recipit, nulla est alia forma substantialis.

Probatur à Caiet. ratione D. Th. formalizata à se. Si præter formam substantialem principalem constitutiuam compositi, præexisteret alia forma substantialis, illa principalis, quæ aduenit Materiæ primæ non daret esse simplicitèr, nec esset forma substantialis, nec per aduentum illius formæ esset generatio simplicitèr: sed hæc falsa sunt, & impossibilia: ergo &c. Consequentia probatur ex differentia intèr formam substantialem, & accidentalem, quo ad esse, fieri, & corrumpi simplicitèr, vel secundum quid, quià penès formam substantialem omnia hæc sunt simplicitèr; penes formam accidentalem omnia sunt secundum quid. Et confirmantur hæ differentiæ ex errore antiquorum in hoc primo lib. Phys. tex. 33. quià proptèr hoc antiqui naturales; qui posuerunt Materiam primam in actu esse ens aliquod, puta ignem, aut aerem, aut aliquid huiusmodi dixerunt, quod nihil generatur, aut corrumpitur simplicitèr, sed omne fieri statuerunt alterari, falsitas consequentis ex dictis patet. Ità Caiet. cum D. Th.

Instantia Scoti contrà rationem D. Th. loc. cit.

Resp. Scotus quod hæc ratio non concludit intentum, quià ly simplicitèr potest sumi duplicitèr primo vt opponitur ei quod est nullo modo, & sic ex non ente simplicitèr, nihil fit apud Philosophos. Alio modo vt opponitur ei, quod est secundum quid, & sic nihil aliud significat esse simplicitèr, quàm esse primum naturalitèr, & esse secundum quid posterius esse naturalitèr, & hoc modo verum est, quod omnis forma substantialis dat esse simplicitèr, & accidentalis secundum quid, & hoc siue forma substantialis præcedat generationis ordine accidentalem, siuè non. Semper enim datum à forma substantiali secundum suam naturam est prius, & illud posterius, sicuti substantia accidente. Vndè ex hoc non sequitur, ergo est vna forma in composito quià stat vni composito habenti vnum esse prius naturalitèr accidentali forma aduenire aliud perfectius esse, etiàm priùs naturalitèr, quam sit esse accidentale.

Caiet. fugat instantiam Scoti factam contrà rationem Conclusionis D. Th.

Caiet. fugat hanc Resp. Scoti sic. Quod hæc responsio voluntaria, & nulla sit, facile manifestatur. Quod voluntaria quidèm sit, patet, quià ad placitum exponit terminos, & non secundum vsum Philosophorum loquentium in hac re. Ly enim simplicitèr duplicem tantum habet apud Philosophos significationem. Primò vt idem est quod ly totalitèr, & sic intelligitur ex non ente simplicitèr, idest totalitèr nihil fit: & sic dicimus multa non esse completa simplicitèr, quandò non sunt totalitèr facta, Secundò vt idem est quod nullo addito, iuxtà illud Topicorum. Simplicitèr dico,

dico, quod nullo addito dico, & hoc modo est frequentissimum apud Arist. & vsum omnium, & sic sumitur in proposito. Nec potest inficiari, nisi propriam loquelam ipse met Scotus cum cæteris velit negare. Sed aduerte, quod in hoc deceptus videtur Scotus, & multi eadem tenentur cæcitate, quod non discernunt, in ly simpliciter, actum exercitum ab actu signato cum tamen distent sicuti Cœlum à terra. Vtinamq; ipso in actu signato, est ponere ly simpliciter in ipsa re, de qua est sermo, vt cùm dicimus quod generatio hominis, est generatio simpliciter, generatio verò hominis albi est secundum quid &c. Vti verò ipso in actu exercito est loqui de ipsa re, de qua est sermo absq; adiectiuo aliquo, vt in generatione hominis dicimus homo fit; cùm dealbatur verò, non dicimus, homo fit, sed homo fit albus. Arist. enim, & S. Tho. & cæteri ponunt differentiam intèr formam substantialem, & accidentalem penes simpliciter, & secundum quid in actu exercito. Nec eget probatione, quoniàm etiàm in ipsis artificialibus, quandò fiunt secundum id quod est constitutiuum eorum in esse specificum, ac per hoc induit rationem substantialis, dicimus etiàm fieri simpliciter, vt patet in factione domus, dicimus enim, quod domus fit, & quod facta est; cùm autèm decoratur, non dicimus quod fit, sed cum adiectiuo quod fit alba &c.

Est ergo vsitatissimum, & proprijssimum formæ substantiali dare esse simpliciter, & fieri secundum eas composita simpliciter. Et iuxtà hoc patet procedere rationem S. Th. quià si forma substantialis adueniret enti in actu per aliam formam, illud est simpliciter, idest de illo verificatur quod est: ergo non potest de illo verificari, quod fit, sed quod fit tale, quod est fieri secundum quid. Nec hoc potest subterfugi, nisi concedendo, quod de vno, & eodem potest absolutè & absque additione aliqua concedi, quod est, & fit, quod quantæ stultitię sit eis relinquo iudicandum. Et hoc benè nota, quoniàm in hoc lumine videbis clarè multa secreta apud Arist. & complures tenebras apud alios.

Concludit ergo Caiet. cùm D. Th. contrà Scotum, quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiua, & quod ipsa sicuti virtute continet animam sensitiuam, & nutritiuam, ità virtute continet omnes inferiores formas, scilicet, corporeitatis &c. Et facit ipsa sola, quidquid imperfectiones formæ in alijs faciunt. Et similitèr est dicendum de anima sensitiua in brutis, & de nutritiua in plantis, & vniuersalitèr de omnibus perfectionibus respectu imperfectiorum. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Secunda Conclusio Caiet. cum D. Th. ibidem in Resp. ad 4. pro forma misti. Materia recipit formam misti medijs Elementis non in actu, sed in virtute. Conclusio hæc est contrà Auicennam, & Auuerroim principalitèr, & ratio D. Th. non tendit contrà conclusionem, sed contrà rationem Auuerrois, qui sustentatur super ratione medij, quià esse formarum ait est medium intèr formas substantiales perfectas, & accidentia. *2. Concl. Caiet. cù D. Th. & sua probatione cõtrà Auuerroim de forma mist. loc. cit.*

150. Probatur à Caietano cùm D. Th. contrà rationem Auuerrois, sub tali forma sic. Intèr substantiam, & accidens, impossibile est esse aliquid habens verè rationem medij. Et verificatur hoc non solum accipiendo totum genus substantiæ ex vna parte, quoniàm vt patet 10. Met. Medium oportet esse eiusdem generis cùm extremis; nulla autèm substantia est eiusdem generis cùm accidente, ergo si dicatur quod Auuerrois non loquitur de verè medio per participationem, hoc est, quod volumus, quià ex hoc habetur quod nulla fuit ratio sua ex ratione medij, vt medium est, & hoc intendebat S. Thomas.

Confirmatur à Caiet. Aut ratio Auuerrois fundatur super rationemedij, & tunc *Confir. Caiet.*

aut

pro ratione 2. Concl. loc. cit. aut per participationem, hoc non, vt patuit; aut per abnegationem, & hoc non, vt de se patet; aut per comparationem, & hoc non, quià forma elementi non est accidens in respectu ad substantiam, & substantia in respectu ad accidens, sed est absolutè substantia. Et similitèr non verificatur, quod suscipit magis, & minus in respectu ad substantiam, & non suscipit in respectu ad accidens, quoniàm apud ipsum absolutè suscipit magis, & minus, secundùm veritatem autèm non suscipit absolutè. Aut perappropinquationem, de hoc procul dubio intendit: sed nihil infert, quia aut ratiofundatur super ratione medij, & nulla est, quià non est verè medium; aut super ipsa appropinquatione naturæ, & tunc nihil aliud est dicere nisi quod quià formæ elementares sunt imperfectissimæ, & vicinissimæ accidentibus, ideò suscipiunt magis, & minus. Et tunc apparet duplex defectus. 1. quod ratio medij non est ad propositum, vt subtilitèr excludit S. Th. 2. quod ratio assignata est nulla, quià ex hoc, quod aliquid est imperfectissimum, & infimum in aliquo genere, non excluditur à communibus conditionibus sui generis, sed potiùs eo ipso, quod infrà genus continentur illas habet: constat autèm, quod non suscipere magis, & minus, communis est conditio generis substantiæ, vt patet in prædicamentis. Taceant ergo, & voluntariè fateantur, Auerroim esse locutum, & non ex medij ratione, vt tamèn loqui se credidit. Ità Caiet. cum D. Th. in fine Comment. art. 4. loc. cit.

151. Quo ad 4. Caiet. contrà hanc secundam Conclusionem immediatè arguit ex Auerroi, 3. Cœli Comment. 62. sic. Si in Materia, ex hoc quod recipit suam formam substantialem, corrumperetur forma misti, seù elementa totalitèr, non saluaretur ratio elementi, nec materia reciperet formas mistorum medijs elementis, sed primo, & essentialitèr omnes ergo &c. ex opusc. 33. D. Thom. habetur hoc Argumentum.

Arg. 1. Caiet. contrà 2. Concl. ex Henrico de Gandauo loc. cit. cum sua Resp.

Resp. Caietanus ad has rationes Auuerrois; nos dicimus, quod optimè saluatur ratio elementi, quià elementum est, ex quo fit aliquid cum insit actu, vel virtute. Materia igitur recipit formas mistorum immediatè, quoad vnionem formæ cum materia necessariò; quo ad transmutationem verò recipit eas medijs elementis, non verò in informatione. Et vt dictum est in Adnotatione 3. non solùm elementa media sunt in fieri, sed in esse non tamèn formalitèr, sed virtualitèr sicuti, & manent non formalitèr, sed virtualitèr. Aduerte hic quod Auuerroistæ derident rationem S. Th. contrà Auuerroim tactam, quià manifestè patet in Comment. illo, quod Auuerrois posuit formas elementorum esse substantias, medias autèm intèr substantias perfectas, & accidentia, & ex earum imperfectione, quà proximæ sunt accidentibus, possunt suscipere magis, & minus, & non posuit aliquid medium intèr substantiam, & accidens. Sed isti dùm derident, quàm se derisibiles exhibeant, si viderent, tacerent. Non penetrant subtilitatem, formalitatemq; S. Th. qui ad Philosophos loquebatur, non Sciolos. Ità Caiet. loc. cit. pro cuius Caiet. Doctrina legatur S. Doctor in suo opusc. 33.

Arg. 2. Caiet. cont. à 1. Concl. ex Henrico de Gandauo loc. cit. 1. 76.

Arguit 2. Caiet. contrà primam Conclusionem ex Henrico de Gandauo, quod non sit eadem ratio de forma animata, & de alijs sic. Omne per se agens habet aliquem per se proprium terminum, ergo vbi sunt duo per se diuersa agentia, & diuersæ actiones, ibi non est eadem forma vtriusq; terminus, sed sic est in solo homine, quià Anima à Deo per creationem, reliqua à semine per generationem, ergo duæ formæ. Antecedens patet ex se, & 5. Phys. vbi negatur eamdem redire sanitatem, proptèr diuersitatem actionis: Consequentia patet.

Confir. Arg. 2. Et Confirmatur quià idem terminus, aut est forma, aut compositum, si compositum ergo homo creatur; si forma ergo anima intellectiua generatur ex semine.

152. Resp.

152. Resp. Caiet. ad Argumentum ex D. Th. quod accipiendo proprium, vt distinguitur contrà commune, & loquendo de termino formali, Maior non est vera, quando sunt agentia subordinata, qualia sunt generans, & creans animam intellectiuam. Secundo dicitur, quod habere eumdem terminum formalem eodem modo, licet sit inconueniens, non tamèn diuersimodè vt hic accidit, quià anima terminat creationem intrinsecè, & generationem extrinsecè, & sic forma est terminus vtriusq; sed non eodem modo. Ideò non sequitur, ergo generatur. Tertio dicitur, quod cuilibet actioni datur proprius per se primo terminus, quamuis non formalis, & quod generationis terminus proprius est compositum, creationis anima intellectiua: sed de his p. p. q. 118. ex proposito est sermo. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Argu. 2. cum D. Th. loc. cit.*

Arguit 3. Caiet. ex Scoto. Primo sic. Ex idemtitate Corporis Christi viui, & mortui, quià fuit idem numero, & huic annectitur de idemtitate Eucharistiæ in triduo mortis Christi, quoniàm idem est iudicium de idemtitate Corporis Christi in se, & Eucharistia. *Argu. 3. Caiet. ex Scoto loc. cit. q. 66.*

153. Resp. Caiet. quod iàm dixit S. Th. quod Corpus Christi in triduo fuit simplicitèr idem numero, quià idem suppositalitèr, & materialitèr, & quo ad esse actualis existentiæ, & quod non valet ergo idem formalitèr. Et hoc sufficit ad verificandas omnes auctoritates Sanctorum, & similitèr in Eucharistia; ità, quod in hostia consecrata, aut retenta triduo continebatur illud compositum ex materia, & illa forma cadaueris, quod tunc erat verum Christi Corpus idem cum viuo triplicitèr modo dicto. Et in resurrectione in eadem hostia fuisset compositum ex materia, & anima intellectiua, vt dat esse corporeum. Ità quod est par ratio veritatis hic, & ibi. Nec hic est aliquod inconueniens, nisi inconueniens fuerit Corpus Christi variari secundum vitam, & mortem: hoc enim ad hoc sequitur: sed trepidauerunt timore, vbi non erat timor, quià non vident naturam compositionis substantialis. Ità Caiet. loc. cit. *Resp Caiet. ad primũ Scoti cum D. Th.*

Arguit 4. Caiet. ex eodem Scoto sic. Ex idemtitate specifica formæ cadaueris quià non potest esse regularitèr idem effectus, à quibuscumq; & quantumcumque diuersis agentibus: sed Corpus viuum quomodocumq; moriatur, modo non statim dissoluatur in elementa, ad sensum apparet eiusdem rationis, ergo non producitur noua forma, sed remanet, quæ erat forma corporeitatis. *Arg. 4. Caiet. ex Scoto loc. cit.*

154. Resp. Caiet. quod ibi dicuntur tria, quorum vnum est dubium, & duo sunt falsa. Dubium siquidem est cadauer esse eiusdem rationis, quoniàm sustineri potest rationabilitèr, vtraq; contradictionis pars. Potest enim dici, quod cadaueris forma est diuersarum rationum, iuxtà diuersitatem naturalium agentium, puta ignis, aut aquæ, ità quod cadauer mortui ex dominio choleræ fit alterius rationis à mortuo ex dominio phlematis. Et merito, quià illud ab igne tendit ex intentione agentis, reliquum ab aqua in aquam, vt alijs existentibus terminis, alia etiàm sit via. Nec refert vtrum gladio, vel suspendio, sed quo elemento dominante moriatur, quoniàm illa se habent vt excitantia, & applicantia actiua passiuis. Potest etiàm dici quod forma cadaueris est vnius rationis, & quod est forma imperfecta, & communis via à viuo ad quodlibet elementum. Nec inconuenit eam esse communem, & vnius rationis, quià est medium remotum ad illa. *Resp. Caiet. ad 2. Scoti.*

Falsum verò est, quod effectus vnius rationis, non possit ab hac agentium diuersitate produci, quoniàm aliquid produci stat duplicitèr, vt medium est, aut terminus principalitèr intentus. Et rursus vt medium proprium, vel commune. Et quod quià forma cadaueris producatur vt commune medium ad omnia elementa, ideò potest à quolibet eorum produci. Nec est hic quantacumque diuersitas

agen-

agentium, sed quadruplex tantùm iuxtà numerum elementorum.

Falsum quoq; est, & contrà Arist. 2. de gen. tex. 17. quod in corruptione hominis non fiat forma noua, quoniàm non tunc sempèr corruptio vnius esset generatio alterius, & natura operaretur aspiciens ad malum, quod est impossibile. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 5. Caiet. ex Henrico loc. cit. q. 76.

Arguit 5. Caiet. ex Henrico ex parte effectus. Anima intellectiua non potest supplere effectus, & operationes formæ corporeitatis, & mistionis, ergo pretèr eam oportet aliam formam ponere. Consequentia plana, & antecedens probatur quià esse diuisibile, quantum, extensum, figuratum, corruptibile &c. non sunt ab anima intellectiua, quoniàm esse eius est indiuisibile, est inextensibile, incorruptile, & immateriale &c. Et non videtur intelligibile quod compositum sit quantum, extensumq; & quælibet pars eius non sit quanta, & extensa.

Resp. Caiet ad Argu. Henrici.

155. Resp. Caiet. ex 2. adnotatione supposita enim distinctione de ly esse quantum dupliciter, scilicet, per se, & per accidens, & quod hic non est quæstio nisi de quanto, & extenso per accidens idest subiectiuè, quoniàm nulla res extrà prædicamentum quantitatis, dat formale esse per se quantum, vt patet, quod quià anima intellectiua claudit in se omnes formas priores se ordine generationis, sicuti tetragonum trigonum, ipsa potest supplere, imò necessariò facit omnem effectum, & operationem formæ mistionis, & corporeitatis. Et ex hoc apparet, & ex adnotatione secunda nihil obstare argumentum positioni S. Th. de vnitate esse in composito, quoniàm in æquiuoco laboratur, dùm quæstio est de esse essentiæ, quod est ipsum compositum subiectum quantitati, & positio loquitur de esse existentiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Pro exacta intelligentia Doctrinæ Caietani in secunda adnotatione suprà, & pro secunda Conclusione, & pro Resp. ad primum legas, nouitie Thomista, opusculum D. Thomæ in num. 33. ad Magistrum Philippum; vbi confutatis modis dicendi Auerrois, & aliorum circà modum, quo elementa sunt in misto, statuit alium modum S. Doctor, quo saluat veritatem mistionis, & quod elementa non totalitèr corrumpuntur, & quod aliqualitèr in misto permanent, scilicet, non actu, sed virtute, recitando in fine opusc. auctoritatem Philosophi in primo de Gen. concludendo. Non igitur manent elementa in misto actu, vt corpus, & album: nec corrumpuntur, nec alterantur ambo, nec alterum; saluatur enim virtus eorum. Ità Sanctus Doctor.

QVAE-

QVÆSTIO XIII. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm Dimensiones interminatæ præcedant saltèm formam substantialem in Materia

EX CAIETANO

Quæst. 16. cap. 7. de ente, & essentia; & ex Comment. in p. p. q. 76. art. 6. & 7. sub alio titulo.

CAiet. in præcedenti quæstione exclusit à materia in recipiendo suam formam substantialem constitutiuam sui in esse specifico, quamcumq; aliam formam præcedentem substantialem: Modo in præsenti vult cum D. Th. excludere etiàm quascumq; alias formas accidentales ab ipsa Materia quando in fieri compositi recipit suam propriam formam substantialem. In cap. 7. de ente, & essentia q. 16. quærit, vt in titulo, nomine dimensionum, vt etiàm facit in p. p. q. 76. art. 6. vbi quærit S. Th. An anima intellectiua vniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus; & in art. 7. an vniatur corpori Animalis mediante aliquo corpore. Et pro explicatione tituli Caiet. ait, in art. 6. In titulo hoc solum aduerte, quod hic est sermo de mediatione informationis, non autèm transmutationis tantùm. Ità quod quæstio est. Vtrùm in instanti, quo anima, siuè quæcumq; alia forma substantialis recipitur in materia medient intèr ipsam, & materiam accidentia aliqua, quibus priùs natura, & si non tempore, materia informetur, quàm ipsa forma substantialis. Et est quæstio contrà Auuerroim, & vniuersalitèr contrà omnes ponentes idem numero accidens in genito, & corrupto saluari. Ità Caiet. art. 6. loc. cit. Et D. Th. in opusc. 32.

Aperitur Tyronibus Thomistis à Caiet. sensus controuersiæ contrà Auuerroim loc. cit. vt contrà ipsum per extensum disputat S. Doctor in opusc. 32. cap. 4. 5. & 6.

156. Adnotat Caiet. primo in cap. 7. q. 16. de ente, & essentia contrà Auuerroim, qui dicit ex 1. Phys. quod corpus fit ex non corpore. Ly ex potest sumi dupliciter primo vt dicit habitudinem causæ materialis; secundo vt dicit habitudinem termini à quo, in primo sensu verificatur dictum Auuerrois: Corpus enim fit ex materia, quæ non est corpus, & indiuisibilis in actu, licet sit corpus, & diuisibilis in potentia; in secundo sensu est falsum: necesse est enim materiam, ex qua fit corpus immediatè, antè illud instans habuisse corporeitatem, & vniuersalitèr in omni instanti temporis necesse est ipsam esse sub dimensionibus. Et ampliùs distinguendum est, ly fit, corpus enim, seù dimensionem fieri potest intelligi duplicitèr. Vno modo terminatiuè idest vt fiat tanquàm terminus alicuius motus, vel mutationis, & hoc modo est impossibile fieri dimensionem. Alio modo concomitatiuè idest vt fit tanquàm aliquod consequens ipsum terminum motus, seù mutationis: & hoc modo verum est corpus fieri: neq; enim generatio, neq; alteratio, neq; motus localis ad quantitatem terminatur vt quantitas est: licet augmentatio terminetur ad quantitatem perfectam: sed quando generatio terminatur per se primo ad compositum substantiale, generantur consecutiuè eius accidentia inseparabilia, de quorum numero est quantitas, quæ substantialem corporeitatem sequitur. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 1. Caiet. de dimensionibus interminatis contra Auerroim rationes in c 7 de ente, & essentia q. 16.

157. Adnotat 2. Caiet. ibidem, diuersas formas præexigere diuersas partes in ma-

Doct. 2. Caiet.

ibidem loc. cit. contrà Auuerroim.

materia potest intelligi dupliciter. Vno modo vt ly Præ dicat ordinem temporis, & sic verum est quascumq; formas duas simul recipiẽdas in materia praexigere eam esse distinctam in plures partes immediatè antè illud instans, in quo illæ formæ inducuntur: eadem enim pars materiæ non potest simul ad duas formas alteratione sufficienti disponi, sed talis distinctio partium materiæ præexacta, non opportet quod fiat per interminatas dimensiones ipsi materiæ inhærentes: sed fit per dimensiones præcedentium compositorum. Alio modo potest intelligi, vt ly Præ dicat ordinem necessarium, ità quod in instanti introductionis formarum necesse sit materiam priùs habere natura diuersitatem partium, & post, formas distinctas, & hoc est falsum: opportet enim priùs natura materiam esse, quàm distinctam esse: in illo ergo, & pro illo instanti exigunt duæ formæ distinctas partes materiæ, sed non præ exigunt. Et sic formam diuidi per diuisionem subiecti potest intelligi dupliciter. Vno modo vt ideò forma diuisionem habeat ex subiecto, quià in materia prædiuisa recipitur, & hoc modo, quomodo sit verum, & quomodo sit falsum nuuc declaratum est; alio modo vt ideò forma diuidatur ad diuisionem subiecti, quià forma habet talem diuisionem ratione subiecti, & hoc modo verum est, eo quod diuisio quantitatiua conuenit formæ substantiali ex hoc, quod est in materia, ratione cuius compositum est quantum: sicuti enim qualitas sequitur compositum ratione formæ, non ità tamèn quod ipsa qualitas præsit in ipsa forma subiectiuè, ità quantitas inest composito ratione materiæ, non ità quod præsit in materia, quià ergo diuisio quantitatiua formæ non conuenit nisi ratione materiæ, in qua recipitur, vt formæ à materia separatæ ostendunt, ideò formas diuidi ad diuisionem subiecti concedimus, non tamèn diuisionem istam præcedere formam, sed comitari. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 3. Caiet. ex p. p. q. 76. art. 6. in Resp. ad primũ quot modis forma vniatur materiæ.

158. Adnotat Caiet. p. p. q. 76. art. 6. in Resp. ad primum, & ait. Aduerte proptèr instantiam, quæ posset fieri de ordine reali, quod forma exigit materiam realitèr dispositam, & non solum ordine rationis. Aduerte, inquam, quod formam vniri materiæ dispositæ potest quadruplicitèr intelligi. Primo dispositionibus præcedentibus ordine durationis. Et sic verificatur quià immediatè antè instans generationis, materia erat summè disposita pro forma introducta. Secundo dispositionibus simultaneis, & hoc modo etiàm est verum, quià in instanti introductionis formæ substantialis, adsunt etiàm omnes dispositiones requisitæ in ipsa materia; Tertio dispositionibus simultaneis, præsuppositis tamèn reali ordine naturæ. Et sic est falsum, formam vniri materiæ dispositæ, quoniàm ipsa forma præcedit reali ordine naturæ omnia accidentia, vt probatur in Conclusione cum D. Th. Quarto dispositionibus simultaneis, & præsuppositis ordine naturæ secundùm intellectum. Et hoc modo est verum, non de ipsa forma substantiali absolutè, sed de ipsa secundum posteriorem eius gradum, & effectum. Non est quidem verùm de ipsa, quià Materia secundum se ipsam nulla eget dispositione ad hoc, vt suscipiat formam substantialem si nihil addatur, quamuis egeat disponi, vt recipiat formam substantialem. Est autèm verùm de ipsa quantùm ad vlteriorem gradum, quià vt in art. dicitur, formam substantialem vt sic, intelligitur comitari proprietates entis, & substantiæ, ac per hoc capacem esse corporeitatis, quam comitantur dimensiones, & cætera. Et sic intelligitur pars mistionis, quam sua accidentia comitantur, & sic semper forma secundum vlteriorem gradum, & effectum formalem, & accidentia propria perfecta intelligitur aduenire materiæ dispositæ. Vndè patet quod illa maxima, forma, & actus fit in materia disposita, tripliciter verificatur; duobus modis realitèr, scilicèt, dispositionibus præcedentibus, & simultaneis, loquendo vtrobiq; de ordine durationis; Et vno modo secundum durationem, loquẽdo de ordine naturæ, & hunc

tantùm

tantùm posuit S. Doctor in art. quià erat obscurus. Et hæc benè memora in tota hac materia, de qua, & materia sequentis articuli, scilicèt, septimi vide in Commentarijs de ente, & essentia, si videre vis. Et in Resp. ad 5. art. 7. notat multum distantia esse duplicitèr, vel dissimilitudine conditionum, vel proportione coniunctionis. Primo modo forma, & materia multum distant, non secundo; & intèr multum distantia primo modo tantùm, non opportet esse medium: sed intèr distantia vtroq; modo opportet esse media. Ità Caiet. loc. cit. art. 7. & 6.

159. Adnotat 4. Caiet. in p. p. q. 92. art. 3. in Resp. ad primum vbi quærit S. Doctor an Mulier debuerit formari de Costa viri. Quod quià Materia præuenit actus omnium prædicamentorum, vt dicitur 7. Met. nec est quid, nec quale, nec quantum, sed omnia in potentia, idcircò prætèr essentiam materiæ est, & magnitudo, & multitudo, quæ ad prædicamentum quantitatis pertinent: prætèr autèm essentiam eius sunt hæc in actu, & non in potentia: Verum non est putandum materiam existentem sub quacumq; dimensione esse in potentia ad quantamcumq; dimensionem, sed est certus limes, vltra quem nec in potentia extenditur. Et propterea communitèr, & benè dicitur, quod licet in essentia materiæ non detur maius, aut minus, multitudo, vel paucitas: datur tamèn in ea plus, & minus, ità quod plus materiæ est sub pedali terræ, quàm sub pedali ignis: hoc patet ex rationibus rari, & densi, quoniàm hoc multum habet materiæ sub paruis, illud parùm sub magnis dimensionibus. Et propterea Materia existens sub Costa, non erat in potentia ad quantamcumq; quantitatem. Et rursus licet fuerit in potentia ad quantitatem maioris mulieris, non tamèn seruata densitate debita ad Corpus muliebre, & ideò opportuit plus materiæ haberi à corpore longè maiori, & non longè rariori. Ità Caiet. loc. cit. art. 3.

Doct. 4. Caiet. ex p. p. q. 92. art. 3. in Resp. ad primum quo modo sit plus, & minus in materia prima.

160. Quoad 2. Caiet. in cap. 7. de ente, & essentia q. 16. in recitando opiniones sic ait. Auuerrois in libro de substantia orbis fundat opinionem nobis contrariam, ponendo in Materia prima, quæ pura est potentia, dimensiones interminatas. Ex hoc enim sequitur non omne accidens esse subiectiuè in ente in actu. Mouetur autèm ad hoc opinandum rationibus plerisq; ducentibus ad impossibile, quæ soluentur infrà. Hanc opinionem, & si in quibusdam libris suis sequatur S. Th. propria tamèn sententia oppositum vltimò determinauit in p. p. q. 76. art. 6. vbi impugnat hanc positionem Auuerrois, vbi ratiocinatur sic S. Doctor si anima vniretur corpori vt motor nihil prohiberet, imò magis necessarium esset, esse aliquas dispositiones medias intèr animam, & corpus, potentiam, scilicet, ex parte animæ per quam moueret corpus, & aliquam habilitatem ex parte corporis, per quam corpus esset ab anima mobile. Sed si anima intellectiua vnitur corpori vt forma substantialis vt iàm dictùm est in art. 1. q. 76. Impossibile est, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media intèr corpus, & animam, vel intèr quamcumq; formam substantialem, & materiam suam. Ità Caiet. cum D. Th.

Opinio Auuerrois recitata à Caiet. in c. 7. de ente, & essentia q. 16. cum sententia D. Th. ibidem, & in p. p. q. 16. art. 6. circà dimensiones &c. Et in opusc. 32. à cap. 4. vsq; in finem.

Et insupèr Caiet. cùm D. Th. in art. 7. q. 76. p. p. sic ait. Vndè patet esse falsas opiniones eorum, qui posuerunt aliqua corpora esse media intèr animam, & corpus hominis. Quorum quidam Platonici dixerunt, quod anima intellectiua habet corpus incorruptibile sibi naturalitèr vnitum, à quo nunquàm separatur, & eo mediante vnitur corpori corruptibili. Quidam verò dixerunt, quod vnitur corpori mediante spiritu corporeo. Alij verò dixerunt quod vnitur corpori mediante luce, quam dicunt esse corpus, & de natura quintæ essentiæ: ità quod Anima vegetabilis vnitur corpori mediante luce Cœli syderei, anima verò sensibilis mediante luce Cæli Chrystallini; anima verò intellectualis mediante luce Cæli Empyrei. Quod risibile,

Aliæ opiniones recit. à Caiet. cū D. Th. in p. p. q. 76. a. 7. quomodo ex D Th. forma vnitur materiæ contrà ipsos, & in opusc. 32. c. 6.

bile, & fictitium apparet. Tùm quià lux non est corpus, tùm quià quinta essentia non venit materialitèr in compositionem, corporis misti, cùm sit inalterabilis, sed virtualitèr tantùm. Tùm etiàm quià anima immediatè corpori vnitùr, vt forma materiæ. Ità Caiet. cum D. Th. art. 6. & cit. p. p.

1. Concl. Caiet. cum D. Th. resp. quæsiti cum sua probat. ex loc. cit.

161. Quo ad tertium sit prima Conclusio Caiet. cùm D. Th. in q. 16. de ente, & essentia c. 7. & in p. p. q. 76. art. 6. anima, & vniuersalitèr omnis forma substantialis recipitur in materia nullo mediante accidente.

Probatur à Caiet. ratione D. Th. sic ab ipso formalizata in c. 7. de ente cit. Quandocumque aliquid est in potentia ad actum omnem, ordine quodam priùs recipit, actum primum simplicitèr, & demùm sequentes: sed materia prima secundum se est in potentia ad omnes actus substantiales, & accidentales ordine quodam: ergo priùs recipit actum priorem simplicitèr, deindè posteriorem: sed primus actus simplicitèr etiàm ordine generationis est esse, ergo primum, quod intelligitur recipi in materia est esse substantiale, & non nisi à forma substantiali: ergo priùs recipitur in materia forma substantialis, quàm quodcumque accidens, & sic omne accidens sequens adueniet enti in actu. Quod primus actus simplicitèr sit esse, patet tùm auctoritate libri de causis in principio, tùm quià esse quantum, præsupponit esse: similitèr esse quale, præsupponit esse, & sic de alijs.

Inconuenientia adducta à Caiet. in c. 7. de ente loc. cit. quæ sequuntur ad positionem Auer.

Sequuntur prætereà ad hanc positionem Auerrois multa inconuenientia: quod, scilicet, ens secundùm quid, præcedat esse simplicitèr, & quod ens per accidens sit priùs ente per se: & quod materia habet maiorem connexionem cùm forma alteriùs generis, quàm cum forma proprij generis, ex quo à qualibet forma substantiali est denudabilis, & non à qualibet forma accidentali: & quod substantiæ generabilis sint non solum tria, sed quatuor principia, scilicet, materia, forma, priuatio, & quantitas terminata: non enim potest fingi, quin sit principium saltèm per accidens, cùm sit coniuncta principio per se, sicuti de priuatione dicitur, & sic debuit connumerari ab Arist. Tenenda igitur est sententia S. Th. quod omne accidens est subiectiuè in ente, & actu, & per hoc differt à forma substantiali, quæ est subiectiuè in ente in pura potentia. Et vt concludit S. Doctor in fine art. 6. Vndè impossibile est, quod quæcumq; dispositiones accidentales præexistant in materia, antè formam substantialem, & per consequens neq; antè animam. Ità Caiet. cum D. Th. locis citatis, quæ rationes sunt in opusc. 32.

2. Concl. Caiet. cum D. Th. ex Arist. 7. q. 76. cit. cum sua probatione, & ratione, & auctoritate.

162. Secunda Conclusio Caiet. cùm D. Th. ex art. 7. q. 76. p. p: Anima, nec vlla forma substantialis vniri potest materiæ mediante aliquo corpore.

Probatur Conclusio à Caiet. sic cum D. Th. duplicitèr, & primo sic tali ratione. Forma se ipsa immediatè facit formalitèr: Compositum ex se, & materiam ens in actu, ergo, & vnum. Antecedens probatur quià forma per essentiam suam est actus, & consequentia probatur quià vnumquodq; eodem modo est ens, & vnum.

Secundo probatur auctoritate ex 8. Met. tex. 15. quià non est aliquid vniens nisi agens, quod facit materiam esse in actu ergo &c. Ità Caiet. cum D. Thoma loc. cit. art. 7.

Arguit Caiet. cum D. Th. art. 7. loc. cit. p. p. contrà 2. Concl.

Quo ad 4. Caiet. cùm D. Th. arguit immediatè contrà hanc secundam Conclusionem sic. Ea quæ sunt multum, distantia, non vniuntur nisi per medium: sed anima intellectiua distat à corpore, & quià est incorporea, & quià est incorruptibilis ergo videtur, quod vniatur ei mediante aliquo, quod sit corpus incorruptibile, & hoc videtur esse aliqua lux Cœlestis, quæ conciliat elementa, & redigit in vnum.

Resp. Caiet. cù D. Th. ad Arg.

163. Resp. Caiet. cùm D. Th. in Resp. ad 3. art. 7. q. 76. quod anima distat à corpore plurimum, si vtriusq; conditiones seorsim considerentur; vndè si vtrumq; ipso-

ipſorum ſeparatum eſſe haberet, opporteret quod multa media interuenirent. Sed in quantum anima eſt forma corporis, non habet eſſe ſeorſim à corporis eſſe: ſed per ſuum eſſe corpori immediatè vnitur; ſic enim, & quælibet forma, ſi conſideretur vt actus, habet magnam diſtantiam à materia, quæ eſt ens in potentia tantum. Ità Caiet. cum D.Th. loc. cit.

Arg. vnicum Caiet. cum duabus cauillationibus contrà rationem probatiuam D.Th prop Concluſione q.76.ar. 6. p. p. cit.

Arguit Caiet. in p. p. q.76. art. 6. contrà rationem D.Th. tali Cauillatione. Primo quantum ad ordinem dicendo, quod materia eſt primo in potentia ad eſſe ſubſtantiale primitate intentionis, non autèm primitate executionis quià primum in intentione eſt vltimum in executione, & ideò prius ordine generationis recipit diſpoſitiones accidentales, quam formam ſubſtantialem. Secundo contrà id quod dicitur pro ratione eiuſdem primæ Concluſionis, ſcilicet, conceſſo quod eſſe in actu ſit prius ordine generationis, non ſequitur, ergo eſſe datum à forma ſubſtantiali eſt prius ordine generationis, ſed quod eſt ſophiſma conſequentis, quoniam eſſe in actu commune eſt omnibus prædicamentis vt patet in 3.Phyſ. tex. 3. ac per hoc clauditur intrinſecè in eſſe accidentali, & conſequentèr faciendo eſſe quantum, aut quale ſit eſſe in actu. Et ſic nihil aliud concluditur ex hoc, quod eſſe eſt primus actus ordine generationis, niſi quod prius ſit in eſſe actu, quàm eſſe tale, quod ſaluatur etiàm in forma accidentali, quià dùm calor facit eſſe callidum, priùs natura dat ly eſſe, quàm ly callidum, non ergo ex hoc poteſt inferiori, ergo prius recipit formam ſubſtantialem.

Reſp. Caiet. ad duas cauillationes loc. cit.

164. Reſp. Caiet. ad has duas cauillationes ſimul. Ad hæc breuitèr, & ſimul dicitur quod ſermo præſens principalitèr eſt de ordine generationis, ità quod Materia eſt in potentia ad omnes actus ordine generationis, ac per hoc ad actum primum ex natura ſua ordine generationis, eſt primo ordine generationis in potentia, & conſequentèr priùs recipit illum ordine executionis. Quod autèm forma ſubſtantialis ſit prior accidente ordine generationis, probatur ſufficientèr in illa ratione allata pro prima Concluſione, ab effectibus earum formalibus, quià, ſcilicet, eſſe in actu, eſt priùs quàm eſſe tale, quod non ſolùm verificatur propterea, quià in quolibet eſſe, priùs intelligatur eſſe, quàm ſpecificatio eius, vt obijciendo tactum eſt, quod eſt extrà propoſitum, ſed neceſſariò eſt verum, & intentum in propoſito, propterea quià nulla res poteſt ſuſcipere eſſe tale, niſi prius natura de ipſa verificetur abſolutè quod habet eſſe. Impoſſibile eſt enim imaginari domum ſuſcipere eſſe album, aut pulchrum, niſi imaginemur, quod domus ipſa eſt abſolutè, ſeù ſinè additione aliqua. Si ergo materia ſecundum ſe nullum eſſe in actu habet, impoſſibile eſt imaginari quod ſit talis, ſi non prius natura de ea verificetur, quod habet eſſe abſolutè, & ſinè additione aliqua: ſed dare eſſe (ità quod ſinè additione aliqua verificetur de aliquo quod eſt) proprius effectus formæ ſubſtantialis, vt in præcedenti quæſtione declaratum eſt, ergo impoſſibile eſt materiam priùs recipere accidens, quod facit ſolum eſſe tale, quam formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimplicitèr ideſt ſine additione aliqua.

Non eſt ergo ſophiſma conſequentis arguere ex hoc quod eſſe ſimplicitèr, ideſt ſinè additione aliqua eſt primus actus ordine generationis ergo forma ſubſtantialis: quià hoc non clauditur intrinſecè in forma accidentali, ſed in ipſa forma ſubſtantiali tantùm, & ideò iſta eſt prior ordine generationis. Eſt autèm ratio apparentiæ in argumento, quià eſſe poteſt dici abſolutè dupliciter vno modo per abſtractionem alio modo vel ſimplicitèr, vel ſecundum quid; & hoc modo ſimplicitèr, dicimus, quod eſſe dicitur de eſſe in omnibus generibus, & ſic accipiebatur in arguendo, & hoc modo eſſe nec excludit, nec includit ſimplicitèr, aut ſecundum quid. Ità Caiet. art. 6. loc. cit.

Arguit

Ratio prima Auuerrois adducta à Caiet. in cap. 7. de ente, & essentia q. 16. contrà primam Conclusionem.

Arguit Caiet. in cap. 7. de ente, & essentia q. 16. ex ratione prima Auuerrois contrà primam Conclusionem sic. Dimensio interminata non est in materia coæua sibi ergo corpus fit ex non corpore, & dimensio ex non dimensione, & tunc vltimò loquitur Auuerrois ergo formæ corporales idest dimensiones sunt sibi inuicem contrariæ, & succedentes sibi inuicem in subiecto, sicut sibi inuicem succedunt formæ substantiales in eadem materia, consequens est impossibile, ergo à destructione consequenti, &c. impossibilitas consequentis patet ex eo, quod neque motus, neque mutatio aliqua est ad quantitatem interminatam: Augmentatio enim est ad quantitatem terminatam. Patet quoque ex eo, quod quantitati nihil est contrarium, vt dicitur in prædicamentis. Consequentia autèm probatur ex eo, quod omne, fit ex suo contrario, seù priuatiuè vt dicitur primo Phys. & quinto.

Resp. Caiet. ad primam rationē Auuerrois.

165. Resp. Caiet. ex prima adnotatione quod consequens primum suæ rationis habet multiplicem sensum, & quandoque verum, & quandoque falsum in ly ex. Peccatum ergo accidit in prima ratione Auuerrois, quià concessa prima consequentia pro quanto infert consequens in sensu vno non tenet secunda consequentia quæ supponit dimensiones fieri non concomitatiuè, & per accidens, sed determinatiuè. De illis enim, quæ fiunt vt termini mutationum, verificatur quod corrumpuntur à contrario, & quod succedunt sibi inuicem se mutuo expellentia; & non de illis, quæ fiunt consecutiuè, de quorum numero est quantitas interminata. Vide primam Adnotationem suprà. Ità Caiet. loc. cit.

Ratio secunda Auuerr. adducta à Caiet. loc. cit. de ente.

Arguit secundo Caiet. loc. cit. de ente &c. ratione secunda Auuerrois sic. Quantitas interminata non est in materia subiectiuè ergo forma non diuiditur per diuisionem subiecti, seù materiæ. Tenet consequentia quià forma recipitur in materia indiuisibili, cùm quantitate ponatur carere. Tunc vltra ergo forma recepta in materia nullam diuisionem habet. Tenet consequentia quià omnis diuisio formæ materialis præ exigit diuersitatem partium materiæ. Tuni vltrà ergo forma recepta in materia est æterna, & carens contrario. Tenet consequentia quià temporalitas formæ corruptibilitatem eius sequitur: corruptibilis autèm non est forma aliqua, nisi receptiuum eius habeat diuersas partes quarum alteram ipsa, alteram forma alia informet: cum opportet communicari in materia ea, qua inuicem corrumpuntur vt in primo de Gener. dicitur. Et tunc vltimo sequitur, quod nullam, nisi primam formam, materiam recipiat: opportet enim corruptionem vnius esse generationem alterius primo de Gener. & consequenter caret contrario.

Resp Caiet. ad secundam rationem Auuerr.

166. Resp. Caiet. loc. cit. ex secunda Adnotatione vndè patet responsio ad totum processum huius rationis: quoniam ruit, fundamento falso innitens: fundatur enim super hoc, quod in expositione nostra sequitur, formas non diuidi ad diuisionem subiecti, quod patet ex ipso non sequi. Vide secundam Adnotationem. Ità Caiet. loc. cit.

Ratio 3. Auuerrois adducta à Caiet. loc. cit. de ente.

Arguit tertio Caiet. loc cit. ex alia ratione Auuerrois. Quantitas interminata non est in materia, ergo materia non potest simul formas distinctas specie aut numero suscipere, consequens est falsum ad sensum, ergo &c. Consequentia probatur ex eo, quod diuersæ formæ non possunt simul recipi, nisi in diuersis partibus materiæ. Materiæ verò diuersis partibus caret, antè quantitatis receptionem: substantia siquidem exclusa quantitate indiuisibilis est, vt dicitur primo Phys. tex. 15.

Resp. Caiet. ad tertiā rationem Auuerrois.

Resp. Caiet. ex secunda sua Adnotatione quod si ly præ dicat ordinem temporis, duæ formæ verum est, quod præ exigant, materiam esse distinctam in plures partes immediatè antè illud instans, in quo illæ formæ inducuntur, non autèm, si ly præ dicat ordinem necessarium, ità quod necesse sit materiam, habere prius natura diuer-

sita-

ſitatem partium, in illo ergo, & pro illo inſtanti exigunt duæ formæ, diſtinctas partes materiæ, ſed non præexigunt. Vide Adnotationem ſecundam. Ità Caiet. c. 7. de ente loc. cit.

De iſtis dimenſionibus interminatis an præexiſtant vèl in actu, vel in potentia; & quando ſint in actu, vel in potentia; vel antè aduentum formæ ſubſtantialis, vel poſt aduentum eiuſdem formæ ordine naturæ, vel ordine temporis in materia prima, legas, nouitie Thomiſta, prætèr commentaria Caiet. in locis citatis, opuſculum 32. S. Doctoris, præcipuè caput ſextum vbi explicat, quid ſint in rei veritate dimenſiones interminatæ; & caput ſeptimum vbi manifeſtat clarius, quomodo dimenſiones poſſunt dici interminatæ, & quomodo eædem manent in generato, & corrupto. Et ſic intelliges cum vtroque Thoma principium vnum Thomiſticum ex vniuerſalibus datis in Doctrina peripatetica, & Thomiſtica à fundamentis. Legas ipſum attentè, & per extenſum ibi, &c.

QVÆSTIO XIV. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm eſſentia in rebus creatis diſtinguatur realitèr à ſuo eſſe

EX CAIETANO

Cap. 5. de ente, & eſſentia q. 11. & alibi in Commentarijs.

168. POſt explicationem cuiuſcumq; prædicati ſpectantis ad materiam primam Caiet. vt Tyrones Thomiſtæ penetrent clarius, quod ipſa eſt ità pura potentia, vt exiſtentiam totam mendicet à forma, mouet hanc quæſtionem in cap. 5. de ente, & eſſentia q. 11. Vtrùm eſſe actualis exiſtentiæ, & eſſentia realitèr diſtinguatur. Et in p. p. q. 3. art. 4. quærente S. Doctore. Vtrùm in Deo ſit idem eſſentia, & eſſe exponit Caiet. Titulum hoc modo. In Titulo ly eſſentia ſignificat puta naturam humanam, quæ per diffinitionem hominis importatur, quando homo diffinitur, ly eſſe importat ſignificatum per ly eſt ſecundum adiacens, cum dicimus Deus eſt, homo eſt, & ſimilitèr Bos eſt &c. Ly idem importat idemtitatem realem; ſicuti ly diſtinctum, diſtinctionem realem. Ità quod ſenſus eſt. An ſignificata, res per ly Deus, vel per ly homo, &c. ſit res ſignificata per ly eſt, cum dicitur Deus eſt, homo eſt. Et ſcito, quod iſta quæſtio eſt ſubtiliſſima, & propria antiquis Metaphyſicis, à modernulis autèm valdè aliena, quià tenet non ſolùm in Deo, ſed in omni re eſſentiam idemtificari exiſtentiæ illius, ſit ergo noſtra hæc quæſtio, ad alios autèm eſt quæſtio ſpecialis de diſtinctione ab eſſentia ipſius eſſe vniuerſalitèr in q. 11. cit. de ente, & eſſentia. Ità Caiet. *Aperitur à Caiet. ſtatus controuerſiæ Tyronibus Thomiſtis in p. p. q. 3. art. 4.*

169. Adnotat Caiet. in eodem art. quarto q. 3. p. p. in Reſp. ad ſecundum vbi S. Doctor notat, quod eſſe dicitur duplicitèr vno modo ſignificat actum eſſendi, alio modo ſignificat cōpoſitionem propoſitionis, quam anima adinuenit coniungens prædicatum cum ſubiecto. Primo igitur modo accipiendo eſſe non poſſumus ſcire eſſe Dei, ſicuti nec eius eſſentiam, ſed ſolum ſecundo modo. Scimus enim quod hæc pro- *Prima Doctrina Caiet. ex p. p. q. 3. ar. 4 in Reſp. ad ſecundum D. Th. vbi ex ide m-*

titate esse Dei declaratur distinctio realis ipsi esse in creaturis.

propositio, quam formamus de Deo, cùm dicimus, Deus est, vera est, & hoc scimus ex eius effectibus. Caiet. circà hanc doctrinam D. Th. ait, videtur implicare duo contraria: si enim scimus, quod hæc propositio est vera, Deus est, ergo cognoscimus ità esse in re, quod Deus est, hoc autèm est cognoscere quod in ipso Deo est, ergo &c. Ad hoc dubium quod in 2. post. cap. p. diffusè tractauimus, & Scotus in p. sent. dist. 3. quæst. prima affert reprehendendo D. Th. breuitèr scito, quod hæc Responsio est optima, & singularis de Deo, in hoc enim differt esse Dei à reliquorum entium esse, quod esse Dei est quod quid est ipsius Dei, vt hic determinatur. Ità quod hæc propositio, Deus est, est in primo modo dicendi per se, esse autèm cæterorum non sic se habet, sed distinguitur à quidditatibus eorum. Et ex hoc nascitur, quod esse Dei secundum se, & absolutè est proprius terminus quæstionis quid est, & est terminus quæstionis an est secundùm quid idest vt fundat veritatem propositionis; esse verò aliorum non spectat ad quæstionem quid est, quià non est prædicatum primi modi, vt patet inductiuè, homo est, Cœlum est, &c. Sed secundum se, & simpliciter spectat ad quæstionem an est. Et propterea cùm de alijs scimus quæstionem an est; dicimur scire esse, quod significat veritatem propositionis, & esse ipsius rei, quià scitur secundum proprium modum, quo scibile est; Cùm autèm de Deo scimus an est, dicimur scire esse, quod significat veritatem propositionis, & non scire esse Dei, non quod terminus vltimus cognitionis nostræ, sit esse propositionis, vt obiectio intellexit, quoniàm terminus est esse Dei non absolutè, sed vt respondet veritati propositionis, & quià per hanc cognitionem non cognoscitur esse Dei propria quæstione, quæ est secundum se cognoscibile, quià non scitur per quid. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina secunda Caiet. ex 3. p. q. 17. art. 2. ex qua habetur quod partes vnica existentia indiuisibili, realitèr distincta ab ipsis existunt in composito.

170. Adnotat secundo Caiet. in 3. p. q. 17. art. 2. circà finem Comment. respondendo ad hoc Enthymema Scoti, scilicet, Humanitas Christi est extrà suam causam ergo habet necessariò propriam existentiam, &c. Dicit Caiet. quod consequentia nihil valet, quià esse actualis existentiæ realitèr distinguitur ab esse essentiæ, seù quidditatiuo. Et diuina præuentione factum est, vt humanitas Christi extrà causam suam actu sit per existentiam Verbi, & non per propriam. Vbi aduerte pro clariori intellectu, quod non est imaginandum, vt isti putant, quod additio partis ad personam, sit veluti additio quanti ad quantum siuè per modum continuationis, puta cùm aqua aquæ continuatur, vbi ex duabus quantitatibus partialibus fit vna totalis quantitas patialitèr inhærens partibus totius aquæ, siuè per modum generationis, puta cùm Alimentum auget hominem, quià alitur ex illo, vbi non remanet quantitas cibi posquàm alentis, sed sic adiungitur alito, vt subinducat quantitatem ipsius, qui alitur, anima extendente illam, vt in secundo de Anima dicitur. Nàm si oculus adueniret de nouo forti, neque existentiam propriam partialem adiùngeret existentiæ fortis, cùm existentia fortis sit indiuisibilis, non extensa per se, aut per accidens, quià de genere immateriali, vt potè propria animæ intellectiuæ, quæ inextensa est omninò in corpore. Nec adueniens oculus subinduceret existentiam forti, tanquam formam ad se extensam per inhæsionem sibi, ità quod existentia fortis inciperet inhærere oculo nouo, quoniam huiusmodi inhæsio non debetur parti, sed sufficientèr prouisum est parti de existentia in hoc ipso, quod est pars personæ existentis. Nec videtur etiàm intelligibile, quod secus possit esse, quomodo namque existentia indiuisibilis propria alicui, intelligetur actuare quantum aliquod, seù etiàm non quantum adiunctum, nisi mediante illo, cui est propria? Et quià idem est iudicium de oculo adueniente de nouo, & oculo congenito, & de hac, & reliquis partibus; Ideò humanitas Christi, quæ est quasi pars quædam personæ Verbi (quià ad personali-

nali-

ralitatem propriam Verbi assumpta est) inuenitur sufficienter posita extrà causam sui am existens absque propria existentia, & absque hoc, quod actuetur per informationem inhæsiuam ab existentia Verbi: sibi enim non debetur existentia nisi per personam, cuius est. Ità Caiet. loc. cit.

171. Quo ad secundum Scotus in 3. sent. dist. 6. q. 3. opinatur esse actualis existentiæ, & essentiam rei esse idem realitèr: licet distinguantur ex natura rei, sicuti modus intrinsecus, & quidditas cuius est; sicuti nec albedo distinguitur à suo modo intrinseco, gradu, vt tria, vel quattuor. Ad probandum autem hoc licet possent adduci rationes Scoti: quià tamen vnionem naturæ humanæ cum supposito Diuino concernunt, decem rationes adductas ab Antonio Trombeta in quolibet suo recitandas censui. Opinio S. Th. ab eo posita in 2. cont. gent. cap. 52. est, quod in omni creatura, quidditas, & eius esse actualis existentiæ distinguitur realitèr, & licet hæc Conclusio probatur à D. Th. in textu cap. 5. de ente, & essentia, attamen ad pleniorem declarationem deducam tres probationes ex S. Th. ibi. Ità Caiet. loc. cit. de ente.

Opinio Scoti, & D.Th. opposita recitata à Caiet. in c. 5. de ente, & essentia q. 11.

172. Quo ad tertium Conclusio Caiet. Responsiua quæsiti est hæc. Omnis quidditas creata distinguitur realitèr ab esse actuali suæ existentiæ. Hæc Conclusio est ab antiquis deriuata, Platone, scilicet, Alpharabio, Auicenna, Algazela, Boetio, Hilario, Alberto, & eorum sequacibus, licet ab Arist. nil manifesti in hac re habeamus. Ità Caiet.

Conclusio vnica Caiet. ex cap. 5. loc. cit. de ente, quæ videtur esse eadem antiquorum, &c.

Probatur primo à Caietano sic. Omnis essentia creata habet aliquid sibi realitèr coniunctum, præter suum esse: nullum esse irreceptum habet aliquid sibi annexum præter se: ergo nullum esse irreceptum est essentia creaturæ, & consequentèr esse, & essentia non sunt idem: esset enim ipsum esse irreceptum, si esset idem essentiæ, sicuti & ipsa essentia irrecepta est, de substantijs loquendo. Maior est nota per se; Socrates enim præter suum esse habet quantitatem albedinem, & similia: similitèr substantiæ separatæ, vt nunc supponimus habent aliquod accidens puta actum intelligendi saltèm. Minor verò declaratur ex eo quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: sed præcisa causa, quare esse habeat aliquid prætèr se annexum, est, quià est esse receptum in alio, in quo potest recipi aliud, quod patet ex hoc, quod esse substantiale Socratis, & esse album eiusdem nulla alia ratione adunatur, nisi quià vtrumque recipitur in Socrate: sunt enim vnum tantùm subiecto. Cum ergo esse non erit receptum, non remanebit aliquis modus, quo potest habere aliquid sibi annexum.

Probatio Conclusiones quæ est prima ratio D. Th. formalizata à Caiet. loc. cit. c. 5. de ente.

173. Confirmatur hoc, quià esse substantiale Socratis, aut adunatur cum alijs prætèr se identicè, & hoc est manifestè falsum: esse enim substantiale Socratis non est esse album. Aut sicuti potentia, & actus: ità quod esse substantiale sit potentia, & accidentale actus eius, & hoc non, quià nullum esse actualis existentiæ potest poni subiectum alterius, cùm sit vltima virtualitas. Remanet igitur quod ea ratione adunentur, quià ambo recipiuntur in tertio: & ideò sublato hoc ab ipso esse actualis existentiæ, quod, scilicet, sit receptum, aufertur etiàm, quod possit habere aliquid sibi annexum, & hoc est, quod Boetius dicit in hebdomadibus; quod ipsum quod est aliquid, habet sibi prætèr se coniunctum: ipsum verò esse, nihil.

Confirmatio Caiet. pro prædicta prima ratione D. Th.

Secundo probatur à Caietano sic. Ad idem. Omne esse irreceptum est infinitum simplicitèr: nullum esse creaturæ est infinitum simplicitèr: ergo nullum esse creaturæ est esse irreceptum ergo distinguitur ab essentia, &c. Minor est per se nota. Maior probatur sic. Omne purum esse est infinitum simplicitèr: omne esse irreceptum est purum esse; ergo omne esse irreceptum est infinitum simplicitèr. Maior est nota ex

Secunda ratio D. Th. formalizata à Caiet. in c. 5. loc. cit.

ta ex terminis: esse enim ideò est limitatum, quià non est purum, sed mixtum prædicamentis: esse enim limitatur per naturas prædicamentales; à quibus si depuretur, omni finitate carens infinitum omninò restabit. Minor etiàm patet ex præcedenti ratione, & ex ratione facta suprà in textu.

Exemplificatur 2. ratio exemplo Albedinis.

Et adhuc exemplaritèr declaratur. Albedo si ponatur non recepta in aliquo, est pura Albedo, & nihil haberet nisi se tantùm, & esset infinita in specie albedinis, vt de se clarum est: non enim potest à sano intellectu imaginari albedo separata definita ad aliquem modum albedinis: omne enim quod est per se tale, habet omnem perfectionem possibilem illi naturæ: sicuti homo separatus apud Platonem, habet omnem perfectionem possibilem naturæ humanæ.

Instantia Scoti contrà exemplũ.

Nec valet id quod ex Scoto adducit Trombeta, quod si albedo esset separata, & haberet omnem perfectionem possibilem tali speciei, sequeretur quod albedo esset infinita simplicitèr: quià haberet perfectionem infinitorum indiuiduorum possibilium esse sub specie albedinis.

Resp. Caiet. ad Instantiam Scoti loc. cit. c. 5.

Hoc, inquam, nihil valet, quoniam sicuti infinita indiuidua albedinis, etiàm simul posita non sunt perfectionis infinitæ simplicitèr, cùm sint limitata ad speciem albedinis; ità nec albedo separata eorum perfectiones habens erit simplicitèr, &c. Sed in tali specie. Ità Caiet. loc. cit.

Tertia Ratio pro Conclus. formalizata à Caiet. loc. cit. c. 5. de ente.

174. Tertio probatur à Caiet. sic. Id quod conuenit naturæ specificæ absque omni causa effectiua distinguitur realitèr ab eo, quod conuenit illi non nisi per aliquam causam effectiuam: sed prædicata quidditatiua conueniunt rei absque omni causa effectiua: existentiam autèm non conuenit rei, nisi per aliquod efficiens: ergo prædicata quidditatiua, & existentia ipsius rei distinguuntur realitèr. Maior est per se nota. Minor etiàm quo ad secundam partem est clarissima: quo ad primam verò declaratur sic. Seclusa omni causalitate effectiua respectu rosæ, quæro an ista sit vera. Rosa est substantia corporea, si sic, habeo intentum; si non, ergo Rosa absolutè sumpta non est in prato: & prædicata primi modi possunt intellig non ad esse rei, & diffinitio separatur à diffinito, quæ omnia non sunt imaginabilia, &c. Ita Caiet. loc. cit. de ente.

Arg. vnicum Caiet contrà Conclusionem nostram in p. p. q. 3. art. 5. & contra D. Th.

175. Quo ad quartum Aurguit Caiet. in p. p. q. 3. art. 5. Malè S. Doctor infert ex hoc antecedenti, scilicet, *Omnia directè in genere communicant in essentia, & differunt in esse*, hanc consequentiam, scilicet, ergo *habens essentiam distinctam realitèr ab esse*. Probatur assumptum primo sic quià æquiuocè sumitur ly esse: in antecedenti enim sermo est de esse specifico, ad quod differentia distinguens genus conducit: in consequenti autem est sermo de esse actualis existentiæ, quod ab essentia distingui infertur. Probatur secundo quià ex distinctione intèr principium conuenientiæ, & principium differentiæ in antecedenti assumpta, non potest inferri maior distinctio, quàm formalis: essentia namque generis, in qua species conueniunt, & esse specificum, quo qualibet species ab altera differt non realitèr, sed formalitèr tantùm differunt, & tamen infertur à D. Th. distinctio realis intèr essentiam, & esse, igitur processus D. Th. est malus.

Resp. Caiet. ad primã probationem assumpti in Arg. ibidem loc. cit.

176. Resp. Caiet. loc. cit. valdè diffusè dictum est in c. 6. de ente, & essentia vbi hanc rationem S. Thomas facit, & propterea nunc breuitèr dicitur, quod in antecedente sumitur esse, & pro esse specifico, & actualis existentiæ, quoniàm de vtroque verificatur imò verificatio vnius infert verificationem alterius, quoniàm ideò differentia dicitur conducere ad esse, quià constituit proprium receptiuum ipsius esse actualis existentiæ, vt ibi declaratum est, & suprà Porphyrium, nulla ergo est æquiuocatio.

Ad

Ad secundam probationem licet ex hoc quod aliquæ duæ rationes formales sic distinguuntur, quod altera sit principium formale conuenientiæ, & altera sit principium formale differentiæ, non possit simplicitèr inferri distinctio realis intèr eas alioquin omne genus realitèr opporteret distingui à suis differentijs: attamèn gratia materiæ, de qua est sermo, scilicet, essentiæ, & esse, optimè potest inferri distinctio realis esse ab essentia, ex distinctione absolutè intèr gènus, & esse, in quo distinguitur species, & ratio est, quià ista duo mutuo se consequuntur: Existentia distinguitur formalitèr à quidditate, & existentia distinguitur realitèr à quidditate, vt ibidem declarauimus, ideò vide ibi &c. Ità Ciet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad secundam probationem assumpti in Argumento.*

Arguit primo Caiet. ex Antonio Trombeta in cap. 5. de ente, & essentia q. 11. contrà fundamentum D. Th. sic. Manente eadem ratione manet idem effectus: sed tota ratio, quarè ponitur ab istis essentiam differre ab esse est proptèr differentiam essentiæ ad esse, & non esse: nàm vt dicunt lapis est in potentia vt sit, & non sit: ergo vbi talis indifferentia inuenitur, ibi ponenda est talis distinctio: sed ità est, quod est consimilis indifferentia esse ad esse, & non esse (esse enim rosæ in hyeme non est, in verè autèm est) consimilis etiàm indifferentia est essentiæ ad essentiam, & non ad essentiam. Essentia namq; Creaturæ ab æterno non est: ergo esse differt realitèr ab esse, & essentia differt ab essentia, quod est ridiculum. *Arg. primum Caiet. ex Antonio Trombeta contrà Conclusionem in c. 5. de ente, & essentia q. 11.*

177. Resp. Caiet. loc. cit. præmittendo, quod arguens non vidit S. Th. in fonte: vt enim apparet ex 2. cont. gent. vbi ex intentione septem rationibus fundat suam opinionem, seù positionem: Ratio assumpta ab arguente non nominatur intèr illas: vndè peccauit imponendo nobis hoc esse totum fundamentum positionis nostræ, licet illa ratio ex dictis S. Th. p. sent. dist. 8. q. 4. art. 2. elici possit, vbi tamèn de hac re non tractat. Illa ratio est sic formanda. Essentia particularitèr sumpta est indifferens ad esse, & non esse, ergo distinguitur realitèr à suo esse. Nec valet responsio sua dicens, quod in antecedenti opportet addere, quod essentia habeat propriam realitatem aliam à realitate existentiæ, quià hoc est voluntarium. Distinctio enim realis est intèr formam, & materiam, quas Philosophi non dubitant habere eamdem realitatem existentiæ, cùm ex eis ponant vnum per se fieri. *Resp. Caiet. ad 1. Argum. Ant. Trombetæ ibidē loc. cit. de ente.*

Ad Argumentum ergo contrà hanc rationem factum dicitur, quod falsum est, quod esse sit indifferens ad esse, & non esse, & essentia ad essentiam, & non essentiam: nihil enim est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat in sua diffinitione: constat autèm quod esse est de intellectu esse, & essentia de intellectu essentiæ. Quod autèm esse Rosæ in hyeme non sit, sed in Vere: hoc ideò est, quià essentia Rosæ, cui semper sua prædicata quidditatiua ad sunt ad actum essendi non peruenit: & non ideò, quià ipsum esse sit indifferens. Cùm autèm addit, quod essentia est indifferens ad essentiam, & non essentiam, quià non est ab æterno, non videtur intelligere vocem propriam: ex negatione enim actus essendi ab æterno, benè sequitur, quod Rosa sit indifferens ad Rosam, & non Rosam: vt enim dicunt Alpharabius, Auicenna, Algazel, & Albertus, siuè Rosa sit, siuè non sit, sempèr est Rosa, & sempèr est substantia corporea &c. si aliquo termino mensuræ in his vti licet. Ità Caiet. *Resp. Caiet. in forma ad rationes Arg. eiusdē.*

Arguit 2. Caiet. ex Trombeta ibidem sic. Quandocumq; sunt aliqua duo essentialiter ordinata, & realitèr distincta, priùs potest sinè contradictione fieri absque posteriori: sed essentia non potest fieri sinè existentia ergo. Minor patet, quià essentia particularis, quæ sola sit, necessariò est existens. *Arg. 2. Caiet. ex Trombeta ibidem de ente.*

Resp. Caiet. negatur vtraq; præmissa, & Maior quidem supposita ostensa est esse falsam. Minor verò ostenditur in Christo, in quo humanitas absq; creata existentia actuali est. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad 2. Argum.*

Arg. 3. Caiet. ex Trombeta. Arguit 3. Caiet. ex eodem Tromb. Quæcumq; distinguuntur realitèr se habent sicut res, & res: sed essentia, & existentia non se habent sic ergo &c. Patet ista; quià res propriè loquendo conuertitur cum ente in actu actualitate existentiæ.

Resp. Caiet. ad Tertium. 179. Resp. Caiet. negatur Maior ad intellectum arguentis: non enim requiritur ad distinctionem realem, quod vtrumq; eorum habeat propriam existentiam. Ità Caiet.

Arg. 4. Caiet. ex Trombeta. Arguit 4. Caiet. Nulla res componit cum sua realitate: ergo nulla quidditas differt realitèr à sua existentia. Tenet consequentia qua existentia est ipsa realitas rei: nihil enim aliud est dicere rem esse realitèr, quàm existere, & è conuerso. Antecedens est de se notum: ridiculum est enim dicere, quod aliquid componat cum sua realitate.

Resp. Caiet. ad quartum Arg. 180. Resp. Caiet. dicitur quod sicuti esse est duplex, scilicet, existentiæ, & essentiæ; ità duplex est realitas essentiæ, & existentiæ, & licet nulla res componat cùm sua realitate, cùm hoc tamen stat, quod componat cùm realitate existentiæ: vndè essentia hominis absolutè in reali prædicamento, scilicet, substantiæ reponitur: posteà autèm in rerum natura fit realis realitate existentiæ. Ità Caiet.

Arg. 5. Caiet. ex Tromb. ibidem de ente. Arguit quinto Caiet. ex eodem Tromb. Homo verus non componit cum sua veritate nec homo affirmans cùm sua affirmatione: ergo quidditas non componit cum sua existentia. Consequentia patet ex eo, quod rei existentia nil aliud est, quàm positio veritatis, & affirmatio huius. Antecedentis autèm oppositum non videtur bene intelligibile.

Resp. Caiet. ad quintum Arg. 181. Resp. Caiet. dicitur eodem modo: quià etiàm verum conuertitur cum ente, & re: vndè simplicitèr homo duplicitèr est verus, scilicet, veritate essentiæ, & existentiæ. Homo verus veritate essentiæ non componit cùm tali veritate, quæ nihil aliud est quàm conformitas fundamentalis ad sua prædicata essentialia quidditatiuè: componit autèm cùm sua veritate existentiæ idest cum esse, quod fundat hanc veritatem, Homo est, similitèr dicitur de affirmatione. Ità Caiet.

Arg. 6. Caiet. ex Tromb. ibidē loc. cit. Arguit sexto Caiet. ex eodem Tromb. Existentia, & essentia habent idem contradictorium ergo non distinguuntur realitèr. Consequentia est nota; Antecedens verò manifestatur ex eo quod nihil est quod priuet esse, quin priuet essentia; nec est aliud nihil priuans esse, & aliud nihil priuans essentia.

Resp. Caiet. ad sextum. 182. Resp. Caiet. negatur antecedens, cuius probationis vtrumque assumptum est falsum. Cùm enim quot modis vtrumq; oppositorum dicitur, tot dicatur, & reliquum in primo Topic. sicuti ens dicitur duplicitèr, scilicet, ens quidditatiuum, & existentiæ: ità non ens, seù nihil dicitur duplicitèr, scilicet, nihil quidditatiuè, & nihil existentèr: Homo enim absolutè sumptus cùm sit in prædicamento substantiæ est ens quidditatiuè, non tamèn extrà nihil oppositum actuali existentiæ; & ideò aliud est nihil oppositum enti prædicamentali seù essentiæ, & aliud quod opponitur existentiæ actuali, &c. Et similitèr alia est negatio essentiæ, & alia est negatio existentiæ. Ità Caiet.

Arg. 7. Caiet. ex Trombeta ibidem loc. cit. Arguit septimo Caiet. ex eodem Tromb. Homo in potentia non componit cùm homine in actu ergo essentia, & existentia non componunt, & consequentèr non realitèr distinguuntur. Consequentia relinquitur per se nota, quià essentia est in potentia, existentia verò est eius actualitas. Antecedens verò patet ex eo quod actus, & potentia diuidunt ens, vt conditio diminuens, & perficiens, sicuti verum, & pictum diuidunt animal, vt Commentator dicit 9. Met. comment. 7. Homo ergo in potentia cùm non sit homo simplicitèr; cùm fit homo in actu solam conditionem distrahentem perdit positam sub conditione perficiente; & sic nullam compositionem habet cùm homine in actu. Ità Caiet.

Arguit

Arguit octauo Caiet. ex eodem Tromb. Esse existentiæ si est distinctum realitèr à quidditate non est substantia, nec accidens, ergo &c. Probatur antecedens: quod enim non sit accidens, vt concessum ponatur, quod autèm non sit substantia probatur quià aut est materia, aut forma, aut compositum: nullum istorum est apud D. Th. ergo &c. *Arg. 8. Caiet. ex Trombeta loc. cit.*

183 Resp. Caiet. ad septimum negatur consequentia non enim idem est dicere, Homo in potentia componit cùm homine in actu; & essentia componit cum existentia; prima enim est falsa: quià idem non componit cùm se ipso; Secunda autèm est vera, quià extrema realitèr distinguuntur; vndè non est eadem proportio existentiæ ad essentiam, & hominis in actu ad hominem in potentia. Intèr prima enim est proportio potentiæ receptiuæ ad actum, & distinctio realis vtroque extremo posito extrà causas suas: intèr secunda verò non: sed est proportio eiusdem ad se ipsum secundùm diuersas sui dispositiones simul incompossibiles, scilicet, esse in potentia, & esse in actu. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad septimum.*

Resp. Caiet. ad octauum negatur antecedens. Existentia enim substantiæ est substantia, & existentia accidentis est accidens, & vt suprà patet, existentia substantiæ non est materia, nec forma, nec compositum, sed actualitas omnium eorum, & sic est reductiuè in genere substantiæ. *Resp. Caiet. ad 8.*

Sed contrà hoc instat arguens sic. Omne quod est reductiuè in genere, reponitur vt principium ipsius: sed esse non est principium substantiæ: ergo non est in genere substantiæ reductiuè. *Instantia Tròb. ad Resp. Caiet.*

184. Resp. Caiet. ad hoc dicitur, quod cùm esse sit vltima actualitas rei, & vltimum in generatione sit primum in intentione: esse in genere substantiæ est principium formale vltimatum ipsius substantiæ: per hoc enim res respondetur in genere substantiæ, quià est capax esse substantialis: etenim differentiæ in omnibus generibus, vt alibi declarabitur, sumuntur ab ordine ad ipsum esse. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad Instantiam.*

Arguit nono Caiet. ex eodem Tromb. Existentia, & essentia per se distinguuntur realitèr ergo in qualibet generatione substantiali sunt duo termini totales, & duo termini formales: consequens est impossibile, ergo &c. Consequentia probatur quo ad vtramq; partem supponendo duo. Primum est quod compositum per se vnum fit ex per se actu, & ex per se potentia ex 8. Met. vbi nullam causam nouit Arist. quare compositum substantiale est per se vnum, nisi quià materia est per se potentia, forma verò est per se actus. Secundo supponitur, quod essentia est per se potentia, existentia verò est per se actus, ex quibus concluditur quod id quod resultat ex esse, & essentia est per se vnum: quo dato sequitur, quod erunt duo composita per se vnitatem habentia, quorum alterum erit compositum ex materia, & forma, alterum ex esse, & essentia, & cum vnumquodque per se vnum natum sit terminare generationem: ergo in generatione erunt duo termini totales, & sic patet prima pars. Erunt etiàm duo termini formales, scilicet, existentia, & forma substantialis, quod sic probatur. Terminus formalis generationis est id, quo aliquid generatur, sed tàm existentia quàm forma est id, quo aliquid generatur, ergo &c. Minor probatur sic. Eo modo quo aliquid est ratio essendi, est ratio generandi: sed existentia est ratio essendi ergo est ratio generandi. Vel formetur sic ratio. Eo modo quo aliquid generatur, eo modo est: sed per se ipsum compositum non generatur per esse sic, quod esse sit terminus generationis, ergo non habet esse per ipsum esse. Consequens est falsum, ergo altera præmissarum: non maior, ergo minor. *Arg. 9. Caiet. ex Tromb. loc. cit.*

Arguit vltimo Caiet. ex eodem Trombeta. Ex existentia, & essentia fit per se vnum ergo datur processus in infinitum in essentijs, consequens est impossibile, *Arg. 10. Caiet. ex Tromb. loc. cit.*

ergo

ergo &c. Antecedens patet ex præcedenti ratione, & probatur sic. Nàm sicuti ex materia, & forma resultat tertium per se vnum, quià illa est per se potentia, hæc per se actus: ità ex existentia, & essentia, cùm etiàm existentia sit per se actus, & essentia per se potentia: eadem enim ratio est. Consequentia autèm probatur quià si ex esse, & essentia fit per se vnum tertium, cùm illud iterùm distinguatur à sua existentia componet cum ea, & ex eis fiet aliquod per se vnum, & iterum arguitur eodem modo de illo, & sic in infinitum. Ità Caiet. in cap. 5. loc. cit. de ente, & essentia quæstione 11.

Resp. Caiet. ad Nonum.

185. Resp. Caiet. ad 9. negatur consequentia. Ad cuius probationem dicitur, quod primum suppositum malè intellectum adducitur, eo quod Arist. 5. Met. Comment. 15. quem arguens adducit; non dicit quod ex per se potentia, & per se actu resultet vnum tertium: sed ideò quod habens res partes, est vna, quià altera est actus, altera verò potentia, & intelligendum est, vt suprà declaratum fuit, si ad compositionem realem referatur, scilicet, quod altera pars sit pura potentia, eo quod ex duobus actibus non fit tertium per se vnum: modo quidditas rei, & existentia eius non se habent sicuti pura potentia, & actus, nec sunt partes, vt patet; vndè auctoritas illa non est ad propositum, relinquitur ergo falsum esse, quod ex essentia, & existentia fiat tertium per se vnum, & consequentèr probatio consequentiæ, quo ad primam partem nihil valet, quià ibi non sunt duo composita.

Resp. Caiet. ad probationem.

Ad probationem verò consequentiæ quo ad secundam partem dicitur, quod non inconuenit, generationem habere duos terminos formales difformitèr, vnum primò, alterum secundariò; Terminus generationis primus formalis, est forma; secundarius autèm ipsum esse; sicut per oppositum creationis terminus formalis primò est esse: secundarius verò forma, & hoc modo conceduntur Argumenta.

Resp. Caiet. ad alias rationes in Argum. factas.

186. Quod si intendat probare, quod esse sit terminus generationis. 1. Resp. & dicitur, quod id, quod assumit, scilicet, eo modo quo aliquid est ratio essendi, est ratio generandi, falsum est: licet enim sit verum quod id, quod est ratio essendi, sit ratio rei, quod generetur: non tamèn est verum, quod eo modo quo est ratio essendi sit ratio generandi, & ratio est: quià res per generationem non erit de non esse omninò ad esse, sed de priuatione ad formam, vt dicitur in hoc 1. Phys. Creationis enim est proprium, vt res transferat de non esse omninò ad esse, quo fit vt esse, quod est primò ratio essendi meritò fit, & primo, ideò ipsius primæ productionis, quæ est Creatio; & forma, quæ est secundariò ratio essendi, fit prima ratio secundæ productionis, scilicet, generationis; vndè, & in hoc 1. Phys. principia generationis ponuntur forma, & priuatio. Per idem patet ad aliam formam eiusdem rationis: falsa est enim Maior, alius namq; est modus, quo res generatur; & alius, quo est vt respondeetur suprà ad probationem consequentiæ &c. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad vltimum Argu.

187. Resp. Caiet. ad 10. patet Resp. ex dictis falsum est enim antecedens. Ità Caiet. in Resp. ad Argumenta Trombetæ c. 5. de ente loc. cit.

QVAE-

QVÆSTIO XV. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm formæ substantialis, & ipsius compositi naturalis sit vnum, & idem esse

EX CAIETANO

Cap. 5. de ente, & essentia post q. 11. in fine cap. & alibi in Commentarijs.

188. CAiet. in p. p. q. 76. art. 3. ait si in omni re citrà Deum, vt probatum est in præcedenti quæstione, existentia distinguitur realitèr ab essentia, ipsa vtiq; necessariò est simplex: sed quià Scotus fingit se non intelligere propositionem D. Th. quando loc. cit. dicit quod vnitas simplicitèr est ab vnitate formæ, & quod ab eodem res habet esse, & vnitatem, opportet igitur contrà ipsum statuere hanc controuersiam. Et esto S. Doctor in illa propositione loquatur de vnitate entis simplicitèr, quod primo attenditur penes essentiæ, & quod quid erat esse vnitatem: Vnitas tamèn esse actualis existentiæ, & essentiæ se consequuntur; vt de facto in art. 1. eiusdem quæstionis citatæ in Resp. ad quintum apertè dicit quod esse Animæ intellectiuæ est ipsum esse compositi, & quod hoc non conuenit alijs formis. Et in 3. p. q. 17. art. 2. quærendo de tali composito Christi Domini confirmat, quod in Christo sit tantum vnum esse existentiæ. Controuersia igitur est contrà Scotum, qui semper negat vnicum hoc esse indiuisibile in toto composito quo existunt partes &c. vt nos diffusè, ait Caiet. in nostris Commentarijs in fine textus cap. 5. post quæstionem 11. disputamus contrà ipsum (cùm D. Th. tenente vnam tantum formam substantialem in composito) àn etiàm in omni composito non inueniatur nisi vnum esse substantiale actualis existentiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Aperitur à Caiet. status Controuersiæ ex varijs locis in suis Comment. cit.

189. Adnotat primo Caiet. in c. 5. de ente loc. cit. quod intèr esse hominis, & esse aliorum diuersitas est, quod licet tàm esse hominis, quàm aliorum primo sit actus suppositi vt quod: in homine tamèn totum compositum mendicat illud esse à forma, cuius est primo actus, vt proprij, & completi principij: in alijs verò compositis forma mendicat illud à composito. Et est ratio disparitatis, quià in solo homine, qui supremum tenet locum intèr sensibilia, ordo inferior, scilicet, sensibilis trahitur ad ordinem superiorem intelligibilem, & immaterialem. Vndè esse hominis, cùm ab anima intellectiua fluat immateriale, & altioris ordinis, quàm homo, sicuti, & ipsa anima; & ideò homo mendicat illud ab anima, cui est proprium, vtpotè pertinens ad suum genus: & indè est, quod post mortem hominis anima remanet: esse etenim proprium est independens à composito corrupto, & sic illud retrahendo ad se, subsistit. Cæterorum verò esse, cùm sint eiusdem ordinis, cùm compositis, quibus attribuuntur, sicuti, & formæ à quibus fluunt, formæ ipsæ mendicant à compositis, sicut, & fieri; ità quod tamdiù illo gaudeant, quamdiù in compositis sunt: vndè corruptis compositis, ipsæ cum sine existentia remanere non possint, desinunt statim. Ità Caiet. loc. cit. de ente.

Doct. 1. Caiet. in cap. 5. de ente loc. cit. quod non consideratur idē esse eodem modo in compositis.

190. Adnotat 2. Caiet. in 3. p. q. 17. art. 2. vbi S. Doctor quærit. Vtrùm in Christo sit tantùm vnum esse, ait, vt solidum fundamentum D. Th. fabricemus, dicimus, quod esse actualis existentiæ, de quo est sermo, est actualitas naturæ cuiuscumq;

Doctr. 2. Caiet. ex 3. p. q. 17. art. 2. quomodo exi-

stentia Christi cōsideretur in supposito, seu persona Christi.

cumq; creatæ; cùm tamèn exactè discernitur persona à natura, dicimus cùm D. Th. quod esse est actus naturæ, vt principij quo; personæ autèm vt subiecti, seù quod habet ipsum esse, ità quod natura est principium immediatum quo ipsius esse, sed non est receptiuum immediatum ipsius esse, sed mediante persona, ità quod opportet naturam personari ad hoc, vt ab ea principietur actualitèr ipsum esse, non ex defectu naturæ principiantis vt quo, sed quià deficeret susceptiuum primum ipsius esse, si non esset personata: persona enim est, cui primo conuenit esse, vt subiecto, seù quod habet esse, seù quod est. Et si his adiunxeris, quod natura nunquam est, quod est, sed semper est quo est, inuenitur siquidèm natura existens, non vt quæ existit, sed vt qua aliquis existit, perspicies duo: Primum, quod ad hoc quod natura existat, non exigitur quod ipsa actuetur per existentiam, vt subiectum actuatur per formam in eo, sed sufficit quod ipsa sit, qua aliquis existit. Nec mirum est scientibus, quod non omnia vno eodemq; modo sunt sed sic est vnicuiq; entium esse modo sibi conuenienti, sunt enim multi essendi modi. Et naturis quidem, ac formis consortius essendi modus est, non vt sint tanquam quod est, sed vt sint tanquàm quo est, nec plus eis deletur, sicut apud Peripat. principium est indubitatum, quod formæ sunt, & non sunt absq; sui generatione, & corruptione. Aliud est, quod quià priùs natura personatur, quàm existentiam propriam constituat, intimior est persona naturæ, quàm existentia, ac per hoc si potest præueniri, ne constituat propriam personam, multo magis potest præueniri, ne constituat existentiam: ordine siquidèm quodam, personalitas priùs, & existentia deindè à natura constituitur proptèr antedictam rationem. Ex his habetur, quod fundamentum Auctoris in illo art. cit. est identitas ipsius esse respectu naturæ, & personæ, sed non sola identitas, sed adiuncta modi diuersitate respectu vtriusq; quià, scilicet, illud idem esse, est naturæ vt quo, personæ vt quod: Ex identitate enim esse, cùm hac modi diuersitate procedit littera illius Art. Et Scotus procedens contrà vnum esse partis, & personæ Resp. quod si fiat vis in verbis assumitur non causa, vt causa, non enim ideò pars est contenta ipso esse totius, quià perficitur per formam totius, sed quià spectat ad integritatem totius. Ex hoc enim fit, vt sit contenta modo essendi congruo, ac debito integrantibus personam, scilicet, vt existant per esse totius, ex hoc ipso, quod totius integratiua sunt. Et non faciendo vim in verbis, sed veniendo ad rem dicimus contrà Scotum; quod si pars remaneret distincta, & omninò diuersa à toto, dùm tamèn esset toti vnita pars personalitèr, non afferret nouum esse, sed existeret per esse sui totius, vt patet de humanitate Christi, non est sicuti pars separata, sed est sicuti pars coniuncta secundum esse substantiale personalitati positiuæ Verbi Dei, prout sic assumpta. Ità Caiet. loc. cit. 3. p.

Doct. 3. Caiet. ex 1. p. q. 76. a. 3. contrà Scotum, qui non capit quomodo cū vnitate esse specificè stet vnitas esse actualis existentiæ.

191. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 76. art. 3. contrà Scotum, qui non vult intelligere quod ex vnitate entis simplicitèr, quod primo attenditur penès essentiæ vnitatem, infertur etiam vnitas esse actualis existentiæ, de qua est sermo in præsenti quæstione, & ait Caiet. quod Resp. Scoti deficit ex illa communi caligine, qua naturam entis, & vnius per compositionem non vident, & tamèn in eius principijs fatentur, dùm quotidiè resonamus, quod ex duobus existentibus in actu, non potest fieri vnum per se ens, sed ex actu, & potentia. Nec est alia causa quærenda, & tamèn cùm hæc applicanda sint ad glosas venitur, operientes positam in propatulo veritatem. Ideò namq; ex actu, & actu non potest ens nisi per accidens constitui, quià quilibet actus, quantumcumq; imperfectus, naturam quamdam, & quod quid erat esse constituit, ponit enim, vel quid, vel quale, vel quantum &c. Ex duabus autèm naturis, & quidditatibus, quantumcumq; imperfectis, constat non fieri vnum per se; nihil enim

enim refert an sit perfecta, vel imperfecta essentia, vel quidditas, ad hoc quod non possit cùm alia vnum per se facere: quoniàm hoc repugnat non ex perfectione quidditatis, sed ex hoc quod in se quidditas quædam est; Ex quibusq; namq; speciebus duabus, par est impossibilitatis ratio, quod fiat vnum, quamuis vna magis repugnet, quàm altera ex proprijs. Ex potentia verò, & actu ideò manifestè fit vnum, quià potentia vt sic nullam naturam, quidditatemuè ponit: non enim ponit quid, aut quale, aut quantum, sed hoc tantum, scilicet, quid potentiale respectu talis naturæ. Actu vero, naturam secum, aut formalitèr, aut causalitèr, causalitate tamèn formali afferente, non nisi vnum quod quid erat esse constitui potest ex eo, & tali receptiuo: Et propterea non opportet quærere quomodo ex actu, & potentia fiat vnum. Sed si res illa, quæ est potentia aliam ponit naturam, & non est potentia tantùm, iàm componitur res non ex actu, & potentia tantùm, sed ex actu, & actu, & consequentèr non fit ens ex tali compositione nisi per accidens, nec opportet aliam quærere causam. Vndè intolerabilis est cæcitas eorum, qui ponunt compositum per se ens constare ex actu, & potentia, constante ex actu, & potentia: est enim implicatio in adiecto, quoniàm est ponere quod fiat ex duobus actibus, & quod fiat non ex per se potentia, quoniàm accidit præcedenti composito talis potentia, est enim pratèr eius rationem, vt patet. Nec posset reddi ratio, quarè magis fit per se vnum ex anima, & corpore, quàm ex proximo illuminabili, puta diaphano, & lumine: sunt enim proprius actus, & propria potentia. Et super hoc fundatur ratio S. Th. quæ vnitatem entis specifici, & existentialis probat ex vnitate formæ, quià alioquin vnum ens non esset, & vnita ibi existentia. Ità Caiet. in p. p. q. 76. art. 3. in principio Comment.

192. Adnotat Caiet. 4. in cap. 5. de ente, & essentia loc. cit. pro resolutione Argumentorum Scoti tres propositiones. Prima est, quod cùm duplex sit perfectio rei prima, scilicet, & secunda. Res creata potens causare, & si non efficiatur perfectior secundùm perfectionem primam ex hoc quod actu causat; efficitur tamèn perfectior secundùm perfectionem secundam, Patet hoc ex tribus. Primò ex eo, quod est magis in actu res actu causans, ipsa re in potentia causante: Operatio enim est actus secundus causæ: perfectio autèm actualitatem sequitur, sicut imperfectio potentialitatem. Secundò patet ex eo, quod vnumquodq; est perfectius coniunctum suo fini, quàm separatum ab illo: res autèm actu operans coniuncta est suo fini intraneo, qui est operatio iuxtà illud, secundò de Coelo, & Mundo Comment. 17. Vnumquodq; est proptèr suam operationem. Tertio patet idem quod vnumquodq; quantò est simile Deo tantò perfectius est: res autèm actu causans est similior Deo quàm non actu causans: quià non solùm assimilatur Deo secundùm hoc, quod est, sed etiàm secundùm hoc, quod est communicare se alijs. Ità Caiet.

Doctr. Caiet. ex c. 5. de ente, & essentia in fine. Pro solutione Argumentorũ Scoti, quod perfectio sit duplex prima, & secunda.

193. Secunda propositio est. Res est perfecta simplicitèr nõ proptèr perfectionem primam, sed proptèr vltimam. Hoc traditur à Boetio in lib. de Hebdomadibus, dicente. Intueor in rebus aliud esse, quod sunt, & aliud esse, quod bona sunt. & declaratur à S. Th. in p. p. q. 5. a. 1. ad primum. Ad cuius intellectum nota, quod vt idem dicit p. p. q. 6. art. 3. triplex est perfectio rei, scilicet, prima secundùm quam res constituitur in suo esse, sicut prima perfectio hominis est esse suum substantiale. Secunda verò est, secundùm quam est potens proximè ad suas perfectas operationes: sicut vires animæ, & habitus eum informantes, quibus homo in perfectam suam operationem potest exire. Tertia autèm perfectio est, secundùm quam coniungitur suo fini. Sicuti speculatio, quæ hominem substantijs separatis vnit. Manifestum est autèm non esse hominem simplicitèr perfectum, qui sola bonitate naturæ gaudet; aut qui à pro-

2. Propositio Caiet. declarata, quod, scilicet, res est perfecta simpliciter ex vltima perfectione.

prio fine procul est; vndè ordo entis simplicitèr ad ens secundum quid oppositus est ordini perfecto simplicitèr ad perfectum secundum quid. Secundum namq; esse substantiale homo ens simplicitèr dicitur, perfectus autèm secundum quid; ideò enim qui nullam aliam perfectionem habet, nisi quià est homo perfectus, non dicitur simplicitèr, sed cùm additione dicimus, quod est perfectus secundum esse substantiale. Secundum verò esse accidentale quale est habituum, & operationum ens secundum quid homo dicitur, perfectus autèm simplicitèr: nihil enim tunc sibi deficit eorum, quæ ad perficiendum hominem exiguntur. Patet ergo intenta propositio, quod, scilicet, res est perfecta simplicitèr ex vltima perfectione. Ità Caiet.

Tertia propositio Caiet. declarata à se, scilicet, quod realis pars essētia perfectior est in toto existens, quàm separata.

194. Tertia propositio est ista, Realis pars essentiæ perfectior est in toto existens, quàm separata, & declaratur sic. Vnumquodq; est perfectius, cùm est in complemento sui esse specifici, quàm cùm deficit ab illo: pars autèm essentialis quando est in toto est in complemento suæ speciei, ad cuius integritatem essentialitèr ordinatur: cùm autèm est separata ab eo, iàm cùm esse completo speciei non est natura specifica materiam, & formam aggregante: perfectior igitur est in toto pars essentialis, quàm separata. Ex quibus descendendo ad propositum dicimus, quod Anima quamuis integrum esse existentiæ retineat separata, quod in composito habebat, non tamèn tunc habet integrum esse essentiæ completum in specie eo modo, quo nata est habere, scilicet, vt pars in toto: ad quod tamèn habendum non accidentalitèr, sed essentialitèr ordinatur: vndè falsum est, animam separatam retinentem idem esse actualis existentiæ, & nihil sui communicationem ex separatione perdidisse: amisit enim esse quidditatiui specifici integritatem, quando quidem in sua specie integra non manet. Vndè & B. Th. in q. disp. q. 1. de Anima ad 16. ait principia essentialia alicuius speciei ordinari non ad esse tantùm, sed ad esse huius speciei. Licet igitur Anima possit per se esse, non tamèn in complemento suæ speciei esse sine corpore. Ità Caiet. loc. cit. de ente.

Opinio Scoti recitata à Caiet. cum illa D. Th. opposita Scoti in varijs locis suorum Commēt. cit.

195. Quo ad 2. Caiet. in p.p.q.76. a.3. recitat phantasiam Scoti contrà D. Th. dicentis falsū esse, quod vnū esse sit ab vna sola forma. Nescio, inquit Scotus, hanc fictionem, quod esse sit superueniens essentiæ, sed esse diuiditur in simplex, & compositum, quemadmodum ens. Et secundo dicit Scotus, quod compositum ex pluribus formis, constet ex vltima forma, & composito ex materia, & forma, vel formis præcedentibus, vt ex proprio actu, & propria potentia, & sic totale esse compositi est ab vna forma completiuè, cùm quo stat, quod sit ex præuijs formis incompletè; hanc eamdem opinionem Scoti recitat in eadem quæstione cit. art. 1. in Resp. ad quintum Caiet. dicens, quod Scotus in 4. sent. dist. 43. q. 1. & quolib. q. 9. impugnat primum dictum S. Th. nimirùm quod esse animæ intellectiuæ sit ipsum esse compositi; & impugnat etiàm secundum, scilicet, quod hoc non conuenit alijs formis. Eius argumenta soluit Caiet. infrà. Eamdem opinionem Scoti recitat Caiet. in 5. cap. de ente, & essentia cùm sex motiuis solutis à Caiet. ibi., vt recitabimus hic in 4. loco quæsiti.

Opinio S. Th. à Caiet. recitata loc. cit. suprà.

S. Doctor verò semper constans sibi, ait Caiet. defendit vbiq; quod formæ substantialis, & compositi est vnum, & idem esse; cum hac tamèn differentia, quod in composito humano, esse animæ est idem quod corporis, à corpore tamèn independens, quod non sic in alijs compositis substantialibus. Et in 3. p. q. 17. art. 2. concedit, ait Caiet. vnam solam existentiam Diuinam increatam quo existunt omnia personalia, & partes istius compositi Christi Domini, contrà Scotum, Durandum, & Ioannem de Neapoli apud Capreolum qui volunt, quod duplex esse erat in Christo vnum creatum, scilicet, humanitatis, alterum increatum, scilicet, suppositi Verbi.

Sol-

Soluit etiam Caiet. auctoritates ibi D. Th. in alijs locis dispersos, qui videntur concedere hoc duplex esse in Christo. Ità Caiet. loc. cit.

196. Quo ad tertium sit. In omni composito substantiali, non inuenitur, nisi vnum esse substantiale actualis existentiæ, quo existunt partes, & compositum. Ità Caiet. cùm D. Th. resoluit per hanc Conclusionem in loc. cit. hoc suum quæsitum. *Conclusio vnica Caiet. responsiua quæsiti cùm sua probatione ex p. p. q. 76. art. 1.*

Probatur à Caiet. sua Conclusio in p. p. q. 76. art. 1. sub tali forma. Commune est omni formæ, quod esse existentiæ, de quo est sermo in hoc quæsito, sit sibi proprium, ità quod per se primo sibi conuenit: sed in omni composito substantiali est vnica forma substantialis, ergo in quolibet composito substantiali erit vnicum esse existentis, quo existit materia, forma, & compositum, ergo vera Conclusio.

Maior probatur à Caiet. ibidem loc. cit. seù manifestatur maior ex eo, quod formæ conuenit esse per se, & non per aliud, quià nec per materiam, nec per compositum, cùm tàm materia sit actu per formam, quàm compositum vt patet 7. Met. tex. 7. & consequentèr cuicumq; conuenit, ratione formæ conuenit. Et omnes formæ in hoc conueniunt, quod esse est eis proprium saltèm vt rationibus essendi. In reliquo autèm, scilicet vendicare sibi esse vt quod est differentia intèr formas, vt in præcedentibus declaratum est, quod forma intellectiua, scilicet, anima rationalis differt in hoc à formis sensitiuis, quod esse est sibi proprium vt quo, & vt quod, reliquis verò vt quo tantum; ità quod esse, quo est, priùs conuenit animæ intellectiuæ, & non solum vt quo, sed vt quod est, quàm composito; in reliquis verò esse priùs conuenit formæ vt quo, non tamèn vt quod, sed composito priùs conuenit, vt quod est, & per compositum formæ. Et ratio huius diuersitatis est, quià forma dicitur essendi causa, in quantùm facit formalitèr completum susceptiuum ipsius esse; & in reliquis compositum tantùm habet rationem sufficientis susceptiui ipsius esse, reliqua verò sunt, in quantùm sunt aliquid illius. In homine verò non solum compositum, sed anima est sufficiens receptiuum ipsius esse, & priùs natura ipsa animæ, quæ prior est naturalitèr ipso composito, & ex sua substantiali, & intrinseca perfectione, hanc habet independentiam à corpore, vt sustineat in se esse suum: vide Adnotationem primam suprà ex loc. cit. de ente, & essentia. Ità Caiet. in p. p. q. 76. art. 1. diffusè fundat hanc Maiorem pro principio Thomistico verò in §. Ad euidentiam horum &c.

Minor est probata à Caiet. cùm D. Th. in quæstione particulari mota suprà à Caiet. de vnica forma in composito dante esse simplicitèr; & meliùs, & clariùs declarat Caiet. hanc Minorem in solutionibus Argumentorum; & Adnot. suprà Caiet. in numero 3. fundat illam ex doctrina D. Th.

197. Quo ad quartum Arguit 1. Caiet. in p. p. q. 76. art. 1. immediatè contrà hanc differentiam allatam in Maiori, ex Scoto sic. Differentia prædicta repugnat doctrinæ S. Thomæ quià in Boue, & cæteris formis sensitiuis non sunt duo esse substantialia, sed vnum tantùm, quo compositum primo est, & forma, & materia participatiuè ergo &c. *Arg. 1. Caiet. ex p. p. q. 76. art. 1. contrà probationem Maioris in ratione probatiua Conclusionis cùm sua Resp.*

Resp. Caiet. quod obiectio Scoti procedit ex malo intellectu verborum. S. Th. cùm enim dicit S. Th. in Resp. ad quintum, quod non accidit in alijs formis, ly quod non refert identitatem esse formæ cùm composito, sed proprietatem esse respectu formæ. Ità quod non est sensus, habere idem esse cùm composito, non conuenit alijs formis, quoniàm hoc conuenit omnibus substantialibus. Sed est sensus, habere esse compositi vt proprium, vt quod, non conuenit alijs formis, quoniàm hoc conuenit, tantùm independentibus formis à subiecto, vt patet ex dictis. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto contrà Conclusionem triplicitèr. Omne ens habet ali- *Arg. 2. Caiet. ex*

t. p. loc. cit. ex Scoto cōtra Conclusionem.

quod proprium esse. Neccapio, inquit, aliquod esse ens extrà suam causam, & non habere proprium esse: sed compositum puta homo est aliud ens ab anima, ergo; tùm quià contradicit S. Th. sibi ipsi, quià secundùm hoc anima non esset perfectior coniuncta, quàm separata, quod S. Th. tenet. Probatur sequela. Primo quià nullum habens totalitèr idem esse est imperfectius ex hoc, quod non communicat illud esse alteri, probatur hoc, quià communicare perfectionem supponit, non dat. Secundo quià si ipsa retinens esse proprium est imperfecta in essendo, quo modo compositum habens illud met erit perfectum in essendo? Tùm quià si remanet esse totius compositi, consequens est quod compositum remaneat.

Resp. Caiet. ad rationes probationes in Argum. Scoti.

198. Resp. Caiet. ad primam dicitur probationem quod omne ens habet aliquod esse proprium, vt proprium distinguitur contrà extraneum, quià nulla res est per esse extraneum à se, non autèm vt proprium distinguitur contrà commune, imò nulla pars habet esse proprium hoc modo, quià quælibet habet esse commune sibi, & toti, dùm in toto est.

Ad secundam rationem dicitur, quod hæc duo stant simul, & quod anima intellectiua suum esse composito communicet, & quod sit imperfectior separata, sicuti stat cùm sua independentia, quod sit naturalitèr pars speciei humanæ. Et cum objicitur, quod communicare non dat perfectionem, Resp. quod communicare formalitèr addit perfectionem communicanti; communicare effectiuè non.

Modo anima communicat formalitèr se, & suum esse composito, & acquirit perfectionem in sui coniunctione ad corpus. Et quamuis idem omninò esse habeat separata, & coniuncta, non tamèn eodem modo, quià coniuncta habet illud integrando humanam speciem cuius est pars; separata verò non integrando. Et quià alio, & alio modo habet, ideò mirum non est si perfectiorem statum habet in composito, quàm extrà. Attenditur enim perfectior status iuxtà modum habendi, & hinc patet ad illud quæsitum. Quare, & quomodo separata est imperfecta in essendo: hoc enim est ratione modi habendi esse idem, scilicet, in integritate speciei, & absq; integritate illius.

Ad tertiam rationem iàm patet ex dictis, & quare potest remanere esse compositi corrupto composito, quià illud esse non conueniebat primo ipsi composito, etiàm vt quod, sed tali formæ, & vt quo, & vt quod. Vndè esse hominis est formæ vt proprium, hominis verò vt communicatum, & ideò non est mirum si remanet, composito, idest homine corrupto. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

Arg. 1. Caiet. ex Scoto in c. 5. de ente & essentia in fine Comment.

Arguit primo Caiet. in cap. 5. de ente, & essentia in fine Comment. ex Scoto sic. Homo vt homo est tertium ens realitèr distinctum ab vtraq; sui parte: ergo habet proprium esse aliud ab esse partium; & consequentèr non est idem esse animæ, & hominis. Tenet consequentia quià distinctum ens debet habere distinctum esse.

Resp. Caiet. ad primum Arg.

Resp. Caiet. negatur consequentia de esse actualis existentiæ loquendo: non enim res distincta ab alia realitèr, habet aliam existentiam ab illa, iam enim dictum est partes, & totum habere idem esse. Conceditur autèm consequentia de esse essentiæ: sed hoc nostro fauet proposito. Ità Caiet.

Arg. 2. Scoti ex Caiet. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. ex eodem Scoto. Esse hominis in morte corrumpitur esse autèm animæ non corrumpitur ergo esse animæ, & hominis non sunt idem. Consequentia plana est, & antecedens probatùr quià sicuti generatio terminatur ad esse compositi, scilicet, hominis, ità corruptio ad esse ipsius.

Resp Caiet. ad 2. Argum.

199. Resp. Caiet. dicitùr sicut antè, quod si in antecedente sit sermo de esse essentiæ, verum assumitur in prima eius parte, sed non in secunda; liquet enim ex supra-

supradictis, quod esse specificum completum animæ corrumpitur. Si autèm sit sermo de esse existentiæ potest dupliciter intelligi. Primo quod esse actualis existentiæ hominis desinat simpliciter, & sic est falsum: retrahit enim anima illud ad se. Alio modo potest intelligi, quód esse hominis in morte desinat esse hominis idest desinat informare hominem, & hoc modo concluditur; sicuti enim de generatione hominis specialem sermonem facimus, & non sic de cęterorum propagatione animalium, dicente Arist. in 2. de gen. animalium cap. 3. quod intellectus tantùm venit ex extrinseco; & ipse solus est diuinus, eo quod operatio sua non habet communicationem, cùm operatione corporali omninò; ità de corruptione eiusdem, specialis sermo esse debet dicente eodem Arist. 12. Met. comm. 17. quod in quibusdam nihil prohibet formam remanere post, vt si est anima talis: non omnis forsàn, sed intellectus. Ità Caiet.

Arg. 3. Caiet. ex Scoto ibidem loc. cit.

Arguit tertio Caiet. ex eodem Scoto. Homo post mortem non manet, ergo necesse eius... tunc vltra esse hominis non manet post mortem: ergo esse animæ, & hominis non est idem, cùm esse animæ remaneat. Processus totus clarus est excepta prima consequentia quæ probatur ex eo quod nullius actuale esse inuenitur, cùm illud, cuius est, non inuenitur.

Resp. Caiet. ad tertium Arg.

200. Resp. Caiet. negatur prima consequentia, & ad probationem vtendo distinctione facta dicitur, quod cum esse actuale hominis dupliciter sumatur, scilicet, secundum se, seù simpliciter; alio modo pro vt est huius, Primo modo remanere, non est impossibile corrupto homine: secundo modo non est intelligibile quod remaneat: nullius ergo rei esse manet actuale, vt eius est, quando id cuius est, non inuenitur, potest tamèn simpliciter inueniri: & ratio est in proposito sæpè iàm dicta, quià illud esse non est proprium homini sed animæ: ideò opportet, quod inueniatur semper, quando est id, cuius est proprium. Et si designat id, cuius erat vt communicatum. Ità Caiet.

Arg. 4. Caiet. ex Scoto ibidem loc. cit.

Arguit quarto Caiet. In Homine est alia forma præter animam: ergo in ea est aliud esse præter esse animæ. Consequentia est nota: quià qualibet forma habet proprium esse. Antecedens verò aliàs est probatum.

Resp. Caiet. ad quartum Arg.

201. Resp. Caiet. negatur antecedens. Ad probationem verò aliàs factam sunt responsiones aliàs datæ. Relinquitur igitur verum esse, de esse actualis existentiæ, quod vnum omninò est esse animæ intellectiuæ, & hominis, quod secundum se independens est à corpore, vt potè non causatum ab illo, quià non est eductum de potentia Materiæ, licet pro vt est huius hominis non nisi in corpore inueniri possit, & in hoc forma substantialis differt in composito humano, ab alijs formis sensitiuis, in alijs compositis materialibus vt dictum est. Alia duo motiua prima Caiet. ex Scoto in cap. 5. de ente, & essentia hic non sunt adducta, quià sunt eadem adducta supra, & soluta ex p. p. q. 76. art. 2. Ità Caiet. in locis citatis in Commentarijs.

QVAE-

QVAESTIO XVI. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm Materia habeat appetitum naturalem ad formas semel amissas

EX CAIETANO

In diuersis locis suorum Comment. 5. in p. p. q. 48. art. 4. & q. 59. art. 2. & q. 76. art. 1. in fine; & p. 2. q. 113. art. 10. & in cap. p. post prædicam. circà finem.

Aperitur status controuersiæ à Caiet. loc. cit.

202. Caietanus declarat titulum: supponendo tamèn, quod nulla est difficultas de appetitu materiæ primæ ad formas quas non habet, & quas habet, sub quibus est, & informatur, quod, scilicet, naturali appetitu complacentiæ, quas habet appetit; quas non habet, & ad quas tendit appetit naturalitèr. Tota difficultas est, respectu earum, quas non amplius habet, & amisit. Et est eadem difficultas, ac si quæreremus, ait Caiet. in post prædicam. cap. p. circà finem, àn à priuatione ad habitum detur naturalis regressus, vel sit omninò ordo irregressibilis; & quærendo de tali forma puta anima rationali, an, inquit Caiet. in p. p. q. 76. art. primo in fine. Sit re vnibilis naturalitèr ipsi Materiæ primæ. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina prima Caiet. ex p. p. q. 48. art. 4. quod Bonum vt forma totalitèr tollitur per malum.

203. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 48. art. 4. circà illam propositionem D. Th. quod nunquam malum, quod est priuatio, totalitèr aufert bonum quod est forma; quoniam relinquit subiectum, & aliquid habilitatis ad actum. Notat cum D. Th. quod bonum est triplex, scilicet, forma, subiectum, & habilitas subiecti ad formam. Bonum vt forma, tollitur totalitèr per malum, quià est sibi oppositum, sicuti lumen tollitur per tenebras, & visus per cæcitatem. Bonum vt subiectum, nec tollitur, nec diminuitur per malum, scilicet, bonum quod est subiectum mali: non enim per tenebras aliquid de substantia aeris diminuitur. Bonum verò vt habilitas subiecti ad actum diminuitur per malum, & non totalitèr tollitur, & hoc declaratur à S. Doct. primo quantum de diminutionem, secundo per contrarias dispositiones. Et quidquid sit de diminutione quæ fit per substractionem quantitatis, vel per remissiones qualitatum, dicimus, quod si dispositiones contrariæ in infinitum multiplicari possunt, habilitas ipsa in infinitum diminuitur, vel remittitur, non tamèn totalitèr tollitur, quià semper manet in sua radice, quæ est substantia subiecti; sicuti si in infinitum interponantur corpora opaca intèr Solem, & aerem, in infinitum diminuetur habilitas aeris ad lumen: nunquàm tamèn manente aere tollitur totalitèr, qui secundum suam naturam est Diaphanus. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 2. Caiet ex p. p. q. 59. art. 2 quod appetitus ad formas est de essētia materiæ primæ.

204. Adnotat secundo Caiet. in p. p. q. 59. art. secundo circà illam propositionem assumptam à D. Th. scilicet. Quidquid se extendit ad id, quod est extrà rem, non est rei essentia, quod ly extrà rem potest dupliciter exponi. Vno modo vt supponat pro re appetente, & hoc modo propositio est falsa, quoniàm materia appetit formam per appetitum, qui est essentia eius, & tamèn forma est extrà rem appetentem; alio modo, vt supponat pro re pertinente ad integritatem substantiæ completæ, vt sit sensus, quod quidquid se extendit ad id quod est extrà integritatem completæ substantiæ, non est essentia rei, idest nec essentia, nec pars essentiæ, nec aliquid ad complementum essentiæ spectans, in hoc sensu assumitur propositio à S. Th.

hinc

hinc eodem loco notat Caiet. quod inclinari in bonum dupliciter potest intelligi: Vno modo vt bonum distinguitur contrà malum, & sic appetitus materiæ, & vniuersalitèr omnis appetitus naturalitèr inclinatur in bonum. Alio modo vt distinguitur contrà tale, vel tale bonum, & sic solus appetitus intellectiuus tendit in bonum: quoniam solus intellectus solam boni rationem vt bonum est apprehendit & quià bonum vt bonum est, omne bonum comprehendit, consequens est, vt id quod naturali èr inclinatur in bonum vt bonum non quiescat nisi in omni bono, ac per hoc si infinitum bonum habet extrà se, tendit in aliquid extrà non sic autèm est de eo, quod inclinatur naturalitèr in tale bonum tantùm: quoniam si tale bonum intrà substantiam rei concluditur ad extrà non tendit quamuis infinitum bonum extrà remaneat. Inclinari ad bonum simplicitèr spectat ad solum intellectum ratione dicta, quod non potest dici de materia, nec de quocumque alio appetitu, alitèr Materia haberet appetitum ad bonum tale semel amissum naturalem. Ità Caiet. loc. cit.

205. Adnotat tertio Caiet. in p. 2. q. 113. art. 10. quod cum commune sit omni formæ non habere materiam, quando est quæstio de potentia naturali ad formam, non nisi de Materia in qua, est sermo: Ista tamèn Materia in qua dupliciter potest se ad formam habere: nam quandoque est non solum in qua fit, & est forma, sed est materia ex qua educitur forma, & tunc est potentia naturalis ad formam, vt potè ex sua potentia educendam. Quandoque autèm est solùm materia in qua fit, & est, non autem ex qua educitur. Et hoc ad huc contingit duplicitèr vno modo sic, quod licet forma non educatur de potentia materiæ, dispositio tamen propria ad formam educitur de potentia materiæ per naturale agens, & tùnc est potentia etiàm naturalis ad formam, & hoc modo est in corpore organico potentia naturalis ad animam intellectiuam; Alio modo sic, quod propria dispositio educatur de potentia subiecti, sed non per agens naturale claudendo sub naturali agente totum ordinem naturæ. Et tunc est potentia quodammodo naturalis, & quodammodò non naturalis, quoniàm ex eo, quod etiàm propria dispositio ad formam excedit facultatem naturalis motiui talis potentiæ, sequitur, quod potentia ad talem formam sit suprà potentiam naturalem illius: ex eo autèm quod illa dispositio educibilis est de potentia propria, quamdam naturalitatem habet. Et hoc modo discurrendum est de potentia materiæ, ad formam semel amissam; quæ est quodammodo naturalis secundum esse pro quanto reunitur ipsi potentiæ, scilicet materiæ, quæ est naturalis; est autèm simplicitèr supernaturalis, pro quanto forma illa reunienda à solo agente supernaturali esse potest; sicuti etiàm potentia animæ ad gratiam habendam est quodam modo naturalis pro quantu actus liberi arbitrij, quo preparatur ad gratiam educitur de potentia naturali liberi arbitrij. Est autèm simplicitèr super naturalis pro quanto actus ille, loquendo de iustificatione impij, vt dispositio ad gratiam à sola gratuita Dei motione esse potest. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 3. Caiet. ex p. 2. q. 113. ar. 10. quod non potest materia appetere formas amissas, quià non possunt ab agente naturali uerè produci dispositiones in materia quibus ad eas denuo suscipiendas preparetur.

206. Adnotat quarto Caiet. in p. p. q. 76. art. primo in fine comment. circà naturalitatem reunionis animæ ad corpus, quod ista naturalitas non conuincit resurrectionem futuram, quamuis probabilitèr eam suadeat apud S. Th. in 4. Gent. c. 79. Potest enim dici cum eodem S. Doct. c. 81. quod ex hoc nihil aliud sequitur, nisi quod Resurrectio est naturalis quo ad finem, quià, scilicet, tendit ad finem, scilicet, vnionem animæ ad corpus, quæ est naturalis secundùm esse, non tamèn secundùm fieri, sed supernaturalis. Et ideò de violento, & imperfecto in statu separationis non est distinguendum cum Scoto dist. 43. q. 2. somniante quod anima sit talis pars hominis, quod nullam perfectionem acquirit in toto, & ideò non inconuenit perpetuo impediri, & manere in statu separationis; sed distinguendum potiùs est, quod vio-

Doctrina 4. Caiet. in p. p. q. 76. art. 1. quod reunio animæ ad corpus est naturalis secundùm esse, sed secùndum suũ fieri est supernaturalis.

violentum est duplex, alterum oppositum tàm termino, quàm viæ naturali; Alterum oppositum termino, sed non viæ naturali, idest, alterum quod est in esse, cuius oppositum esset naturale, sed tamen non habet in sua natura principium via ducentis ad illud esse naturale. Alterum quod est in esse, cuius oppositum esset naturale, & in natura illius est principium eundi ad tale esse, vt patet de graui retento sursùm. Prima violentia non potest perpetuari, quià ponit principium viæ perpetuò impediri. Secunda autèm non inconuenit si perpetuetur, quià propriè violentia non est, vbi nullum principium perueniendi ad terminum impeditur, quamuis si esset in termino, ille status esset naturalis. Talis autèm violentia est animæ separatæ, quoniàm habet aptitudinem, & inclinationem naturalem ad vnionem, quo ad esse non quo ad fieri. Et hoc est quod occultè sensit S. Th. dùm dixit, quod Resurrectio est naturalis secundùm finem, & non secundum principium actiuum, & consequentèr nec passiuum, quià potentiæ omni passiuæ naturali, respondet actiua naturalis. In hoc enim manifestè patet, quod vnio animæ separatæ secundum esse est naturalis, sed secundum suum fieri, est supernaturalis. Quià tamèn rationabile est, quod nec etiàm talis imperfectio, à prima causa in tam nobiliori natura perpetuò permittatur, probabilis ratio resurrectionis, fidei suffragatur. Ità D. Th. loc. cit.

Doctrina 5. Caiet. ex cap. p. post prædicam. quo modo, & quando priuatio, & habitus habent fieri circa idem ordinatè, & quando non.

207. Adnotat quinto Caiet. in cap. p. post prædicam. ad penetrandam naturam priuationis, & habitus, quod Arist. obscurè valdè insinuauit nobis priuationis, & habitus naturam, contentus ista particula ly cum ordine: sed D. Th. obscuritatem hanc producit in lucem in 8. Met. lect. 4. & 10. Met. lect. 6. dicens duplex esse genus priuationum. Quædam priuatio est, quæ ità immediatè respicit subiectum, sicut habitus, cui opponitur sicuti tenebra, & ignorantia, &c. Istæ non habent fieri circà idem ordinatè: ex eo namque quod priuatio immediatum ordinem habet ad subiectum, sicut habitus non est ordo circà generationem eorum: quamuis sit ordo priuationis intèr omnem habitum, & eius priuationem. Quædam verò priuatio est, quæ non habet immediatum ordinem ad subiectum, sed respicit illud mediante suo habitu: vt mors non respicit commune susceptibile vitæ, & mortis nisi mediante vita. Non enim mors fieri potest nisi, vita præcesserit: & tales priuationes habent fieri circa idem, circà quod fiunt habitus ordinatè, & proptèr istum ordinem est in eis irregressibilitas, vt in sequenti notabili apparebit. Et quià Arist. describit huiusmodi priuationem, & habitum ideò apposuit, ly ordine; ità quod priuationem, & habitum dixit, quæ nata sunt fieri circà idem ordine immediationis, & mediationis. habitus enim natus est fieri immediatè: priuatio autèm mediante habitu. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 6. Caiet. ex eodem loc. cit. circà finem, quòd manente eodem susceptibili, à priuatione ad habitum est ordo irregressibilis.

208. Adnotat sexto Caiet. ibidem loc. cit. circà irregressibilitatem, quod Arist. dixit manente eodem susceptibili à priuatione ad habitum non datur regressus, sinè illa clausula ruit ista propositio, quoniàm de priuatione ad habitum potest fieri regressus, redeundo rursùs ad primam, seù remotam materiam, vt habetur 8. Met. comm. 14. non autèm existente susceptibili: non enim fieri potest ex mortuo immediatè viuum idest quod cadauer illud manendo mutetur in viuum, hoc autem est regredi existente susceptibili, quamuis possit ex mortuo multis mediis transmutationibus fieri viuum, puta si corpus illud, mortuum comedatur, digeratur, conuertatur in semen, aut menstrua, organizetur, &c. Hoc autem est regredi, redeundo in primam materiam, & quià in tali regressu non manet illud met susceptibile quod prius habuit vitam, sed corrumpitur necessariò per tot transmutationes, ideò dixit de priuatione ad habitum non esse regressum existente susceptibili. Et causa huius irregressibilitatis est naturalis ordò talium generationum, variatio cuius, aut p ætc-

rkio

ritio non subest potestati causarum naturalium. Oportet enim si agentia naturalia debent producere ex tali materia, puta cadauer viuum, quod per multas generationes ordinatè procedatur, ità quod ex priori in posteriorem fit mutatio, & non æ conuersò, vt patet de pane ex quo fit sanguis, & non æ conuersò, & ex sanguine lac, & non æ conuersò, & similitèr ex vino fit acetum, & non æ conuersò, & in proposito ex comestis carnibus mortuis fit sanguis, embrio, animal, &c. Tamdèm ex viuo fit mortuum, & nunquàm æ conuersò in immediatè prius mutatio immediatè fieri potest ex posteriori: ex naturali igitur ordine generationum habitus, & priuationis fit, vt ex habitu possit mutatio in priuationem fieri, & ex priuatione regredi non possit stante susceptibili, licet, vt dictum est, redeundo ad primum regredi possit. Ità Caiet. in post præd. loc. cit.

209. Quo ad secundum Caiet. repetit in loc. cit. opinionem Scoti asserentis, quod in materia sit appetitus naturalis ad omnes formas etiàm corruptas, si comparetur ad illas, & remotissimè eas respiciat; si verò comparetur ad agens, dicit quod habet appetitum obedientialem, seù supernaturalem. Hanc impugnat Caiet. in p. p. q. 76. art. primo in fine comment. dicens quod non aduertit Scotus, & contrà se loqui, & contrà veritatem. Contrà se, quià antecedentèr dixit se non capere, quod sit ens absque proprio esse quod tamen ipse ponit, qui animam tantùm communicare se dicit composito; loquitur etiàm contrà veritatem: quià de ratione partis est perfectionem habere in toto, alioquin natura non proptèr melius componeret, nec partes haberent rationem materiæ respectu totius. Scoto opponitur S. Doctor qui vbique tenet materiam non habere appetitum ad formas amissas, cum à priuatione ad habitum per Arist. in post prædicam. non detur regressus. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti, & circà formas amissas, & circà reunionem animæ ad corpus à Caiet. recit. in p. p. q. 76. art. 1. & alijs loc. cit.

210. Quo ad tertium est Conclusio Caiet. Materia prima non potest appetere naturalitèr formas semèl amissas. Probatur ex Doctrina Caiet. allata in adnotatione 3. 4. 5. & 6. Est Axioma irrefragabile quod à priuatione ad habitum non datur manente eodem susceptibili regressus: Sed si esset appetitus naturalis in materia ad formas semel amissas: iàm daretur regressus naturalis à priuatione ad habitum in eadem materia: ergo cum hic naturalitèr sit impossibilis verificatur Conclusio. Probatur sequela minoris quià iàm &c. in primis ibi esset potentia passiua naturalis ad illam formam corruptam, & per consequens potentia actiua naturalis in agente, qui posset naturalitèr reunire inducendo illam formam in illa materia, seù susceptibili primo: cùm potentiæ cuilibet passiuæ naturali, correspondere debeat potentia actiua naturalis: sed hæc duplex potentia, scilicet, passiua naturalis in materia ad formam semèl amissam, & potentia actiua naturalis in agente creato naturali negatur à quocumque Philosopho, ergo à quocumque Philosopho debet negari regressus naturalis à priuatione ad habitum, & per consequens appetitus naturalis in materia ad has formas corruptas, seù semèl amissas. Ità Caiet. in post prædicam. & alibi, &c.

Conclusio Caiet. cum sua probatione desumpta ex suis doctrinis.

211. Quo ad quartum Arguit in post prædicam. cap. primo contrà suam Doctrinam in quinta Adnotatione suprà sic. Illa differentia assignata non videtur habere veritatem: aut enim loqueris de priuatione, & habitu in ordine ad subiectum absolutè, aut in ordine ad generationem eorum in subiecto; si primo modo de omni priuatione, & habitu verificatur quod subiectum non æqualitèr respicit vtrumque, quoniàm ad habitum ordinatur per se, sicut perfectibile ad propriam perfectionem: ad priuationem verò non nisi per accidens, quià, scilicet, habitus non est perpetuus; Si secundo modo tùnc falsum est quod dicitur, quià sequeretur, quod nullus posset esse cæcus nisi prius generatus fuisset in eo visus, quod in cæcis à natiuitate falsum

Arg. primum Caiet. in post. prædicam. cap. 1.

appa-

apparet: non enim tales excecantur, cùm ex vtero exeunt: sed in materno vtero caci nascuntur.

Resp. Caiet. ad suum primum Arg. loc. cit.

212. Resp. Caiet. ad hoc dicitur, quod loquitur de priuatione, & habitu secundo modo idest secundum ordinem generationis eorum: ità quod dicimus intèr priuationem, & habitum esse ordinem generationis, adeò vt impossibile sit fieri priuationem immediatè, sed necessariò opporteat eam mediante habitu fieri idest mediante generatione habitus; nec sequitur, ergo omnis cæcus habuit quandoque visum, sed sequitur ergo omnis cæcus habuit generationem terminabilem ad visum: quæ & terminata fuisset, nisi impedimentum affuisset. Impossibile est siquidem, aliquod esse prius cæcum, aut surdum, quàm actio generantis facta via visus aut auditus, dùm facit impediatur, ità quod ex corruptione generationis visus cæcitas fit. Est ergo intèr priuationem, & habitum ordo generationis, vel in se, vel in suis generationibus, & hoc est simpliciter necessarium, quod illa priuatio dicitur fieri non nisi mediante habitu, cuius factio factionem habitus præsupponit, imò in ipsius habitus factionis, aut conseruationis impedimento, seù corruptione per se consistit: Et quia hoc non conuenit alijs priuationibus, de quibus Arist. modo non loquitur, ideò patet assignatam differentiam, & expositionem illius particulæ, ly ordine, optimam esse. Exemplaritèr autèm liquet intèr priuationem, & habitum vniuersalitèr non esse talem generationis ordinem; tenebra enim non fit necessariò luce præsupposita, aut eius generationis impedimento: sed sola lucentis absentia à Diaphano; ignorantia similitèr nobiscum nascitur, absque cuiuscumque actionis impedimento vt patet, &c. Ità Caiet. loc. cit. post prædicam.

Arg. 2. Caiet. ex p. 2. q. 113. art. 10.

213. Arguit 2. Caiet. in p. 2. q. 113. art. 10. ex paritate potentiæ materiæ ad vitam Physicam per suam formam, iterùm habendam, & potentiæ animæ impij ad vitam moralem per gratiam, iterùm habendam sic. Sicuti in corpore mortuo est potentia remota ad vitam, & non propinqua; ità in anima impia est potentia remota ad gratiam, & non propinqua; imò magis vita est in potentia naturali talis corporis, quàm gratia in potentia naturali animæ impiæ; quià illud potest per multas transmutationes reduci in vitam ab agente naturali, gratia verò non.

Resp. Caiet. ad suum Arg. 2.

214. Resp. Caiet. quod inter mortuum, cæcum, & impium hoc interest, quod in impio est veluti potentia occupata sub altero contrario, sicut potens calefieri, actu frigidum existens; in mortuo autem, aut cæco non est potentia sub altero contrario, sed omninò non est potentia, quià de priuatione ad habitum non datur regressus, nisi per resolutionem ad primum, vt diximus suprà in adnot. Vndè obiectio nil obstat, quià de potentia, & appetitu propinquo est sermo, quamuis occupata, non de potentia remota per resolutionem ad vltimum. Ità Caiet. p. 2. loc. cit.

QVÆ-

QVÆSTIO XVII. PRIMI PHYSICORVM

Vtrum omnis pars naturalitèr appetat potius se ipsam, quàm suum totum

EX CAIETANO

In p. p. q. 60. art. 5. & in 2. 2. q. 26. art. 3.

215. Titulus à Caietano explicatur in sua vniuersalitate, & quærit de omni parte, siuè sit pars compositi naturalis vt materia, & forma; siuè sit pars integratiua, vel completiua spectans ad vniuersum, vt quælibet creatura est pars naturalis vniuersi, siuè sit pars politica Ciuitatis, vt Ciuis est pars Reipublicæ; siuè sit pars moralis vt Homo ordinatus ad fruendum Deo, est aliquid Dei prout ipse Deus est suum fontale bonum, & naturale, & gratuitum, totum, inquit, & vnicum. Ità Caiet. resoluit quæsitum sub hac vniuersalitate, & in p. p. q. 60. art. 5. quærendo cum D. Th. An Angelus naturali dilectione diligat Deum plus quàm se ipsum. Et in 2. 2. q. 26. art. 3. Vtrum Homo debeat ex Charitate plus Deum diligere, quàm se ipsum. Ità Caiet. & alibi in q. 60. art. vlt.

Aperitur status Controuersiæ à Caiet. loc. cit. Tyronibus Thomistis.

216. Adnotat primo Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. quod S. Doctor in isto art. affert signum nouum pro Conclusione infrà probanda huiuscemodi, scilicet, pars magis amat bonum totius, quàm proprium. Et signum est, quod vnaquæque pars habet principalem inclinationem ad actionem communem vtilitati totius. Experimur siquidèm in partibus officialibus corporis, quo præcipua cuiuscumque partis actio est ad commune totius bonum, vt patet de actione manus, pedis, oculi, cordis, hepatis dentium, &c. Si ergo ità esse in partibus naturalibus comprobatur cum partes politicæ sic sint dispositæ, sicuti si essent à natura, eo quod ars, quæ rationem perficit imitatur naturam, consequens est, vt virtutes politicæ inclinent ciues principalitèr ad actiones communes pro bono totius: ac per hoc comprobetur, quod magis suaptè natura inclinantur ciues ad amandum commune bonum, quam proprium; sicuti, & etiàm Charitas inclinet, & amor naturalis, magis homines, & Angelos vt aliquid Dei, ad amandum plus ipsum, quàm se ipsos, vt S. Doctor ait, in principio art. cit. dicens, quod à Deo duplex bonum accipere possumus, scilicet, bonum naturæ, & bonum Gratiæ. Super communicatione autèm bonorum naturalium nobis à Deo facta fundatur amor naturalis, quo non solum homo in integritate suæ naturæ super omnia diligit Deum, & plus quàm se ipsum, sed etiàm quælibet creatura suo modo, scilicet, vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel saltèm naturali amore, sicut lapides, & alia, quæ cognitione carent. Ità Caietanus, cum D.Th. loc. cit. 22.

Doctrina prima Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. in qua declaratur fundamentum à signis quarè pars plus diligat totum.

217. Adnotat Caiet. ibidem loc. cit. in Resp. ad secundum. Nota elegantem glossam, & intellectum illius propositionis amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium: quod quià esse proprium multis modis contingit, vnumquodque bonum alicuius, eo modo, quo est proprium, est amandum. Et sic cum in proposito duplicitèr contingat aliquid esse bonum alterius, aut, scilicet, quià est propter ipsum, aut è contra; Bonum totius est bonum partis non ità quod sit propter partem, sed è

Doctrina 2. Caiet. in Resp. ad secũdum loc. cit. in qua declaratur amabile quidem bonum vni-

apparet: non enim tales excecantur, cùm ex vtero exeunt: sed in materno vtero cæci nascuntur.

Resp. Caiet. ad suum primum Arg. loc. cit.

212. Resp. Caiet. ad hoc dicitur, quod loquitur de priuatione, & habitu secundo modo idest secundum ordinem generationis eorum: ità quod dicimus intèr priuationem, & habitum esse ordinem generationis, adeò vt impossibile sit fieri priuationem immediatè, sed necessariò opporteat eam mediante habitu fieri idest mediante generatione habitus; nec sequitur, ergo omnis cæcus habuit quandoque visum, sed sequitur ergo omnis cæcus habuit generationem terminabilem ad visum: quæ & terminata fuisset, nisi impedimentum affuisset. Impossibile est siquidem, aliquod esse prius cæcum, aut surdum, quàm actio generantis facta sit visus aut auditus, dùm facit impediatur, ità quod ex corruptione generationis visus cæcitas fit. Est ergo intèr priuationem, & habitum ordo generationis, vel in se, vel in suis generationibus, & hoc est simplicitèr necessarium, quod illa priuatio dicitur fieri non nisi mediante habitu, cuius factio factionem habitus præsupponit, imò in ipsius habitus factionis, aut conseruationis impedimento, seù corruptione per se consistit: Et quia hoc non conuenit alijs priuationibus, de quibus Arist. modo non loquitur, ideò patet assignatam differentiam, & expositionem illius particulæ, ly ordine, optimam esse. Exemplaritèr autèm liquet intèr priuationem, & habitum vniuersalitèr non esse talem generationis ordinem; tenebra enim non fit necessariò luce præsupposita, aut eius generationis impedimento: sed sola lucentis absentia à Diaphano; ignorantia similitèr nobiscum nascitur, absque cuiuscunque actionis impedimento vt patet, &c. Ità Caiet. loc. cit. post prædicam.

Arg. 2. Caiet. exp. 2. q. 113. art. 10.

213. Arguit 2. Caiet. in p. 2. q. 113. art. 10. ex paritate potentiæ materiæ ad vitam Physicam per suam formam, iterùm habendam, & potentiæ animæ impij ad vitam moralem per gratiam, iterùm habendam sic. Sicuti in corpore mortuo est potentia remota ad vitam, & non propinqua; ità in anima impia est potentia remota ad gratiam, & non propinqua; imò magis vita est in potentia naturali talis corporis, quàm gratia in potentia naturali animæ impiæ; quià illud potest per multas transmutationes reduci in vitam ab agente naturali, gratia verò non.

Resp. Caiet. ad suum Arg. 2.

214. Resp. Caiet. quod inter mortuum, cæcum, & impium hoc interest, quod in impio est veluti potentia occupata sub altero contrario, sicut potens calefieri, actu frigidum existens; in mortuo autem, aut cæco non est potentia sub altero contrario, sed omninò non est potentia, quià de priuatione ad habitum non datur regressus, nisi per resolutionem ad primum, vt diximus suprà in adnot. Vndè obiectio nil obstat, quià de potentia, & appetitu propinquo est sermo, quamuis occupata, non de potentia remota per resolutionem ad vltimum. Ità Caiet. p. 2. loc. cit.

QVÆ

QVÆSTIO XVII. PRIMI PHYSICORVM

Vtrum omnis pars naturalitèr appetat potius se ipsam, quàm suum totum

EX CAIETANO

In p. p. q. 60. art. 5. & in 2. 2. q. 26. art. 3.

215. Titulus à Caietano explicatur in sua vniuersalitate, & quærit de omni parte, siuè sit pars compositi naturalis vt materia, & forma; siuè sit pars integratiua, vel completiua spectans ad vniuersum, vt quælibet creatura est pars naturalis vniuersi, siuè sit pars politica Ciuitatis, vt Ciuis est pars Reipublicæ; siuè sit pars moralis vt Homo ordinatus ad fruendum Deo, est aliquid Dei prout ipse Deus est suum fontale bonum, & naturale, & gratuitum, totum, inquit, & vnicum. Ità Caiet. resoluit quæsitum sub hac vniuersalitate, & in p. p. q. 60. art. 5. quærendo cum D. Th. An Angelus naturali dilectione diligat Deum plus quàm se ipsum. Et in 2. 2. q. 26. art. 3. Vtrum Homo debeat ex Charitate plus Deum diligere, quàm se ipsum. Ità Caiet. & alibi in q. 60. art. vlt. *Aperitur status Controuersiæ à Caiet. loc. cit. Tyronibus Thomistis.*

216. Adnotat primo Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. quod S. Doctor in isto art. affert signum nouum pro Conclusione infrà probanda huiusícemodi, scilicet, pars magis amat bonum totius, quàm proprium. Et signum est, quod vnaquæque pars habet principalem inclinationem ad actionem communem vtilitati totius. Experimur siquidèm in partibus officialibus corporis, quo præcipua cuiuscumque partis actio est ad commune totius bonum, vt patet de actione manus, pedis, oculi, cordis, hepatis dentium, &c. Si ergo ità esse in partibus naturalibus comprobatur cum partes politicæ sic sint dispositæ, sicuti si essent à natura, eo quod ars, quæ rationem perficit imitatur naturam, consequens est, vt virtutes politicæ inclinent ciues principalitèr ad actiones communes pro bono totius: ac per hoc comprobetur, quod magis suaptè natura inclinantur ciues ad amandum commune bonum, quam proprium; sicuti, & etiàm Charitas inclinet, & amor naturalis, magis homines, & Angelos vt aliquid Dei, ad amandum plus ipsum, quàm se ipsos, vt S. Doctor ait, in principio art. cit. dicens, quod à Deo duplex bonum accipere possimus, scilicet, bonum naturæ, & bonum Gratiæ. Super communicatione autèm bonorum naturalium nobis à Deo facta fundatur amor naturalis, quo non solum homo in integritate suæ naturæ super omnia diligit Deum, & plus quàm se ipsum, sed etiàm quælibet creatura suo modo, scilicet, vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel saltèm naturali amore, sicut lapides, & alia, quæ cognitione carent. Ità Caietanus, cum D.Th. loc. cit. 22. *Doctrina prima Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. in qua declaratur fundamentum à signis quarè pars plus diligat totum.*

217. Adnotat Caiet. ibidem loc. cit. in Resp. ad secundum. Nota elegantem glossam, & intellectum illius propositionis amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium: quod quià esse proprium multis modis contingit, vnumquodque bonum alicuius, eo modo, quo est proprium, est amandum. Et sic cum in proposito dupliciter contingat aliquid esse bonum alterius, aut, scilicet, quià est proptèr ipsum, aut è contra; Bonum totius est bonum partis non ità quod sit proptèr partem, sed è *Doctrina 2. Caiet. in Resp. ad secundum loc. cit. in qua declaratur amabile quidem bonum vni-*

...; autèm proprium. contrà, scilicet, quòd pars est proptèr totum. Et propterea pars amat bonum totius tanquàm proprium, non ità quod referat bonum totius in se ipsum partem, sed è contrà, ità, scilicet, quod refert se ipsam in bonum totius. Itaq; bonum partis non est ratio diligendi totum, idest non est ratio parti, quod ipsa diligat totum, sed potius sic, quod bonum totius sit ratio diligandi partem idest sit ratio, quod pars diligat se ipsum. Habet quoque ex hoc loco, quàm bene dicatur contrà Phantasiam Durandi, quod Deus secundum se ipsum est proprium bonum cuiusque creaturæ, & specialitèr intellectualis. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 3. Caiet. in p. p. q. 60. art. 5. in qua declaratur modus specialis essendi alterius. 218. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 60. art. 5. circà rationem probatiuam conclusionis, quod cùm esse alterius contingat multis modis, scilicet, vt pars totius, vt possessio possidentis, & vt effectus est causæ: & hoc multiplicitèr, & impossibile sit vniuersalitèr intelligi secundum omnem modum alterius istam propositionem assumptam, scilicet, vnumquodque, quod est alterius magis diligit ipsum, quàm se ipsum, quoniàm manifestè esset falsa: consequens est, quod intelligatur de aliquo speciali modo essendi alterius. Et vt ex adiunctis haberi potest, de illo modo essendi alterius, quo pars est sui totius intelligenda est: ità quod vis rationis infrà ponendæ stabit in hoc, quod pars naturalitèr magis diligit totum quam se ipsam, contrà quem sensum sunt obiectiones Scoti infrà soluendæ. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

Opinio Scoti recitata à Caiet. in p. p. q. 60. art. 3. vbi ostēdit in quo Scotus dissentit, & conuenit cum D. Th. 219. Quo ad secundum Caiet. cum D. Tho. in corpore art. p. p. q. 60. refert, quod quidam dixerunt quod Angelus naturali dilectione diligit Deum plus quàm se amore concupiscentiæ, quià, scilicet, appetit sibi bonum diuinum plus, quàm bonum suum, & quodammodò amore amicitiæ, in quantùm, scilicet, Deo vult naturalitèr Angelus maius bonum quàm sibi: vult enim naturalitèr Deum esse Deum, se autèm vult habere naturam propriam: sed simplicitèr loquendo, dicunt isti, naturali dilectione plus diligit se, quàm Deum, quià intensius, & principalius naturalitèr diligit se, quàm Deum. Sed falsitas huius opinionis, ait S. Doctor, manifestè apparet si quis in rebus naturalibus consideret, ad quid res naturalitèr moueatur. Inclinatio enim naturalis in his quæ sunt sine fine, demonstrat inclinationem naturalem etiàm in politicis, & in voluntate intellectualis naturæ: quià, scilicet, in naturalibus vnaquæque pars magis inclinatur in totum, quàm in se ipsam: hæc est sententia S. Thomæ contrà quam, ait Caiet. stat Scotus in 3. sent. dist. 27. q. p. vbi licet teneat Conclusionem, & assentiat secundæ rationi D. Th. & illi signo de forti politico, ad hoc quod naturalis ratio inclinat ad magis diligendum Deum, quàm se ipsum: prædictam tamèn propositionem assumptam à D. Th. in prima ratione destruere nititur, & in duobus deficere eam dicit.

Opinio Durandi recit. à Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit. p. p. qui insupèr in 2. 2. q. 26. art. 3. recitat opinionem Durandi dicentis, quod esto verum sit ciuem magis diligere bonum commune, quàm proprium, scilicet, honestum in communitate, vtile verò, seù delectabile in se: non tamèn est verum simplicitèr. Ità Caiet.

Conclusio Caiet. responsiua quæsiti ex p. p. q. 60. art. 5. & ex 2. 2. q. 26. art. 3. cum sua prima probatione. 220. Quo ad tertium est Conclusio Caiet. cum D. Th. & in p. p. q. 60. art. 5. & in 2. 2. q. 26. art. 3. Vnaquæque pars naturalitèr plus amat bonum commune totius, quàm particulare bonum proprium. Et in p. p. q. 60. art. 5. ponit sic Conclusionem. Vnaquæque pars naturalitèr magis diligit totum, quàm se ipsam. Caiet. antequàm probet in 2. 2. Conclusionem ait. Probatur ex duplici capite: primo ex naturalibus, & communibus: sed quià hæc in Comment. prioribus discussa sunt, nolo replicare. Probat igitur in p. p. q. 60. art. 5. suam Conclusionem sub tali forma. Et primo ex hoc signo in naturalibus, quod pars absque deliberatione exponitur pro toto, & consequentèr naturalitèr, quià vnumquodq; sic agit natu-

naturalitèr, ficuti aptum natum eſt agere. Secundò probatur ex ſigno in rationalibus, quià bonus, ſeù fortis, exponit ſe pro ſalute Reipublicæ: Et procul dubio ſi ex natura ſua eſſet Ciuis, naturalitèr inclinaretur ad hoc, nunc autèm facit hoc ex ratione, & eſt ſignum naturæ, quià Ars imitatur naturam, & quià ſi Ciuitas eſſet à natura, opus hoc eſſet naturale. Et ſic inclinatio naturalis in his, quæ ſunt ſine ratione arguit, & oſtendit inclinationem in appetitu intellectuali proportionalitèr. Ex quo patet, quod quælibet pars, ſcilicet, Angelus imò omnis creatura vt eſt aliquid Dei, ſecundum id quod eſt, ſub quo continetur vt ſuo vniuerſali bono, diligit plus Deum quàm ſe. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

221. Confirmatur Concluſio à Caiet. præcisè de Angelo, ſeù de omni creatura rationali, ducendo ad duplex impoſſibile. Primum eſt, quod naturalis eorum dilectio eſſet peruerſa. Secundum verò quod naturalis dilectio non perficeretur per charitatem, ſed deſtrueretur, hoc enim eſſe impoſſibile eſt euidens, nec conſequentia eſt ambigua, vt de ſe patet. Ità Caiet. loc. cit. p. p. Vndè concludit D. Th. in 22. loc. cit. Apparet etiàm hoc in politicis virtutibus, ſecundum quas Ciues pro bono communi, & diſpendia propriarum rerum, & perſonarum interdum ſuſtinent: vndè multo magis hoc verificatur in amicitia charitatis, quæ fundatur, ſuper communicatione donorum gratiæ. Et ideò charitate magis debet homo diligere Deum, qui eſt bonum commune omnium, quàm ſe ipſum: quià Beatitudo eſt in Deo ſicut in communi, & fundamentali principio omnium, qui Beatitudinem participare poſſunt. Ità D. Th. *Confirmatio, ſeù ratio ſecũda pro Concluſione adducta à Caiet. ibidem loc. cit.*

Et in quo lib. primo cit. a Caiet. contrà Scotum D. Th. tenet quod iuſto eligibilius eſt appetere non eſſe, quàm peccare mortalitèr. Quià quilibet tenetur magis fugere illud quod eſt contrà Deum, quàm ſe ipſum: ſed culpa eſt contrà Deum, non eſſe verò, eſt contrà ſe ipſum ergo &c. Et in quo lib. 11. & in 22. q. 110. art. 3. ad 4 loquens de Mendacio, & in q. 43. art. 7. ad 5. loquens de ſcandalo, videtur innuere hoc idem de peccato veniali quod iuſtus potius debet eligere mortem, quàm peccare venialitèr. Nàm peccatum veniale, licet gratiam Dei non tollat, per quam homini eſt ſalus: quià tamèn impedit augmentum charitatis, & ad mortale diſponit, & ſic vergit in detrimentum propriæ ſalutis, & in offenſam Dei, ideò non debet præponi peccatum veniale rectà ratione offenſioni Dei, & propriæ ſaluti. Et hoc etiàm habetur in Decretis diſt. 13. cap. rerum hæc omnia &c. Ità Caiet. cùm D. Th. loquendo de partibus in moralibus &c. *Ratio D. Th. ex quolibetis pro parte morali in ordine ad ſuum totum morale.*

222. Quo ad quartum contrà hæc vltima dicta Caiet. Arguit ex Scoto. Illud eligibilius eſt, quod includit minus malum: Sed peccare mortalitèr non adimit totum bonum, quià relinquit naturam: at non eſſe, nihil relinquit, ergo &c. Inſupèr. Nobilior participatio Diuina eſt eſſe, quàm eſſe ſinè culpa. ergo potiùs iuſtus eligere debet peccare contrà Deum, quàm non eſſe &c. *Argu. Caiet. ex Scoto contrà rationem moralem.*

Reſp. Caiet. ex dictis, quod etiàm ſiſtendo in partibus moralibus in ordine ad ſuum totum Morale bonum quod eſt Deus, peruerſa erit electio, & contrà naturam auerti à Deo ſuo Morali bono, non tendendo in ipſum ſua dilectione naturali: ex hoc ſequitur quod nobilior, eſt participatio diuina ipſius eſſe ſine culpa, quàm eſſe cùm culpa. Ità Caiet. *Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.*

Arguit 1. Caiet. contrà primam rationem D. Th. ex Scoto ſic. Falſum eſt hoc fundamentum, ſeù Concluſio falſa, quod pars naturalitèr plus diligat totum, quàm ſe ipſam; & quod manus exponatur pro ſalute totius; quod affertur pro probatione à poſteriori, & ſigno, eſt etiàm falſum; imò ipſum totum diligens magis ſe ipſum, quàm partem, aut partes principales, quàm minus principales, eſt illud, quod ex- *Arg. 1. Caiet. ex Scoto contrà primam rationẽ Concl. in p. p. q. 60. art. 5.*

po-

ponit partem pro toto, & minus principale pro magis principali.

Resp. Caiet. ad 1. Arg. Scoti.

223. Resp. Caiet. loc. cit. p. p. q. 60. art. 5. Conclusionem esse non solùm veram, sed etiàm sufficientèr probatam à S. Th. ex adductis signis. Et ad impugnationem primi signi, facillimè patet, quid dicendum sit: quià siuè pars exponatur à toto, siuè à se ipsa pro salute totius, dummodò naturalitèr exponatur, semper sequitur, quod pars magis habet inclinationem naturalem in bonum totius, quàm sui ipsius, ex eo, quod vnumquodq; sicuti naturalitèr agitur, & mouetur, siuè à se ipso, siuè ab alio, sic aptum natum est agi, & è conuersò vt patet in 2. Phys. tex. 78. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

Arg. 2. Caiet. ex Scoto in p. p. loc. cit. contrà rationem primâ Conclusionis.

Arguit 2. Caiet. ibidem ex Scoto. Datò quod pars naturalitèr exponeretùr pro toto, hoc esset proptèr identitatem sui esse cùm toto, quià, scllicet, intendit saluare se ipsam, in quantùm habet esse in toto, & sic falsum subsumitur, cùm dicitur, quod Angelus, seù quæcumq; Creatura, se habet ad Deum, vt pars ad totum: quià non habet hanc partis conditionem requisitam ad propositum, scilicet, quod sit aliquid eius, quod reputatur vt totum: nulla enim Creatura est aliquid Dei.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. Scoti.

224. Resp. Caiet. ibidem loc. cit. quod ratio quare pars exponitur pro toto, non est identitas, quæ est inuenta intèr partem, & totum. Et huius manifestum signum habetur ex hoc, quod pars exponitur ad perdendam identitatem cùm toto, vt saluetur esse totius. Non ergo ratio inclinationis talis est identitas, aut vt saluet se ipsam in toto, sed vt saluet esse totius secundum se, etiàm non esse ipsius partis: sed ratio inclinationis talis est, quàm assignauit S. Thomas quià, scilicet, & natura, & substantia partis hoc ipsum quod est, essentialitèr & primò, & proptèr totum, & totius esse est. Quod conuenire cuilibet Creaturæ respectu Dei patet, quià quælibet Creatura secundum suam naturam est naturalis pars Vniuersi: ac per hoc naturalitèr diligit plus vniuersum, quàm se ipsam, iuxtà Conclusionem, & fundamentum allatum: ergo à fortiori magis diliget ipsum bonum vniuersale. Tùm quià est eminentius ipsum vniuersum totum. Tùm quià est omne bonum. Tùm quià bonum ipsum vniuersale, quod est Deus gloriosus est finis, & bonum ipsius vniuersi: & consequentèr à quocumq; magis amatur vniuersum, ab eodem magis amabitur ipse Deus: vt patet de exercitu, & Duce in politicis iuxtà Doctrinam. 12. Met. tex. 52. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

Arg. 1. Caiet. ex Durando in 2. 2. q. 26. art. 3. contrà rationem 2. Conclusionis.

Arguit 1. Caiet. ex Durando in 2. 2. q. 26. art. 3. contrà secundam Rationem D. Th. ex politicis allatam pro Conclusione sic. Insufficiens signum amoris maioris alicuius, assumitur exponere se hominem morti pro illo. Nàm & pro Amico laudabilitèr quis exponit se morti, & tamèn non properea magis diligit Amicum, quàm se ipsum, vt constat; similitèr pro saluatione bonorum temporalium suorum exponit quis se morti contrà Inuasorem, & non magis diligit illa.

Resp. Caiet. ad 1. Arg. Durandi.

225. Resp. Caiet. quod optimè dicitur, quod ex hoc, quod aliquis exponit se morti pro aliquo, non sequitur, quod illum amet magis se: nec Auctor hoc attulit signum, nec somniauit etiàm; sed ex hoc, quod Ciues secundùm politicas virtutes, res, & corpora exponunt pro bono communi, signum habuit, quod pars amat plus totum, quàm se. Hæc autèm duo distant sicuti Cœlum, & Terra. Quamuis etiàm ineptè asseratur, quod quis exponit se morti pro salute rerum suarum: quoniàm hoc fit non pro illis, sed pro se ipso, ad cuius fœlicitatem illæ res sunt opportunæ. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. ex Durando loc. cit. ibidem contrà 2. rationem.

Arguit 2. Caiet. ex eodem Durando loc. cit. Falsum est, quod Ciuis diligat magis bonum commune, quàm se ipsum. Nàm aut fit comparatio Amoris secundum bona eiusdem rationis, aut diuersarum, Si eiusdem rationis, scilicet, bonum honestum, con-

constat quod quilibet magis amat se, quàm cõmune bonum; quod patet ex contrario, quià magis debet odio habere malum culpæ in se, quàm in communitate totius absq; se. Si dicè sarum rationum, scilicet, honestum in communitate, & vtile, seù delectabile in se, tunc licet verum sit, quod Ciuis magis diligat bonum Commune, quam proprium in tali sensu, non tamèn est verum simpliciter quià vt in 9. Eth. patet, & ratione conuincitur magis diligit se secundum bonum honestum, quàm secundum bona alia, ponendo vitam pro bono communi, & Amico. Eligit enim sibi ipsi optimum secundum rationem. Ità Caiet. ex Durando.

Resp. Caiet. ad 2. Arg. Durandi.

226. Resp. Caiet. quod fit comparatio secundum bona eiusdem rationis, proportionalitate tamèn totius, & partis seruata. Sed illud bonum, in quo fit comparatio, non est bonum honestum, vt Argumentum assumit, sed est bonum vtile, vel delectabile. In hoc enim genere communitas est totum; & Ciuis pars; ità quod intendit S. Doctor, quod quià virtus politica inclinat Ciuem ad dispendium rerum exteriorum, vel vitæ corporalis pro salute Reipublicæ in rebus, vel in personis, signum habemus, quod pars plus diligit totum quàm se ipsum. Et quod ista sit intentio S. Doct. patet ex p. p. q. 60. art. vltimo vbi post exemplum de parte naturali, subiungit de parte Ciuili, quod est virtuosi Ciuis, vt se exponat mortis periculo pro Reipublicæ conseruatione. Et si homo esset pars naturalis huius Ciuitatis hæc inclinatio esset ei naturalis. Hæc ille. Vndè habes, quod si homo esset naturalis pars huius Ciuitatis, naturalitèr exponeret se morti, vt totum, quod est Ciuitas, viueret: sicut manus exponitur naturalitèr pro esse totius hominis. Constat autèm, quod sicut esse manus, & totius hominis eiusdem sunt rationis proportionalitèr: ità esse Ciuis, & Ciuitatis.

Confirmantur à Caiet. dicta in Resp. ad 2. Durandi.

Et Confirmatur manifestè sic esse, quià non fit hic comparatio intèr bonum vtile, & honestum, sicut cum quis moritur pro amico: sed tota vis rationis pendet ex comparatione partis ad totum, quià pars secundum id quod est, totius est, vt ibidem patet. Ex ratione ergo qua pars est quilibet Ciuis, debet totius Ciuitatis bonum temporale proprio bono temporali præponere: non autèm bonum proprium alicuius Ciuis tenetur suo præponere. Et hoc, hic docemur. Indè extrà propositum sunt, quæ pro Amico agenda sunt. Verificatur tamèn in proposito, quod Ciuis, vitam Ciuitatis, vitæ propriæ anteponens, sibi ipsi optimum eligit secundum rationem, & se ipsum maximè amat, secundum virtutem excellentèr operans. Ità Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 3. contrà Durandum &c.

QVAE-

QVÆSTIO XVIII. PRIMI PHYSICORVM

An Omnis forma substantialis, quæ est in materia educatur de potentia materiæ

EX CAIETANO

In varijs locis suorum Comment. 5 p p q. 45. art. 8. & in q. 65. art. 4. & in q. 90. art. 2. & in q. 118. art. 2.

Explicatur titulus à Caiet. Tyronibus Thomistis in loc. cit.

227. EXplicatis à Caiet. in præcedentibus quæstionibus proprietatibus, & prædicatis quæ competunt materiæ primæ tùm in respectu ad formam, tùm ad compositum. Modo incipit agere de proprietatibus, & natura propria ipsius formæ. Et primo quærit Vtrùm omnis forma substantialis, quæ &c. & in p. p. q. 45. art. 8. reddit, quando quærit S. Th. Vtrùm Creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis, causam quæsiti, dicens quod ratio quæsiti est factio formarum, de qua apud omnes fuit, & est maxima quæstio, cùm enim communis animi conceptio omnium esset, quod ex nihilo nihil fit, & similitèr nihil reuertitur in nihil, & intelligitur ex nihilo sui, & similitèr in nihil sui, & non vt rudes intelligunt ex nullo præsupposito; & viderent etiàm formas substantiales præcipuè quandoq; apparere, & quandoq; non, in varias inciderunt opiniones extremas; & ideò specialitèr quæritur hic vt suprà, quomodo formæ substantiales fiant. Et specialis est difficultas de anima rationali, de qua D. Th. ait Caiet. tres instituit quæstiones. Primam in p. p. q. 65. quærendo an formæ corporum sint ab Angelis. Secundam in q. 90. quærendo an anima sit producta in esse per creationem; & tandèm. Tertiam in q. 118. art. 2. quærendo an anima intellectiua causetur ex semine, vbi Caiet. explicat hunc titulum ibi dicens, quod ista propositio S. Th. scilicet, hæreticum est animam traduci cùm semine, claudit in se duo, & quod traducitur cum semine, & ly oppositum est hæreticum. Et quoniàm semen est instrumentum participans virtutem agentis in esse permanenti, oportet vim seminis, & aliquid habere ex conditione ipsius seminis, & aliquid ex ratione formæ agentis cuius est instrumentum: propterea à S. Doctore quæritur ex parte vtriusq; an traducatur cum semine, & educatur cum alijs formis materialibus ex potentia materiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 1. Caiet. ex p p. q. 118. a. 2. vbi edocetur Thomista quod Agens vt faciat compositum non requiritur quod faciat vnum, nec quod faciat omnes partes.

228. Adnotat 1. Caiet. pro ipsa anima rationali in p. p. q. 118. art. 2. circà finem Comment. quod ad hoc vt aliquid dicatur effectiuè producere compositum, non exigitur quod faciat omnes eius partes, nec requiritur, quod faciat aliquam eius partem; sed sufficit quod effectiuè causet coniunctionem partium, ex qua resultet illud compositum. Declarantur singula, & primo quod non requiritur quod faciat omnes partes, alioquin nullum agens naturale faceret aliquod compositum, quià non facit materiam. Secundo quod non aliquam eius partem, aloiquin dealbans parietem artificialitèr, non diceretur facere parietem album, quià nec parietem, nec albedinem facit, sed addit vnum alteri. Et vniuersalitèr si formæ præexisterent per se ipsas antè generationem, & generans esset tantæ virtutis vt generando coniungeret formam cùm materia, nihilominus esset causa illius compositi puta Bouis, si forma Bouis præexisteret. Et ex hac conditionali patet tertium, in quo clauduntur duo prima. Ità Caiet. loc. cit.

229.

229. Adnotat 2. ibidem, quod in generatione hominis, sunt duæ actiones, & duo termini intrinseci earum. Actio quidem vna est simplex emanatio; seù creatio à prima causa Deo glorioso. Altera autèm est seminis, vt instrumentum animæ intellectiuæ modo exposito, seù quod est idem, hominis generantis in quantùm homo. Terminorum autèm distinctio ex eo patet, quod anima intellectiua in instanti quo fit, sortitur duo, scilicet, esse, quià est, & modum essendi, quià inest corpori, seù materiæ corporali vt actus in eo, cuius est actus substantialis. Talis autèm modus essendi, seù in esse potest sumi duplicitèr vno modo pro relatione actualis vnionis intèr animam, & materiam. Alio modo pro fundamento illius, quod nihil aliud est, quàm materiam esse actu formalitèr per animam, quod pertinet ad genus substantiæ, non relationis. Sed rursus istud inesse, seù vnio fundamentalitèr potest vtrimq; accipi, scilicet, ex parte formæ, quià est animam esse, qua formalitèr materia est actu in speciem substantiæ humanæ, & ex parte materiæ, quià est materiam esse actu per animam &c. Ità Caiet. loc. cit. *Doctr. 2. Caiet. ex loc. cit. quomodo in generatione hominis sint duæ Actiones, & duo Termini.*

230. Adnotat insupèr Caiet. ibidem, quod applicando singula singulis, dicendum est primo quod anima rationalis ratione sui esse est terminus intrinsecus creationis in instanti primo quo Socrates incipit esse; quoad suum verò modum essendi, seù inesse non terminat creationem nisi concomitantèr, & in quantùm illud inesse se tenet ex parte animæ. Secundo est dicendum, quod eadem anima rationalis quo ad inesse, seù vnionem &c. vt se tenet ex parte materiæ est propriùs terminus actionis humani seminis, ità quod ab eo effectiuè causatur per se, & directè quoniàm propria actio humani seminis terminatur ad hoc, quod materia subsit animæ intellectiuæ deforis aduenienti, hoc enim operatur, & non frustrà tanto tempore laborat. Vndè si propriè loqui volumus anima est terminus creationis, vnio verò animæ, & corporis est terminus generationis. Et quià non ex anima rationali, nec ex materia, sed ex vnione earum resultat tertia entitas, scilicet, humanitas, apud ponentes dari tertiam entitatem, vel saltem ex, vel in tali vnione consistit compositum, quod est homo; ideò iungendo hæc cùm antedictis, sequitur, quod quià homo mediante suo semine causat actiuè coniunctionem animæ intellectiuæ, cùm materia corporali, ex vel in qua vnione consistit compositum, scilicet, homo, quod homo verè generat hominem, quamuis neutrum partem faciat, & sic verificatur id quod dicit S. Doctor in Resp. ad 4. art. cit. quod homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ. Ex his tu solers disputator, distinguendo animam quo ad esse, vel in esse, distinguas, quod generationem opportet habere terminum formalem quo ad inesse, non quo ad esse, & similitèr quo ad similia videas S. Th. in q. 3. de potentia, & art. 9. & inuenies hæc consona vero. Ità Caiet. in p. p. q. 118. art. 2. in fine. *Doctr. 3. Caiet. ex loc. cit. quomodo anima intellectiua sit terminus generationis, & creationis.*

231. Adnotat 4. Caiet. in q. 90. art. 2. circà creationem animæ, quod posteriores Doctores, de quorum numero est Scotus, putantes se distinctius cautiusq; loqui, distinxerunt, quod creatio potest sumi duplicitèr. Vno modo pro factione rei, nulla omninò materia supposita, & sic sumitur propriè creatio; alio modo pro factione rei in aliquo subiecto præiacente, non tamèn de cuius potentia educatur, sed ab extrà, & sic dicunt animam creari. Et licet hoc dictum non sit falsum, est tamèn rude, & offuscans ingenium, dùm liquida veritas offuscatur: processit enim hoc ex ignorantia creationis, & fieri naturalis penès quid distinguantur. Creari enim est ex nihilo fieri, idest, vt magnus inquit Albertus ex nihilo sui fieri. Philosophicum autèm fieri est ex aliquo sui fieri, & ideò subsistentia tantùm fiunt, & non formæ materiales, nec accidentia. Et ideò nihil obstat creationi simplicitèr, & propriè *Doctr. 4. Caiet. ex p. p. q. 90. a. 2. quomodo creari propriè conuenit animæ nostræ.*

præsupponere subiectum, modò id nihil sit eius, quod propriè fit vt contingit in productione animæ rationalis. Vndè subtilissimè D. Th. cùm probasset, quod anima rationalis propriè fit, subdidit, quod non ex materia corporali, nec spirituali, quæ, scilicet, sit aliquid sui, sicut materia est aliquid, cùm sit pars eius, quod fit ex ea, & suprà hoc fundatur, quod esset naturæ corporeæ. Et hoc benè nota, quoniàm est peripatetica Doctrina præcipuumq; Arist. fundamentum. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 5. Caiet. ex loc. cit. quomodo omnes formæ fiant.

231. Adnotat 5. Caiet. ibidem loc. cit. q. 90. circà factionem formarum, quod hic est sermo de esse, & fieri simplicitèr, idest, finè additione aliqua: & est sermo de eorum proprijs subiectis in propositione. Ità quod sensus est, quod de solis subsistentibus verè, & propriè prædicatur est, & fit, quià sola hæc sunt ea, quibus conuenit esse vt quod, reliquis autèm conuenit vt quo. Nec obstat quod animæ rationali conueniat etiàm esse quo, vt quià est qua homo est, & viuit, quià non conuenit ei vt quo tantùm, sed vt quo, & quod simul; cæteris autèm formis, vt quo tantùm. Vndè Arist. vt Auuerr. in 12. Met. Comment. 18. dicit sola hac via euitauit creationem formarum, quià negauit eas fieri; quià tamèn sunt, & fiunt, dixit, quod fiunt, in quantùm composita fiunt; & sunt in quantùm sunt ea, ex quibus composita sunt; & ideò subtilitèr D. Th. ex eodem fundamento processit, subsumendo, quod anima rationalis verè, & propriè est, & fit, quià subsistit. Ità Caiet. loc. cit.

Opiniones recitatæ à Caiet. in p. p. q. 45 art. 8. in ordine ad factionem formarum.

233. Quo ad 2. Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 45. art. 8. recitando opiniones dicit quod hæc dubitatio, seù quæstio inducitur proptèr formas, quas quidam posuerunt non incipere per actionem naturæ, sed priùs in materia extitisse ponentes satisfactionem formarum, & hoc accidit eis ex ignorantia materiæ, quià nesciebant distinguere intèr potentiam, & actum: quià enim formæ præexistunt in materia in potentia, posuerunt eas, simplicitèr præexistere. Alij verò, de quorum numero videntur Plato, & Auicenna &c. posuerunt formas dari, vel causari ab Agente separato per modum creationis. Et secundum hoc cuilibet operationi naturæ adiungitur creatio. Sed hoc accidit eis ex ignorantia formæ: non enim considerabant, quod forma naturalis corporis non est subsistens, sed quod aliquid est, & ideò cum fieri, & creari, non conueniat propriè nisi rei subsistenti, formarum non est fieri, neq; creari, sed concreata esse, quod autèm propriè fit ab Agente naturali, est compositum quod fit ex materia. Sic solus diuinus Arist. quoad ingenium viam inuenit mediam, qua, & verè res fierent, & nihil fieret ex nihilo sui. Ponendo enim quod formæ sunt, & non sunt absq; generatione, & corruptione idest quod earum non est fieri, nec corrumpi, sed quod sola composita fiunt, generantur, & corrumpuntur, omnia saluauit, semper enim aliquid compositi præest, & remanet materia, sed non quià nihilo fit, sed quià sola composita fiunt, formæ autèm sunt ad factionem compositorum, & non sunt ad corruptionem eorumdem. Creatio ergo non admiscetur operibus naturæ, sed præsupponitur eidem. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Opiniones circà formas corporeas recitantur à Caiet. in p. p. q. 65. art. 4.

In ordine ad formas corporeas Caiet. cum D. Th. itidem in q. 65. art. 4. refert quod opinio fuit quorumdam, quod omnes formæ corporales deriuentur à substantijs spiritualibus, quas Angelos dicimus, & hoc quidem duplicitèr aliqui posuerunt: Plato enim posuit formas, quæ sunt in materia corporali, deriuari, & formari à formis finè materia subsistentibus per modum participationis cuiusdam. Ponebant hominem quemdam immaterialitèr subsistentem, & similitèr equum, & sic de alijs, ex quibus constituuntur hæc singularia sensibilia, secundum quod in materia corporali remanet quædam impressio ab illis formis separatis per modum assimilationis cuiusdam, quàm participationem vocabat. Et secundum ordinem formarum ponebant Platonici ordinem substantiarum separatarum, puta quod vna substantia separata est,

est, quæ est equus, quæ est causa omnium equum, supra quam est quædam vita separata, quam dicebant per se vitam, & causam omnis vitæ. Et vlterius quamdam quam nominabant ipsum esse, & causam omnis esse. Auicenna verò, & quidam alij non posuerunt formas rerum corporalium in materia per se subsistere, sed solùm in intellectu. A formis ergo in intellectu creaturarum spiritualium existentibus, quas quidem ipsi intelligentias, nos autèm Angelos, dicimus, dicebant procedere omnes formas, quæ sunt in materia corporali, sicut à formis, quæ sunt in mente artificis procedunt formæ artificiatorum. Et in idem videtur redire, quod quidam moderni hæretici ponunt, dicentes quidem Deum Creatorem omnium, sed materiam corporalem à Diabolo formatam, & per varias species distinctam. Omnes autem hæ opiniones ex vna radice processisse videntur, quæ confutantur infrà per Conclusiones. Ità Caiet. cum D. Th.

Conclusio responsiua quæsiti ex Caiet. in p.p. q. 65. art. 4. cum probatione primæ partis.

234. Quo ad tertium Caiet. in q. 65. art. 4. pro factione formarum ponit cum D. Th. hanc Conclusionem responsiuam quæsiti. Formæ corporum non per se fiunt, sed eo modo quo fiunt, ab agentibus corporalibus, vt à causis propinquis à substantijs separatis, vt motoribus ad formas, & à Deo vt à prima causa.

Probatur à Caietano prima pars cum D. Th. sic. Eius est fieri, cuius est esse, & eodem modo, quià fieri terminatur ad esse: sed formæ non sunt per se, sed quasi, ipsis composita sint, igitur nec fiunt per se. Cofirmatur auctoritate Arist. 7. Met. qui probat, quod id, quod fit propriè, est compositum; & sic patet radix errorum omnium opinionum suprà, quæ sunt recitatæ.

Probatio Caiet. pro 2. parte.

Secunda pars Conclusionis probatur à Caiet. cum D. Th. sub tali forma adiuncta alia propositione, scilicet, quod vnumquodq; fit à sibi simili, sic probatur eodem medio. Compositum per se primo fit, & forma non fit nisi ad factionem compositi, ergo formæ corporales causantur non quasi influxæ ab aliqua forma immateriali, sed quasi materia reducta de potentia in actum ab aliquo agente composito idest eductæ de potentia materiæ. Probatur consequentia quià omne quod fit fit à sibi simili.

Probetur ergo prima pars sic sub tali forma. Forma non fit, ergo non oppportet ab aliqua forma immateriali eam deriuari. Antecedens patet, tùm ex ratione, quià eiusdem, & eodem modo est esse, & fieri: formæ autèm non sunt, quasi ipsæ sint, ergo nec fiunt. Ista secunda pars deducatur etiàm sic. Compositum fit, ergo à composito, aliàs non fieret à sibi simili, ergo à transmutante materiam de potentia ad actum, quod est educere &c. nullo enim alio modo compositum potest agere. Et his si adiungas, quod forma non alia ratione est, nisi vt qua compositum est, sequitur euidentèr, quod ab eodem composito per transmutationem materiæ educitur forma.

Probatio Caiet. aliarum partium duarum.

Reliquæ verò partes vltimæ duæ Conclusionis, probantur, quià composita agentia mouentur à spiritualibus substantijs, vt Aug. dicit lib. 3. de Trinit. Et insupèr ipsæ species intellectus Angelici reducuntur in primam causam, quasi rationes seminales in agens primarium, & perfectum. Ità Caiet. cum D. Thom. loc. cit. q. 65.

2. Concl Caiet. ex p.p. q. 90. art. 2. pro ipsa anima rationali cũ sua probatione.

235. Secunda Conclusio Caiet. pro anima rationali in p. p. q. 90. a. 2. ponatur sic cum D. Thom. anima rationalis sola intèr formas sensibilium necessariò fit per creationem. Probatur à Caiet. sub tali forma. Anima rationalis sola est subsistens, ergo sola propriè habet esse, ergo fieri, & non ex materia præiacente ergo per creationem. Antecedens patet ex dictis in præcedentibus, & in q. 75. p. p. Prima Consequentia probatur, & primo ex differentia intèr substantiam, & accidens, quià substantia propriè dicitur esse, accidens verò est quo aliquid est. Secundo probatur ex ratione entis, quià, scilicet, ea ratione aliquid dicitur ens, qua se habet

bet ad subsistere, vt patet de Albedine; Tertio auctoritate Arist. confirmatur 7. Met. vbi dicitur, quod accidens dicitur magis entis, quàm ens. Secunda consequentia probatur quià fieri eorumdem tantùm est, quorum esse, quià est via ad esse. Et insuper probatur ex diuisione, quià aut fit ex materia corporali, aut spirituali, non prima quià non sic subsisteret, sed esset forma corporalis, & materialis. Non secunda quià sic substantiæ spirituales transmutarentur ad inuicem, & consequentèr essent corruptibiles. Haberent enim materiam communem, ex cuius potentia educerentur sicut formæ corporales habent materiam sensibilem. Vltima consequentia patet de se. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit. q. 90.

3. Concl. Caiet. in p. p. q. 118. a. 2. cum sua prima probatione pro eadē anima rationali.

236. Tertia Conclusio pro eadem anima rationali in p. p. q. 118. art. 2. ponitur à Caiet. cum D. Th. Hæreticum est, animam traduci cùm semine.

Probatur primo à Caiet. cùm D. Th. ex conditione ipsius seminis. Virtus materialis non potest terminare actionem suam ad effectum immaterialem, virtus seminis est materialis, anima intellectiua est immaterialis ergo &c. Maior, & Minor quo ad primam partem de se patent. Minor pro secunda parte probatur quià habet operationem, in qua non communicat corpus ergo &c.

2. Prob. Caiet. pro 3. Concl.

Secundo probatur à Caiet. ex ratione formæ hominis qua agit. sic. Virtus seminis agit in vi animæ generantis pro vt anima vtitur organo corporeo, ergo non agit in vi animæ prout est intellectiua, ergo non potest producere animam intellectiuam. Antecedens patèt. Prima consequentia probatur, quià vt intellectiua non vtitur organo. Secunda est per se nota. Et confirmatur auctoritate Arist. imò ex hac ratione redditur ratio dicti Arist. lib. 2. de gen. animalium cap. 3. scilicet, quod relinquitur solus intellectus aduenire.

3. Prob. Caiet. pro 3. Concl.

Tertio probatur à Caiet. cum D. Th. quo ad vtrumq; simul. Anima intellectiua est substantia subsistentia subsistens, & immaterialis, ergo sibi debetur, & esse, & fieri proprium, & per creationem solùm: ergo ipsam generari per semen, est ipsam non subsistere, ergo esse corruptibilem, ergo hæresis. Antecedens supponitur, consequentia probatur deducendo singulas partes consequentis ex singulis antecedentis, scilicet, sibi deberi, & esse, & fieri ex substantia, & per creationem tantùm, ex immaterialitate adiuncta. Si enim aliquid subsistit, est ipsum quod est, sed tamèn si est materialis potest per generationem fieri, vt patet de hoc homine, & illo boue. Sed si cum substantia habet immaterialitatem, seù quod ei æquiualet in proposito, simplicitatem, non potest nisi per creationem fieri, eo quod omnis generatio congregat intèr subiectum præsuppositum, & formam, & consequentèr præhabet geniti materiam, & componit. Secunda verò consequentia patet ex destructione consequentis ad destructionem antecedentis primæ consequentiæ: Ponere enim animam generari, destruit ipsam solùm per rationes fieri, quod erat consequens ad subsistentiam immaterialem in antecedente assumptam. Ità Caiet. loc. cit. q. 118.

Arg. 1. Caiet. p. p. q. 118. a. 2. contrà rationem tertiam probationem suprà.

237. Quo ad quartum Arguit Caiet. in p. p. q. 118. art. 2. & simplicitèr, & ad hominem contrà hanc tertiam rationem pro tertia Conclusione, sic. Semen humanum disponit materiam pro anima intellectiua dispositionis necessitate, ergo agit in virtute animæ intellectiuæ vt sic. Antecedens patet, & consequentia patet, quià vis animæ sensitiuæ non necessitare potest intellectiuam, cùm sit altioris ordinis. Et expresse hoc dicitur à Sancto Thoma in quæst. 3. de potentia art. 9. ad quintum.

Resp. Caiet. ad primum Arg.

Resp. Caiet. quod animam Socratis intellectiuam, vt intellectiuam esse actum corporis potest intelligi duplicitèr vno modo, quod reduplicetur ratio formalis, & sic

sic est falsum, sic enim nullo organo corporeo vtitur. Alio modo vt reduplicetur conditio ipsius animæ generantis, & sic est verum, quoniàm entitas illa animæ immaterialis intellectiuæ est actus corporis. Et iuxtà hoc potest concedi, & negari, animam rationalem generantis, habere aliquod organum: quoniam secundum conditionem habet organum, & sic semen disponit vt instrumentum animæ intellectiuæ vt sic, quantùm ad conditionem, quam de facto habet, secundum verò rationem suam non debetur sibi organum. Et propterea semen in virtute etiàm animæ intellectiuæ non potest in animam intellectiuum, sed in dispositiones materiæ, quæ respiciunt animam inducendam non secundum suam formalitatem, qua nullo vtitur organo corporeo, aut dispositione, sed secundum suam conditionem, qua est perfectio, & actus corporis, vt sic terminus proprius actionum respondeat principio. Quià enim principium actionis non est anima intellectiua absolutè, sed secundum conditionem, qua est actus corporis, ideò terminus actionis sui instrumenti, non est anima intellectiua absolutè, sed secundum conditionem, qua est actus corporis, idest secundum dispositiones, & vnionem, vt patet in tertia adnotatione suprà. Ità Caiet. loc. cit.

238. Arguit secundo Caiet. contrà secundam rationem probatiuam tertiæ Conclusionis. Sic. Et si semen, quod est materiale, non possit virtute propria producere animam intellectiuam, virtute tamèn principalis agentis immaterialis potest, sicut dicitur de phantasmate, quod & si non possit producere speciem intelligibilem, virtute tamèn intellectus agentis, qui est immaterialis potest in effectum immaterialem, ergo nulla secunda ratio.

Arg. 2. Caiet. loc. cit. contrà 2. rationem probatiuam 3. Conclusionis.

Resp. Caiet. quod idcirco D. Th. ex hac ratione excludens talem viam, probat quod semen non agit in virtute agentis immaterialis vt sic, quamuis agat in virtute formæ, quæ est immaterialis. Anima enim intellectiua licet in se sit simplex, & immaterialis formalitèr, quià tamèn præ habet eminentèr quidquid aliæ formæ materiales habent, sicuti tetragonum trigonum, ideò distinguitur in seipsam, in quantùm est actus corporis, & in se ipsam in quantum excedit corpus. Et primo habet organa corporea; Secundo verò nullo vtitur organo corporeo. Primo modo est principium omnium actionum pertinentium ad partem sensitiuam, & vegetatiuam; Secundo vero modo est principium pertinentium ad intellectionem. Vndè cùm seminatio, & generatio exerceatur per organum corporeum, consequens est, quod conueniat animæ, in quantùm est actus corporis, & sic est ab anima immateriali, sed non in quantum immaterialis est. Actio autèm intellectus agentis, qua agit ad species intelligibiles, non exercetur per organum, sed est actio formæ immaterialis in quantum immaterialis est, quià non in quantùm vtitur organo corporeo. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad secundum Arg.

239. Arguit tertio Caiet. cum D. Th. ibidem contrà Conclusionem tertiam sic. Vnum, & idem agens est, cuius actio terminatur ad formam, & materiam, alioquin ex forma, & materia non fieret vnum simplicitèr: sed anima intellectiua est forma corporis humani, quod formatur per virtutem seminis, ergo, & anima intellectiua causatur ex semine.

Arg. 3. Caiet. loc. cit. contrà 3. Conclusionem.

Resp. Caiet. cum D. Th. ad tertium aduertendo, quod positio D. Th. distinguit corporeum generans, compositum dispositum disponente materiam, ab ipso introducente formam, quod ab Arist. reprobatur, destruendo idæas, quas ad hoc ponebat Plato, idcircò, ne videamur incidere in id, quod reprehendimus, facta est exceptio de forma hominis in quantùm homo, & assignata est ratio ex parte termini quià intellectus habet operationem, in qua non communicat corpus, ergo non educitur

Resp. Caiet. cùm D. Th. ad 3. Arg.

de

de potentia alicuius materiæ, ergo venit de foris, & sic inueniri poteſt nullum agens corporeum reſpectu ipſius, & cùm maniſeſtè ſemen humanum agat, conſequens eſt quod diſponat, & aliundè Mens veniat. Nec poteſt ſimilitèr fieri exceptio de alijs formis, quià reſpectu earum inueniri poteſt ſufficiens agens corporeum per transmutationem materiæ. Nulla enim earum habet operationem abſque organo corporalis materiæ, & idcircò meritò poteſt de materiæ potentia educi, ac per hoc non eſt opus idæa. S. Th. verò in Reſp. àd tertium videtur aliam tangere rationem huius exceptionis ex parte agentis, quià, ſcilicet, Deus, & naturalia agentia ſe habent ſicut agens principale, & inſtrumentale, ideæ autèm, & agentia naturalia, ſe haberent potiùs vt agentia diſparata, eo quod naturalia non agunt mota ab idæis, ſed vtraque proprijs virtutibus: non ſub ordinatis intèr ſe, quamuis quo ad effectus agerent: ſed omnia agunt mota à Deo ad actiones, &c. Et ideò non inconuenit Dei actionem terminari ad formam, & naturæ ad materiam, quoniam non vt duo agentia, ſed vt agens, & agentis inſtrumentum concurrunt, quæ non duo, ſed vnum completum agens conſtituunt. Ità Caiet. loc. cit. q. 116.

Arg. vnicum Caiet. cùm D. Th. contrà primam Concluſionem ex p. p. q. 65. a. r. 4.

240. Arguit Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 65. art. 4. contrà primam Concluſionem de formis corporeis ſic. Dicit enim Boetius in lib. de Trin. quod à formis, quæ ſunt ſinè materia, veniunt formæ quæ ſunt in materia, formæ autèm, quæ ſunt ſinè materia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, formæ autèm, quæ ſunt in materia, ſunt formæ corporum, ergo formæ corporum non educuntur de potentia materiæ, ſed ſunt à ſpiritualibus ſubſtantijs.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caiet. cum D. Th. quod Boetius intelligit per formas, quæ ſunt ſinè materia, rationes rerum, quæ ſunt in mente Diuina, ſicut etiàm Apoſtolus dicit Heb. 11. vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent Fide credimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei. Si tamèn per formas; quæ ſunt ſine materia, intelligit Angelos dicendum eſt, quod ab eis veniunt formæ quæ ſunt in materia, non per influxum, ſed per motum, vt diximus in Concluſione prima. Ità Caiet. loc cit.

Confirm. Reſp. ex Doctrina D. Th. ad Heb. cap. 11. lect. 2.

D. Th. confirmat prædictam Reſp. ad Heb. 11. dicens, quià apud antiquos communis animi conceptus erat, quod ex nihilo nihil fit 1. Phyſ. Ideò quando videbant, aliquod opus nouum, dicebant, quod eſſet factum ex aliquibus, vndè vel ponebant quodlibet eſſe in quolibet, vt Empedocles, & Annaxagoras. Alij àb idæis, ſicut Plato; Alij ab intelligentia ſicuti Auicenna; Alij verò latitationem formarum ſicuti Anaxagoras. Nos autèm dicimus ſecundùm modum prædictum, quod ex inuiſibilibus rationibus idæalibus in verbo Dei, per quod omnia facta ſunt, res viſibiles ſunt productæ. Quæ rationes, & ſi idem realitèr ſint, tamèn per diuerſos reſpectus connotatos reſpectu creaturæ differunt ſecundùm rationem. Vndè alia ratione conditus eſt homo, & alia equus, vt dicit Aug. lib. 83. quæſt. Sic ergo ſæcula aptata ſunt Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus rationibus idæalibus in Verbo Dei, viſibilia (ideſt creatura omnis) fierent, & hæc verba ſunt etiàm contrà Manichæos. Ità D. Th. ad Heb. 11. lect. 2.

QVÆ.

QVÆSTIO XIX. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm formæ sensibiles in sui prima productione sint à Deo eductæ de potentia materiæ

EX CAIETANO

P.p. q.65. art. 4. & q.90. art. 2. & alibi in Comment.

241. Caietanus explicat titulum quæsiti in varijs locis, occasione distinctionis datæ intèr creationem, & intèr transmutationem per ly fieri ex materia. Vndè tota resolutio quæsiti pendet ex declaratione istius termini, scilicet, quid sit educi de potentia materiæ, pro cuius manifestatione.

Doct. 1. Caiet. ex p.p. q.65. art. 4. quid sit proprie educi formã de potentia materiæ.

Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 65. art. 4. diligentèr, quod formam fieri per transmutationem, & ipsam educi de potentia ad actum non differunt. Et propterea non est idem formam recipi in materia, & educi de ipsa, sed opportet, quod forma ex vi transmutationis resultet. Imaginandum est enim formas omnes educibiles præ esse in materia in potentia, quasi latitantes sub potestate ipsius, & esse in ea vim causatiuam earum, materialitèr tamèn, ità quod accedente determinato agente ad certam speciem, & transmutante materiam, illa ex vi talis mutationis mutatur, non ex eo quod habet in se, aliquid extrinsecus adueniens, sed ex eo quod habet indeterminatè, paulatim determinatur ad habendum distinctè, quod in se prius habebat confusè. Hæc enim est vis determinatæ transmutationis. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p.p. q 90 art. 2. in Resp ad 2. vbi idem declaratur.

242. Adnotat secundo Caiet. in q. 90. art. 2. in Resp. ad secundum, nota, ait Caiet. secretum aliud Peripateticum, quid, scilicet, sit formam educi de potentia materiæ. Formam esse in potentia materiæ, & esse in ea, vt causa non actiua, sed materiali; esse autèm in aliquo, vt in causa materiali, est habere esse dependens ab ea: cum omnis effectus à sua dependeat causa in suo genere causæ: & habere esse confusum idest indistinctè in ea. Non enim in potentia materiæ distinctum habet esse forma aquæ, aut ignis, sed vnum est eorum omnium esse, vt in ea sunt. Et meritò, quià actus est distinguere, esse autèm in potentia materiæ distinguitur contrà esse in actu. Habente ergo materia in se formam secundum esse potentiale nihil aliud est educi formam de eius potentia, quam materiam transmutari transmutatione sufficiente, ità quod ex vi transmutationis materiæ forma resultet, ex quo enim erat in ea secundum esse confusum, ipsa transmutatio continuè appropriat, & distinguit ipsam materiam ad esse illius distinctum, quoniàm continuè alitèr, & alitèr se habet secundum illud per ipsam mutationem formalitèr. Et sic completa transmutatione, qua præcedens compositum transmutatur in aliud compositum, resultat forma. Vndè per oppositum fit homo, quoniàm ex vi transmutationis, qua præcedens compositum mutatur in hominem, nunquàm resultaret anima rationalis, quoniam causalitas materiæ se non extendit ad intellectus opera, ideò non educitur de potentia materiæ. Educi ergo formam de potentia materiæ, est ipsam ex vi transmutationis resultare in ea, &c. Ità Caiet. loc. cit. q. 90.

243. Quo ad secundum Caiet. in p. p. q.65. art. 4. cùm D.Th. refert opinionem affir- *Opiniones rei-*

tate à Caiet. in p.p.q.65. art.4. circa primã pro ductionem formarum.

affirmatiuam diuersimodè tamèn à Platone, Auicenna, & quibusdam modernis hæreticis, dictam. Plato ponit in prima sui conditione formas materialium separatas, iuxtà ordinem ipsarum, & quod ab his deriuantur formæ materiales in materia, & quod hoc fit per modum participationis, & assimilationis cuiusdam, & Auicenna dicit, quod in mente aliquarum substantiarum separatarum, sunt formæ naturalium sicut in artifice, & quod ab illis effluunt formæ naturales. Heretici dicunt Deum esse Creatorem omnium, & Diabolum formare materiam corporalem per varias species. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Conclusio Caiet. cum D.Th.respõsiua quæsiti cum sua probatione in p.p.q.65.ar.4.

244. Quo ad tertium est vnica Conclusio Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 65. art. 4. quæ ponitur sub his verbis, scilicet, formæ corporales in prima rerum conditione absq; vlla eductione fuerunt immediatè à Deo.

Probatur à Caiet. cùm D.Th. sic. Vbi nulla interuenit transmutatio materiæ de potentia ad actum, imò ista obedit ad nutum, ibi nulla est eductio propriè loquendo formæ de potentia materiæ: at sic est quod in prima rerum seù formarum conditione nulla interuenit ex parte Dei transmutatio, & ipsi fuit obediens materia ad nutum, ergo formæ non sunt eductæ à Deo de potentia materiæ, sed immediatè extiterunt à Deo formæ istæ corporales, quas in prima conditione corpora sensibilia habuerunt. Vndè ad hoc significandum Moyses singulis operibus præmittit. Dixit Deus fiat hoc vel illud. Gen. p. In quo significatur formatio rerum per Verbum Dei facta, à quo secundum D. Aug. omnis forma, & compago, & concordia partium. Maior, & minor patent ex prima, & secunda adnotatione suprà. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Arg. vnicum Caiet.contra Conclusionem loc.cit.

245. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà Conclusionem vnico Argumento sic. D. Th. in opusc. 42. sic ait, igitur de potentia materiæ non potest substantialitèr aliquid educi, nisi constituatur corpus, &c. Infrà verò ait. Esse verò corpus in productione formæ de potentia materiæ non accidit proptèr ipsum motum localem: cum corpus cæleste consecutum sit per eductionem suæ formæ de potentia materiæ suæ propriæ, nullo motu locali, vel alteratione præcedenti, ergo essentialitèr natura corporis sequitur eductionem formæ de potentia materiæ. Ità D. Th.

Resp.Caiet. ad Arg. vnicũ comprobatam ab alys Thomistis contra modernos Scotistas.

Resp. Caiet. negando illud opusculum esse D.Th. cùm non sit legitimè computatum intèr alia D. Th. Thomistis verò contendentibus esse legitimum responderi potest iuxtà primam, & secundam adnotationem suprà, scilicet, quod eductio potest sumi duplicitèr. Vno modo formalitèr pro ipsa transmutatione materiæ de potentia ad actum, vel de vna forma ad aliam. Alio modo terminatiuè, & materialitèr pro ipsa re facta, quæ dependet à materia. Et sic concedendo illud opusc. dicitur quod S. Doctor loquitur de eductione in secundo sensu, & non in primo, quod constat ex ibi dictis, Cœlum non esse genitum, sed per simplicem emanationem à Deo immediatè tantùm processisse; & insuper ibi subditur, nec hoc adhuc est, quià educitur sed quià fit vnum ex materia, & forma educta, eductione latè sumpta pro productione rei compositæ ex materia, & forma; & non propriè sumpta, quæ est cum transmutatione materiæ ad nouam formam, quæ est eductio formalis, & dependentia in fieri formalitèr, de qua loquimur hic. Ioannes Martinex de Prado Ord. Præd. in sua Metaphysica sic loquitur cùm Caiet. ijsdem verbis. Regentes Patauini Scotistæ moderni in illa ratione quam formant pro eorum opinione, loquuntur de eductione largè sumpta, quæ est cum sola dependentia à materia, quam etiàm nos concedimus; & ideò nil noui contrà D. Th. & Caiet. qui eadem repetit in articulo præcedenti q. 65. & in q. 46. art. 3. in fine corp. art.

QVAE-

QVÆSTIO XX. PRIMI PHYSICORVM.

An omnis forma accidentalis educatur de potentia materiæ, vel formæ substantialis, seù compositi.

EX CAIETANO

Varijs in locis sed præcipuè ex p. p. q. 77. art. 6. 7. & 8. & vltima quæstione de ente, & essentia 17.

246. CAiet. quærendo in cap. 7. de ente, & essentia in quæstione 17. An accidentia eadem numero sint in genito, & in corrupto declarat titulum supra, & dicit, quod accidens est quædam forma accidentalis, quæ est actus, & in ratione actus, opportet quod habeat proprium subiectum in ratione propriæ potentiæ, & cuilibet actui respondet propria potentia, & talis actus talem potentiam, & actus specificus potentiam specificam, proptèr quod tertio Phys. comm. 10. dicitur quod potentia ad infirmitatem est alia à potentia ad sanitatem, eo quod sanitas est talis actus, vt sit alius ab infirmitate. Quæritur ergo an actus omnes accidentales ordinis naturalis habeant pro subiecto proprio solum materiam, quàm respiciant vt propriam potentiam, de qua educantur, vel etiàm aliqui respiciunt solam formam substantialem, vel compositum vt propriam potentiam. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratur Titulus à Caiet. in cap. 7. de ente, & essentia.

247. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 77. art. 6. cùm D. Th. quod forma substantialis, & accidentalis partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidèm in hoc, quod vtraque est actus, & secundum vtramque est aliquid quodammodò in actu. In primo conueniunt vt in essentiali prædicato, scilicet, esse actum; in secundo conueniunt vt in effectu formali, scilicet, secundum vtramque, aliquid esse in actu. Et ex his datur intelligi tertium, quod subiectum vtriusq; est aliquo modo ens in potentia. Differunt autèm in duobus, primo in qualitate effectus formalis, quià forma substantialis facit esse simplicitèr, & eius subiectum est ens in potentia tantùm; forma autèm accidentalis non facit esse simplicitèr, sed esse tale, aut tantùm, aut aliquo modo se habens. Et hanc comitatur differentia in subiecto, quià illius est ens in potentia tantùm, huius verò ens in actu. Et hinc nascitur differentia secundum ordinem actualitatis: quià actualitas illius, est prior actualitate subiecti: actualitas verò istius est posterior. Et hinc oritur differentia secundum causalitatem, quià actualitas illius causat actualitatem subiecti, istius verò causatur ab actualitate subiecti. Et ratio sequelæ huius quartæ differentiæ ex tertia assignatur: quià primum est causa in quolibet genere: & est, inquit S. Doct. sermo de accidente proprio non aduentitio: hoc enim ab extrà causatur. Secundo differunt quià illius materia est proptèr illam, ista verò æ contrà est proptèr subiectum: & ratio est vtriusque quià minus principale est proptèr principalius: constat enim subiectum principalius esse accidente, & formam substantialem materia. Ità Caiet.

Doctrina prima Caiet. ex p. p. q. 77. art. 6. in quo conueniat, & differat forma substantialis, & accidentalis.

248. Adnotat secundo Caiet. ibidem cùm D. Th. in Resp. ad tertium quod emanatio propriorum accidentium à subiecto, non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem; sicut ex vno naturalitèr aliud resultat, vt ex

Doctrina 2. Caiet. loc. cit. in Resp. ad tertium

R luce

quod emanatio non est eductio.

luce color. Addit Caiet. hoc diligentissimè notato: quoniàm ex ea soluuntur multę difficultates, scilicet, & quomodo substantia est immediatè causa effectiua, & quomodo causa effectiua non potest impediri, & quomodo aliquid agit in se ipsum: & alia huiusmodi, & quæ in suis locis soluimus, vtendo hac distinctione de causa actiua per actionem mediam, & sine aliqua actione media per solam naturalem resultationem; hoc enim modo actiua multa habent, quæ alijs impossibile est conuenire. Ità Caiet. in Resp. ad tertium cit.

Doctrina 3. Caiet. ex cap. 7. de ente, & essentia q. 16. circà finem quod accidentia sunt solius compositi.

249. Adnotat tertio Caiet. in fine q. 16. cap. 7. de ente, & essentia, quod nullum accidens est solius formæ, aut solius materiæ, sed omnia sunt compositi (etenim ad ipsam quoque intellectionem non solùm anima concurrit, sed totum compositum ex materia, & forma: Socrates est enim qui primo intelligit) Diuisio igitur est D. Th. quod accidentium quædam sequuntur formam, non vt causam totalem, sed principalem: quædam similitèr sequuntur materiam, & causam principalem non totalem. Cum enim omnium accidentium causa sit id quod verè est idest substantia composita, omnium causa est compositum ex materia, & forma: sed aliquorum principalis est radix forma, aliquorum verò principalis est radix materia. Sicut enim in artificialibus aliquid conuenit composito ratione formæ, & aliquid ratione materiæ, quemadmodum scindere conuenit serræ ratione formæ, durities autèm ratione materiæ: ità & in naturalibus aliquid oritur in composito ratione formæ, & aliquid ratione materiæ: quemadmodùm in Socrate sentire, & intelligere est ratione formæ, masculinum verò ratione materiæ. Caiet. q. 16. c. 7. de ente, &c.

Doctrina 4. Caiet. ex eodem loc. cit. in fine quomodo aliquod accidens sit etiàm solius formæ.

250. Adnotat quarto Caiet. ibidem loc. cit. in fine q. 16. quod ista duo non contradicunt. Omne accidens est compositi, & aliquod accidens est solius formæ: quià accidens esse alicuius potest intelligi dupliciter. Vno modo vt completi principij elicitiui, & receptiui. Alio modo vt suppositi: hoc secundo modo omne accidens est compositi cuius est esse, & fieri; vnde anima non intelligit vt suppositum quod operatur, sed Socrates per animam. Primo verò modo aliquod accidens est ipsius animæ, & aliquod est compositi: Virtus enim intellectiua non est subiectiuè in aliqua parte corporis composita ex materia, & forma: sed est subiectiuè in sola essentia animæ: vndè in tertio de anima tex. 4. dicitur, quod intellectus nullius est corporis actus. Virtutes autèm sensitiuæ non sunt subiectiuè in sola anima: sed in determinatis corporis partibus compositis ex materia, & forma substantiali. Similitèr completum elicitiuum principium sensationis non est sola potentia animæ, sed compositum ex organo corporali, & virtute animæ. Intellectionis autèm principium elicitiuum completum est ipsa sola virtus intellectiua: & cùm operatio immanens sit subiectiuè in suo elicitiuo principio, intelligere erit in solo intellectu sicuti in subiecto: non ergo contradicunt ista. Omne accidens est compositi, vt suppositi, & aliquod accidens est solius formæ, vt completi principij elicitiui & receptiui. Et licet totus sermo sit de accidentibus substantiarum materialium: ex his tamèn innuitur natura accidentium, quæ sequuntur formam independentem à materia. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 5. Caiet. ex loc. cit. in fine q. 16. quæ sint in accidentia sequentia materiam.

251. Adnotat quinto Caiet. ibidem loc. cit. in fine q. 16. quod accidentium sequentium materiam quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem, quædam in ordine ad formam specialem. Illa accidentia dicuntur sequi materiam in ordine ad formam generalem quæ indiuiduo generis altioris conueniunt ratione magis suæ materiæ, quàm formæ; sicut hoc mixtum habet cutis nigredinem non ex ratione formæ mixti, sed quià materia sua talis passa est, puta in tali climate, vbi calor Solis abbundat. Illa verò dicuntur consequi materiam in ordine ad formam specialem, quæ indiuiduo inferioris generis vel speciei conueniunt magis ratione materiæ, quàm

for-

formæ: sicut hoc animal est masculinum non ratione animæ principalitèr, sed quià materiam ad animam dispositam talis passio comitata est: puta quià materia pleno dominio actui vigorosi seminis subiecta non fuit. Signum autèm quod talitèr accidentia se habent, scilicet, quod sequuntur materiam, secundum quod respicit formam altioris, vel inferioris generis, est quod aliqua eorum eiusdem rationis remanent composito corrupto: & quædam non remanent, nisi æquiuocè; nigredo siquidem hominis viui, & mortui eiusdem rationis est: masculineitas autèm non. Causa autèm huius nulla alia est, nisi quià masculineitas sequitur animal ratione suæ propriæ materiæ: & propterea corrupto animali, & non remanente nisi æquiuocè, oportet masculineitatem, in cuius ratione ponitur animal, æquiuocè remanere. Albedo autèm quià mixti materiam sequitur in cadauere remanentis, secundum eamdem diffinitionem, non æquiuocè remanet. Ità Caiet. loc. cit.

252. Adnotat sexto Caiet. in q. 17. de ente, & essentia c. 7. quod accidentia indiuidui consequuntur compositum ratione materiæ principalitèr: accidentia verò speciei, vel generis sequuntur compositum ratione formæ. Secundo differunt, quod accidentia indiuidui sunt ea penès quæ attenditur differentia intèr particularia eiusdem speciei: Accidentia verò speciei, siuè generis sunt communia necessariò omnibus indiuiduis illius speciei, vel generis. Exemplum, masculinum, & fæmininum sunt accidentia indiuidualia: sequuntur enim materiam, & penès ipsa differunt Socrates, & Berta. Risibile autèm est accidens specificum, sequitur enim intellectiuam apprehensionem, & omnibus hominibus, necessariò conuenit. Assignatur quoque à D. Th. radix proximæ differentiæ cum dicitur, quod materia est principium indiuiduationis, forma autèm est per quam res in genere, vel specie collocatur, ex hoc enim quod materia est causa esse indiuidualis vt sic: sequitur quod etiàm sit radix accidentium consequentium ipsum esse indiuiduale; ac per hoc accidentia indiuidui sunt quæ consequuntur materiam: ex eo autèm quod forma est principium esse generici, vel specifici, oportet, quod etiàm sit causa proprietatum, & accidentium consequentium speciem, vel genus: & sic accidentia speciei, siuè generis sequuntur formam. Ratio verò secundæ differentiæ est, quià cùm tàm in forma specifica, quàm generica conueniant omnia contenta sub eis, oportet etiàm proprietates earum omnibus esse communes. Cùm autèm penès materiam differunt indiuidua, accidentia quoque materialia oportet esse ea, secundum quæ ipsa particularia intèr se differunt, vt effectus proportionabilitèr proprijs respondeant causis. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina 6. Caiet. in q. 17. de ente, & essentia quæ accidentia consequantur compositum ratione materiæ, & formæ.

253. Quo ad secundum Caiet. in p. p. q. 77. art. 6. 7. & 8. cùm D. Th. loquendo de formis seù accidentibus proprijs quæ fluunt ab anima, & sunt ipsius compositi hominis ratione suæ formæ; & præcipuè loquendo de potentijs sensitiuæ partis, & nutritiuæ in art. 8. in fine D. Th. ait falsum esse, quod quidam dicunt, huiusmodi potentias in anima remanere etiàm corpore corrupto, & multo falsius, quod dicunt etiàm actus harum potentiarum remanere in anima separata: quià talium potentiarum nulla est actio nisi per organum corporeum. Et addit Caiet. excluditur à D. Th. hæc positio dicentium potentias omnes remanere actu, & dicentium actus remanere. Quod ideò est falsum, quià dato quod manerent potentiæ actu, vt Plato dicit, non maneret tamèn actus proptèr defectum organi ministrantis, sicut non remaneret locutio sinè lingua, quamuis in homine esset vis locutiua cæterùm quænam accidentia educantur de potentia subiecti, & à quo subiecto ex doctrinis suprà habes. Ità Caiet. loc. cit.

Opiniones de formis, & accidentalibus explosa à Caiet. in p. p. q. 77. art. 8.

254. Quo ad tertium Caiet. cum D. Th. format hanc Conclusionem in p. p. q. 77. art. 7. Omnes formæ accidentales, quæ connaturalitèr sequuntur ad formam sub-

Conclusio prima Caiet. responsiua

quæsiti ex p.p. q. 77. art. 6. 7. & 8. cum sua probatione.

stantialem eductam de potentia subiecti, & quæ per se, & saltèm per accidens concomitantur ipsam eductionem, etiam educuntur de potentia subiecti, in quo recipiuntur. Probatur à Caiet. sic: Ex vi eiusdem actionis, qua producitur forma substantialis, producuntur, & formæ accidentales, quæ connaturalitèr, & per se, consequuntur ad illam: sed talis actio dicitur eductiua formæ substantialis, ergo, & est eductiua aliarum accidentalium: etenim sicut, & illa fit dependentèr à materia, vt explicauimus in præcedentibus, ità & istæ fiunt dependentèr à subiecto in quo recipiuntur: propriè tamèn loquendo dicuntur potius coeduci, quàm educi, quià ad eductionem formæ substantialis. Ità Ciet.

2. Conclusio Caiet. ex q. 16. de ente, & essentia cap. 7. cum sua probatione.

255. Secunda Conclusio Caiet. in q. 16. de ente, & essentia cap. 7. substantia est causa accidentium. Probatur à Caiet. cum D. Th. sub tali forma. Maximè, & verissimè ens est causa reliquorum entium: substantia est maximè, & verissimè ens: ergo substantia est causa aliorum entium. sed talia sunt accidentia, ergo minor vera ex 7. Met. patet in principio. Maior vero ex 2. Met. comm. 4. vbi dicitur, quod vniuersalitèr id quod est maximè tale in aliquo ordine est causa omnium aliorum in illo ordine vt sic: sicut ignis, qui in ordine calidorum est maximè callidus, omnium calidorum est causa vt sint calida quià igitur substantia, & accidens in nomine, & ratione, analoga tamen, entis conueniunt, & substantia maximè est ens: ideò causa est omnium aliorum vt entia sint. Ità Caiet.

3. Conclusio Caiet. ex p p. q. 77. art. 6. cum sua probatione de formis accidentalibus animæ rationalis.

256. Tertia Conclusio Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 77. art. 6. loquendo de formis accidentalibus talis formæ substantialis, scilicet animæ rationalis non eductæ de potentia materiæ, fluunt ab essentia animæ. Probatur à Caiet. cum D. Th. sic. Accidens proprium causatur à subiecto secundum quod est actu, & recipitur in eo secundum esse in potentia, ergo omnes potentiæ animæ fluunt ab essentia. Antecedens patet ex prima differentia: consequentia probatur diuidendo, quià potentiæ animæ aut sunt in sola anima subiectiuè, & sic, ergo ab ipsa secundum rationem actualitatis, & in ipsa ratione potentialitatis admixtæ sunt; aut in composito, ergo ab ipsa anima sunt, quià compositum non est actu, nisi ratione animæ. Ità Caiet.

4. Conclus. Caiet. loc. cit. art. 8. cum sua probatione.

257. Quarta Conclusio. Potentiæ existentes in sola anima, vt subiecto, remanent destructo corpore, & existentes in composito vt subiecto non remanent actu, sed virtualitèr tantùm. Declarantur, & probantur simul, ex conuenienti, & disconuenienti habitudine potentiarum ad animam. Conuenienti quidem in hoc, quod omnes sunt à sola anima vt principio; disconuenienti verò in hoc, quià quædam in sola anima vt intellectus, & voluntas: quædam in composito sunt vt omnes potentiæ partis sensitiuæ, & nutritiuæ. Et hoc specialitèr probatur quo ad secundam partem, quià corrupto subiecto, impossibile est accidens remanere; quo ad tertiam verò, quià anima est radix omnium. Ità Caiet. cum D. Th. in art. 8. loc. cit.

Arguit Caiet. contrà 4. Conclusionem ex eodem loc. cit. art. 8.

258. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà istam Conclusionem, scilicet, contrà illam propositionem in qua dicitur, quod omnes potentiæ animæ comparantur ad animam solam, sicut ad principium. Si sola anima est principium omnium potentiarum, ergo nihil aliud ab anima est principium alicuius potentiæ animæ, ergo compositum nullius potentiæ est principium, ergo falsum est quod subiectum sit causa proprij accidentis in triplici genere causæ, scilicet, efficientis, finalis, & materialis.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

Resp. Caiet. ad Argumentum, & primo distinguendo ly esse principium, scilicet, primò, vel ratione partis, & dicendo quod sola anima est primo principium potentiarum omnium, & quod compositum non est earum principium nisi ratione partis, scilicet animæ, vndè à D. Th. non dicitur absolutè, quod subiectum sit principium proprij, sed subiectum secundum quod est actù est principium proprij, constat autèm

tèm subiectum compositum esse actu secundum formam, igitur secundum eam habet hoc, quod sit principium actiuum potentiarum, & proptèr hoc est posita illa propositio.

Secundo Resp. Caiet. quod sustinẽdo cõpositum ratione tertiæ entitatis esse principium actiuum completum respectu potentiarum suarum, quod ly sola tenetur categorematicè, ità quod sensus est, quod anima solitariè sumpta, habet hoc, quod sit principium actiuum omnium potentiarum. Cum hoc tamèn stat, quod compositum etiàm sit actiuum principium quarumdam, quamuis diuersimodè, quià illa incompletum, hoc completum. Et hic sensus etiàm habetur ex supradictis, dùm dicimus, quod essentia animæ est actiuum principium omnium potentiarum, non explicando completum, vel incompletum, & ad intentum nunc deseruit, quià intenta differentia saluatur, scilicet, quod anima sola, idest ipsa vt distinguitur cõtrà compositum, habet hoc, quod est principium omnium potentiarum, sed non habet hoc, quod sit subiectum omnium potentiarum, sed quarumdam opportet esse compositum. Ex hac differentia, deducta est Conclusio 4. quo ad omnes suas partes. Ità Caiet. a. 8. cit. *Resp. Caiet. ad 2. Arg. secunda.*

260. Arguit Caiet. in q. 17. cap. 7. de ente, & essentia, & primo sic. Qualitèr sit verum quod Accidentia sequentia materiam sint ea penès, quæ differunt indiuidua in eadem specie: quandoquidem quantitas sequitur materiam: & tamèn communis est omnibus indiuiduis corporum, & inferiorum. *Arguit 1. Caiet. contrà prædictas doctrinas. Ex q. 17. c. 7. de ente, & essentia*

Secundo Arguit sic. Qualitèr verificetur, quod accidentia sequentia materiam, non sint passiones, generis vel speciei, cum masculinum, & fœmininum sequatur materiam: & tamèn passiones sunt animalis; vndè, & animal in eorum diffinitione ponitur, sicut subiectum in diffinitione passionis, vt in 10. Met. tex. 25. habetur. Similitèr quantitas videtur esse passio Corporis de prædicamento substantiæ, & tamèn sequitur materiam. *2. Arg. ad idem.*

Resp. Caiet. ad primum quod verba illa, scilicet, accidentia sequentia materiam sunt ea secundum quæ indiuidua differunt, non esse intelligenda vniformitèr, sed difformitèr. Indiuidua enim differũnt penès accidentia materialia duplicitèr vel quià vnum eorum habet vnum, & reliquum aliud: vel quià vtrumq; habet idem, sed alio, & alio modo v. g. Socrates, & Berta differunt penès masculinum, & fœmininum ex eo, quod ille habet masculineitatem, illa fœmineitatem. Differunt quoque penès suam quantitatem, non ex eo, quod ille sit quantus, ista non, sed ex eo, quod non eodem modo sunt quanti: nunquàm enim inueniuntur duo quanta omninò similia: sitibus siquidem proprijs differre necesse est. Quantitas ergo licet sit communis omnibus indiuiduis, quià tamèn non vniformitèr eis conuenit, est secundum quam indiuidua intèr se differunt secundo modo, & hoc sufficit. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad 1. Argumentũ.*

261. Resp. Caiet. ad secundum, quod passiones generum sunt duplices: quædam conuenientes eis ratione formæ genericæ, & quædam ratione materiæ. Illæ quæ sequuntur formam vocatæ sunt hic passiones generum, & non illæ, quæ sequuntur eorum materiam, propterà quià natura generica ex sua forma est talis, & non ex materia: animal enim est animal ex sua forma, & non ex sua materia. Vndè cum in proposito animalis passio ratione formæ sit sensibilitas, & ratione materiæ masculineitas, vel fœmineitas, diuersis rationibus moti Arist. in Met. & S. Th. hic, diuersimodè locuti sunt. Quià enim est passio animalis ratione materiæ, ideò vocata est ibi passio: quià autèm non ratione formæ, ideò hic non est dicta Passio. *Resp. Caiet. ad 2. Arg.*

Similitèr dicendum est de quantitate, quià sequitur corpus ratione materiæ: sequitur enim ipsum secundum id quod est in propria diuisibilitate, quod non est nisi materia, vt indiuisibilitas rerum immaterialium ostendit. Ità D. Th. loc. cit. de ente &c.

QVAE-

QVÆSTIO XXI. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm detur potentia naturalis in rebus, ex quibus educantur accidentia supernaturalia

EX CAIETANO

In Tomo 3. opusc. Tractatu 3. quæst. secunda.

Titulus aperitur à Caiet. Tyronibus Thomistis ex quæst. secunda cit.

262. CAiet. in primis declarat titulum sic. loc. cit. Potentia receptiua hic sumitur formalitèr vt receptiua est, quidquid sit de ipsa, vt actus elicitiua. Actus supernaturalis dicitur, quem non potest secundum naturæ cursum adpisci, vt Gratia, Charitas, Visio Dei, & reliqua huiusmodi. Potentia naturalis vocatur, non subiectiuè idest potentia naturæ, sed formalitèr idest potentia naturalitèr, inclinata. Itá quod sensus quæstionis est. Vtrùm potentiæ in rebus naturalibus inuentæ, in quibus recipiuntur actus, qui sunt formæ, supernaturales, naturalitèr inclinentur ad illos, & ab ipsis educantur. Itá Caiet. q. 2. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex q. 2. de ente cit qu modo sumitur supernaturale.

263. Quo ad 2. Caiet. in illa quæst. 2. cit. notat contrà Scotum, quod malè vtitur vocabulis, & in primis vtitur ly supernaturale, dùm omnem actionem Dei ad extrà supernaturalem vocat, quià Deus est agens non naturale, sed liberum. Constat namq; quod alia est distinctio naturalis contrà supernaturale, & alia naturalis contrà liberum. Primo namq; modo anima Scoti producitur naturalitèr; secundo autèm non. Vndè nisi vocabulis abuti velimus ad placitum cuiusq; supernaturale est quod suprà facultatem Creaturæ est secundum ordinem ei debitum. Omnes enim naturalia à supernaturalibus distinguimus frequenti vsu per hæc, quod aliquid sit secundum debitum naturæ ordinem, & aliquid sit suprà illum. Itá Caiet.

Doctr. 2. Caiet. ex lo. cit. quid sit actus supernaturalis.

264. Adnotat 2. Caiet. ibidem quæstione secunda pro ratione probatiua Conclusionis ex parte actus assumpta. Quod actus supernaturalis duplicitèr inuenitur, scilicet, secundum se vt Gratia, & secundum talem modum essendi, vt visus cæco datus. Visus enim secundum se est naturalis actus hominis, sed quod cæco in instanti detur, supernaturale est. Charitas verò, & talia, sunt secundum se actus supernaturales: adeò vt implicet contradictionem connaturales esse aut fieri, alicui creaturæ factæ, vel factibili; vt etiàm ipse Scotus fatetur in 2. sent. dist. 23. Itá Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti recitata à Caiet. loc. cit.

265. Quo ad 2. Caiet. recitat opinionem Scoti sic, Scotus in p. q. p. prolog. & in q. 4. dist. 49. in pluribus locis tenet affirmatiuam partem quæstionis: putat namque, quod potentia comparari potest ad actum recipiendum, & ad agens impressiuum actus, & quod in prima comparatione nulla est supernaturalitas, sed potentia est, vel naturalis, vel violenta, vel neutra. In secunda autèm comparatione est differentia naturalitatis à supernaturalitate: quoniàm si comparatur ad agens naturalitèr impressiuum est naturalitas: si non naturalitèr impressiuum, est supernaturalitas. Itá Caiet. de opinione Scoti loc. cit.

Conclusio Caiet. contrà Sco-

266. Quo ad tertium est vnica Conclusio Caiet. contrà positionem Scoti responsiua quæsiti. Potentia ad actus supernaturales, non est naturalis, sed obedientialis. Pro-

Probatur à Caiet. tripliciter. Et primo ex parte actus sic. Si secundum Scotum in natura nulla est naturalis potentia ad actum supernaturalem ratione modi vt sic, sequitur à fortiori, quod nulla est naturalis potentia ad actum supernaturalem simplicitèr ergo &c. patet hoc ex frequenti vsu, quo naturalem potentiam ad miracula negamus, & ex hoc sequitur quod supernaturalitas inuenitur, non solùm comparando potentiam ad agens proptèr supernaturalem acquisitionem actus, sed etiàm comparando potentiam ad actum proptèr supernaturalitatem actus in se, vt dicitur in secunda adnotatione suprà. Ità Caiet. 2. q. cit.

tum ex loc. cit. q. 2. de ente cum sua prima probatione ex parte actus.

Secundo probatur à Caiet. ex parte potentiæ. Potentiæ omni passiuæ naturali respondet aliqua potentia actiua proxima, ergo respondet potentia actiua naturalis. Antecedens est maxima assumpta ab Arist. 3. de Anima tex. 17. ad probandum dari intellectum agentem. Fundatur enim super hoc, quod in omni natura, vbi est patiens, opportet ponere agens. Et certum est quod de proximo, non de primo, agente loquitur, alioquin distributiuam non fecisset dicens in omni natura &c. Et per hoc excluditur responsio Scoti dicentis, quod sufficit quod detur primum agens. Consequentia autèm probatur quià potentia supernaturalis non est proximum actiuum naturalis potentiæ, vt ex terminis patet: naturale enim soli naturali cognatum est. Ità Caiet. loc. cit.

2. Prob. Concl. ex parte potētiæ.

Tertio probatur à Caiet. ex parte subiecti. Cum enim quidditatiua cognitio alicuius sit sufficiens ratio omnium proprietatum eius, & ex ea soluantur omnes difficultates contingentes rei, vt in 4. Phys. dicitur, consequens est, quod cognita quidditatiuè re aliqua, cognosci ex ea possint omnes naturales potentiæ, & cùm potentiæ cognitio ex actu pendet, vt dicitur 9. Met. consequens est, quod actus ad quos sunt naturales potentiæ, cognoscatur; & cùm huiusmodi actus sint supernaturales apud Scotum, sequitur de primo ad vltimum, quod ex cognitione quidditatiua alicuius naturalis cognoscuntur supernaturalia, quod est manifestè falsum.

3. Prob. Caiet. ex parte subiecti.

Et Confirmatur quià certò scimus hanc maiorem, quod naturalis potentia non est frustrà, ergo scimus hanc minorem, quod in materia, vel anima, vel quacumq; alia re est naturalis potentia ad actum supernaturalem: ergo opportet concedere quod scimus supernaturalia illa debere esse, & sic scimus resurrectionem mortuorum futuram, & Gratiam iustificantem impium &c. quod est ridiculum. Nec euacuat hanc rationem. Responsio Scotica, dicens quod anima secundum illam rationem est ignota. Cognitio namq; quidditatiua alicuius, nihil naturale illius incognitum relinquit: quoniàm continet formalitèr, vel virtualitèr omnem illius notitiam. Nec euaditur dicendo, quod substantia non potest à nobis pro statu isto quidditatiuè, & propriè cognosci: quoniàm quidquid sit de hoc, intentum habetur, scilicet, quod ex quidditatiua rerum naturalium cognitione, siuè habeatur pro statu isto, siuè non, possit haberi scientia de supernaturalibus; & sic reuelatio de Gratia, Beatitudine pollicita, resurrectione, & alijs huiusmodi, ad quæ naturalis ponitur potentia receptiua non frustrà, erit necessaria secundum quid, scilicet, pro statu isto, & non simplicitèr, quod est manifestè falsum. Ità Caiet. loc. cit.

Confirm. Caiet. pro 3. probatione.

267. Conclusio 2. Caiet. ex D. Th. in q. 3. de potentia art. 8. ad 3. & ad 5. & art. 10. ad 13. & ex 3. p. q. 13. art. 2. dicit sic. Accidentia supernaturalia simplicitèr fiunt per actionem eductiuam, vt opponuntur actioni creatiuæ, & dicuntur educi, non de potentia naturali, sed obedientiali subiecti.

2. Concl. Caiet. responsiua quæsiti in loc. cit. cū sua probatione.

Probatur à Caiet. cum D. Th. sic. Accidentia ista non fiunt ex nihilo simplicitèr, ergo non potest dici, quod simplicitèr creantur, ergo de aliqua potentia educantur, non naturali, quæ non est, ergo obedientiali subiecti in quo recipiuntur; patet

tet iste discursus, ait Caiet. quià esto fiant sola virtute diuina, quæ creatiua est, & ex hoc dicantur fieri de nihilo potentiæ naturalis: non tamen negatur omninò causa materialis, scilicet, potentia subiecti obedientialis, quatenus illud subiectum subest virtuti diuini agentis, & sic de hac potentia dicuntur educi, quià ex nihilo simplicitèr non fiunt. Ità Caiet.

Argu. Caiet. vnicum ex Scoto contrà 1. Concl. q. 2. de ente cit.

268. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà primam Conclusionem ex Scoto q. 2. loc. cit. de ente sic. Potentia receptiua actus supernaturalis, se ipsa est receptiuè capax illius, & naturalitèr perficitur per illum, cũ habet, & naturalitèr appetit illum. Ex his manifestè sequitur, ergo naturalitèr inclinatur in illum: ergo est potentia naturalis respectu illius. Singula autèm assumpta probantur. Primum quidèm quià nullo eget potentia animæ medio ad recipiendam Charitatem, & similitèr intellectus respectu luminis gloriæ &c. Secundum verò, quià potentia naturalitèr perficitur per actum, qui est eius perfectio. Tertium autèm, quià vnumquodq; appetit naturalitèr suam perfectionem, sed maximè naturalitèr appetit maximam perfectionem, ex principio Metaphys. sed actus supernaturalis, vt visio Dei &c. Maxima est perfectio ergo &c. Sumus igitur secundum hæc in naturali potentia ad supernaturales perfectiones: non possumus tamèn acquirere eas nisi supernaturalitèr quià opportet acquisitionem hanc ab agente supernaturali, scilicet, Deo glorioso causari.

Resp. Caiet. ad Arg. vnicũ Scoti ex q. 2. de ente cit.

Resp. Caiet. loc. cit. quod Ratio ista assumpta à Scoto, manifestè, aut est falsa, aut petit principium. Cùm enim dicit, quod potentia naturalitèr perficitur per suum actum, & similitèr appetit suam perfectionem: aut ly suum, significat suum per informationem actu, vel potentia, aut per ly suum, naturalem proportionem, seù inclinationem. Si primo modo falsa est Maior: Graue enim existens sursum, non naturalitèr, sed violentèr perficitur per esse sursum, & tamèn esse sursum est actus, & perfectio eius per informationem. Si verò secũdo modo petitio est principij in minori: hoc enim est probandum, scilicet, quod potentia naturalis habeat actum supernaturalem, vt suum hoc modo. Quod enim quoq; dicitur de immediata receptione, ad propositum nihil infert. Æs enim immediatè est receptiuum figuræ Mercurij, & tamèn non naturalitèr. Conclusio igitur Scoti principalis, vt voluntaria relinquitur, & vt irrationabilis est ostensa probando oppositum per nostram primam Conclusionem. Ità Caiet. loc. cit. q. 2. de ente.

QVAE-

QVÆSTIO XXII. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm omne causatum ab aliquo agente sit compositum

EX CAIETANO

In p. p. q. 3. art. 7. & 8. & alibi.

269. CAiet. in præsenti instituit de ipso composito post declarationem materiæ primæ, & formæ, prout sunt principia in fieri, & in facto esse eiusdem compositi hanc subtilissimam quæstionem propriam huius primi libri Physicorum, scilicet, cùm omnis res naturalis ab agente Physico causata admittat compositionem in se, & possit ipsum causatum dici, & denominari compositum naturale Physicum, vt relinquatur quæstio Metaphysicalis de composito ex genere, & differentia. Ità explicat titulum Caiet. in p. p. q. 3. art. 7. quærendo vtrùm Deus sit omninò simplex, & in art. 8. quærendo D. Th. Vtrùm Deus in compositionem aliorum veniat, quià venire in compositionem alicuius, exigit quatuor conditiones. Prima est distinctio realis ab illo, quià eiusdem ad se ipsum non est compositio. Secunda est coniunctio realis cùm illo, quià ex sola coniunctione secundum rationem non fit compositio. Tertia est quod coniunctio sit secundum esse, quià ex sola coniunctione reali secundum situm, vel alium respectum intrinsecum non fit compositio. Quarta quod alterum sit actus alterius, vel tertij actuati ab vtroq; si sit compositio per accidens, qualis est intèr album, & dulce. Si enim aliqua duo iungantur etiàm secundum esse, & non in ratione actus, & potentiæ, nunquàm est compositio, vt patet de personis diuinis, & de Verbo diuino Incarnato: deest enim in huiusmodi ratio actus, & potentiæ. Ità Caiet. p. p. q. 3. art. 8. in explicatione tituli. *Status Controuersiæ aperitur à Caiet. in loc. cit. Tyronibus Thomistis.*

270. Quo ad primum Adnotat Caiet. in p. p. q. 3. art. 7. quod multiplex est compositio, qua denominatur ipsum compositum quod est causatum, scilicet; prima quantitatiuarum partium vt corpus; secunda formæ, & materiæ; tertia naturæ, & suppositi; quarta essentiæ, & esse; quinta generis, & differentiæ; sexta subiecti, & accidentis. Et quià omne compositum est aliquid, hoc non conuenit alicui suarum partium; & quidem hoc manifestum est in totis dissimilium partium: nulla enim partium hominis est homo neq; aliqua partium pedis est pes. In totis verò similium partium, licet aliquid, quod dicitur de toto, dicatur de parte, sicut pars aeris, est aer, & aquæ aqua, aliquid tamèn dicitur de toto, quod non conuenit alicui partium, non enim si tota aqua est bicubita, & pars eius. Sic igitur in omni composito est aliquid quod non est ipsum. Hoc autèm, & si dici possit de habente formam, quod, scilicet, habeat aliquid, quod non est ipsum: puta in albo est aliquid, quod non pertinet ad rationem albi: tamèn in ipsa forma nihil est alienum. Et sic ea, quæ sunt à Deo, scilicet, causata, imitantur Deum vt primam causam; est autèm hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum, quià ad minus esse eius, est aliud, quàm quod quid est, hinc ratio irrefragabilis, quod omnium creabilium essentia realitèr differat ab esse suo in sententia S. Doct. Ità Caiet. p. p. q. 3. art. 7. in fine corporis, & in Resp. ad primum eiusdem art. *Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 3. a. 7. quotuplex compositio.*

Doctr. 2. Caiet. ex art. 8. q. cit. quomodo compositum sit per se primo agens.

271. Adnotat 2. Caiet. loc. cit. art. 8. in secunda ratione D. Th. quæ est huiusmodi. Cùm Deus sit prima causa efficiens eius est per se primo agere; quod autèm venit in compositionem alicuius non est primo, & per se agens, sed magis compositum, non enim manus agit, sed homo per manum, & ignis calefacit per calorem. Notat Caiet. circà ly, sed magis compositum, quod est cautè interpretandum hoc dictum, non enim affirmat, compositum per se primo agere, quod negatum est in art. 2. q. 3. cit. sed affirmat comparatiuum, quod agere per se primo magis conuenit composito, quàm componenti, quià illud est quod agit: hoc verò est quo, cùm hoc tamèn stat, quod absolutè, nec componens, nec compositum potest esse per se primo agens, vt prædictum est. Ità Caiet. art. 8. loc. cit.

Opinio Scoti recitata à Caiet. in art. 7. cit. in Resp. ad primũ.

272. Quo ad secundum Caiet. in Resp. ad primum art. 7. q. 3. cit. breuitèr recitat positionem Scoti, qui in p. sent. dist. 8. dicit, omne causatum est compositum hanc positionem D. Th. reprehendit ex ratione infrà soluenda suo loco; hinc Scotus tenet absolutè ex sua ratione, quod non omne causatum est compositum, vt nos absolutè tenemus ex prima adnotatione, & secunda. Ità Caiet.

Concl. Caiet. vnica cum sua probatione ex a. 7. cit.

273. Quo ad tertium Vnica Conclusio Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 3. art. 7. Omne propriè causatum, & non largè, est verè compositum.

Probatur à Caiet. sic. Cùm D. Th. Cuius est propriè fieri, & esse, propriè est etiàm esse compositum: sed causati non largè, sed propriè sumpti, est propriè fieri, & esse: ergo, & ipsius causati non largè, sed propriè erit esse compositum, ergo vera Conclusio. Maior est S. Doct. dicentis in Resp. ad 1. art. 7. cit. quod ad minus esse eius, est aliud quàm quod quid est suo, vt compositiua sunt. Minor probatur quià causata largè dicta dicuntur potiùs concausata, vel concreata: illud verò, quod simplicitèr, & propriè est causatum, habet propriè fieri, & esse, & per consequens causatum propriè, ergo compositum propriè. Ità Caiet.

Arg. vnicum Caiet. ex Scoto in art. 7. q. 3. p. p.

274. Quoad 4. Arguit Caiet. ex Scoto contrà hanc Conclusionem art. 7. q. 3. cit. in p. p. sic. Si quodlibet causatum est compositum, accipiantur componentia, aut sunt simplicia, aut iterùm composita, & sic aut procederetur in infinitum: aut erit status ad res simplices componentes; & cum constet componentia esse causata, sequitur, quod non omne causatum est compositum vt dicitur à D. Thom. in illo art. 7. cit.

Resp. Caiet. ad Arg. ibidem loc. cit.

Resp. Caiet. ad hoc breuitèr dicitur, quod obiectio ex malo intellectu procedit: Causatum enim, vel Creatura potest sumi duplicitèr, propriè, scilicet, & largè, si sumitur propriè, sic cùm tàm causati, quàm Creaturæ sit propriè fieri, & esse, solæ res subsistentes dicuntur causata, seù Creaturæ: cætera autèm dicuntùr concausata, & concreata, vt partes, formæ, accidentia, &c. largè autèm omne aliud à Deo in rerum natura existens, quocumq; modo causatum dici potest. In proposito igitur causatum sumitur propriè, vt distinguitur non solùm contrà causam, sed etiàm contrà concausatum, & ideò obiectio, quæ de concausatis loquitur, nihil obstat; vndè in illo art. 7. cit. probatur causati compositio ex constantia ex esse, & quidditate: hæc enim propriè causati sunt compositiua, non componentium vt patet in p. sent. dist. 8. q. 5. art. 2. S. Th. fecerat illam rationem adductam à Scoto. Ità Caiet. loc. cit. q. 3. art. 7. p. p.

QVAE-

QUÆSTIO XXIII. PRIMI PHYSICORUM

An detur prætèr ipsum compositum reale ex materia, & forma, aliquis modus substantialis, qui vocetur vnio realis

EX CAIETANO

P. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad sextum, & in 3. p. q. 2. art. 7. & art. 10. in Resp. ad primum, & alibi.

275. CAiet. in p. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad 6. declarat hoc modo titulum huius suæ quæstionis sic. Ly vnio potest sumi dupliciter vno modo pro relatione vnionis intèr materiã, & formam, & de tali non est sermo; alio modo pro fundamento illius relationis. Et hæc fundamentalis vnio quæritur quid sit. In 3. parte autèm q. 2. art. 7. quærendo S. Doctor. Vtrùm vnio naturæ diuinæ, & humanæ sit aliquid creatum, declarat titulum in ly vnio, vnio de qua in art. est quæstio, est relatio quædam intèr duas naturas coniunctas in vna persona Filij Dei, itá quod tria de vnione dicit S. Doct. Primo quod quid est, dicendo quod est relatio quædam, secundo extrema dictæ relationis, scilicet, intèr Diuinam naturam, & humanam; tertio fundamentum dictæ relationis, secundum quod conueniunt in vna persona Filij Dei. Articulus ille 7. pro quanto quærit de vnione, quantùm ad relationem, quàm significat, non facit ad propositum præsentis quæstionis; benè tamèn facit ad propositum, in quantùm aliqua tangit de vnione, quantùm ad fundamentum ad quod consequitur quod est vnio, seù coniunctio duarum naturarum in persona Filij Dei, de qua concluditur esse vnionem substantialèm, & non secundum esse relatiuum. Et sic patet Titulus Articuli. Itá Caiet. de prædicto Titulo loc. cit. *Explicatur à Caiet. loc. cit. status Controuersiæ intèr Thomistas, & exteros.*

276. Adnotat primo Caiet. in q. 76 art. 1. in Resp. ad 6. pro ista fundamentali vnione, quod quemadmodum causa effectiua distinguitur in actum primum, scilicet, formam, quæ est principium agendi, & actum secundum qui est eius causalitas, itá causa formalis distinguitur in ipsam causam formalem, & eius causalitatem formalem, quæ nil aliud est, quàm dare esse formalitèr subiecto, quod nil aliud est, quàm esse actualitèr, id quod subiectum est substantialitèr, si est forma substantialis; accidentalitèr, si est forma accidentalis. Et quoniàm vnio fundamentalis animæ ad corpus, nihil aliud est quàm causalitas formalis ipsius in corpore idcircò sicuti vana est quæstio de causalitate formali an sit substantia, vel accidens &c. Itá de vnione: Constat enim quod causalitas formalis est veluti operatio per modum actus secundi ipsius causæ formalis, & quod nihil suprà causam formalem addit, nisi ipsam formam esse actum subiecti, quod non est ipsa forma, nec subiectum ipsum, nec aliquod ens medium, quià esset processus in infinitum, sed est subiectum, & formam in esse tali indiuisa, seù subiectum esse simplicitèr, vel secundum quid talis forma. Et propterea sicut causæ formales sunt duplices, quià quædam separabiles ab his, quorum sunt causæ, & quædam non; Consequens est, quod quibusdam formis causalitas formalis, ac per hoc vnio adsit separabilitèr, & quibusdam non. Nec propterea est accidens, nisi metaphoricè sumendo accidens, idest extrà essentiam, *Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 76. a. 1. in Resp. ad 6. in q. a datur quidditas vnionis fundamentalis.*

 & hoc

& hoc in actu, quià in aptitudine est essentialis omni formæ. Propterquod conueniens exemplum dedit S. Doct. in textu de esse sursum respectu ignis, hoc enim non est accidens per accidens igni, sed proprium est sibi, quamuis impedibilitèr. Et quoniàm communia sunt hæc omnibus formis, etiàm animæ intellectiuæ conuenit necessariò. Ità Caiet. loc. cit. de quidditate vnionis fundamentalis.

Doctr. 2. Caiet. ex 3. p. q. 2. art. 7. in qua explicatur eadē vnio per vnionē duarum naturarum in Christo.

277. Adnotat 2. Caiet. in 3. p. q. 2. art. 7. In hoc art. cautissimè aduertè distinctionem prædictam de vnione, vel quantùm ad relationem, quàm significat, vel quantùm ad coniunctionem in persona; ad quàm consequitur, quoniàm plus differunt, hæc duo quàm Cœlum, & Terra. Vnio enim pro relatione est in genere relationis, & est ens reale creatum, vt in littera dicitùr. Vnio autèm pro coniunctione naturæ humanæ in persona Diuina, cùm consistat in vnitate, quæ est intèr naturam humanam, & personam Filij Dei, est in genere, seù ordine substantiæ, & non est aliquid Creatum, sed Creator. Quod ex eo constat, quod vnum non addit suprà ens naturam aliquam, & vnumquodq; per illud met, quod est ens, est & vnum, quod est enim ens accidentale per aliquam formam, est vnum accidentale per illam, & quod est ens relatiuum, habet vnitatem secundum esse relatiuum; & quod est ens per formam substantialem, habet vnitatem secundum esse substantiæ. Ac per hoc natura humana in Christo, quià per esse substantiale subsistentiæ personæ Filij Dei, est iuncta naturæ Diuinæ, opportet quod illud vnum esse, in quo indiuisæ sunt natura Diuina, & humana in Christo, sit vnum esse substantiale, & Diuinum. Et verè sic est, quià esse subsistentiæ Filij Dei, in quo non distinguuntur ambæ naturæ, substantia est, Deus est, quià Verbum Dei est: vna quippè, & eadem subsistentia subsistit Filius Dei in natura Diuina, & humana, & consequentèr Diuina, & humana natura Christi sunt indiuisæ in illa subsistentia vtriq; communi, quamuis valdè intèr se distinguantur. Super autèm hanc coniunctionem, super hoc vnum esse fundatur consecutiuè vnio pro relationes sicut super coniunctionem substantialem corporis, & animæ, fundatur relatio vnionis intèr animam, & corpus. Ità Caiet. loc. cit. de vnione fundamentali nullum dicente modum substantialem.

Doct 3. Caiet. ex eodem loc. cit. art. 10. in Resp. ad 1. in qua explicatur quidditàs vnionis in composito per ipsam vnionem hypostaticam.

278. Adnotat 3. Caiet. pro maiori captu istius vnionis, quoad dicere vnum modum in Resp. ad primum art. 10. q. cit. quod ista vnio fundamentalis, seù coniunctio humanæ naturæ cùm persona Filij Dei (quæ nihil aliud est, quàm vtriusq, indiuisio in esse personali ipsius Filij Dei) potest dupliciter accipi, scilicet, vel secundum illam entitatem positiuam, quæ est illud esse personale istius naturæ creatæ; vel secundum mutationem, & relationem, qua vnitur, & vnita relatiuè dicitur humana natura personæ illi, nullum siquidèm aliud ens reale interuenisse dicitur in hoc Mysterio prætèr extrema. Et si vnionis Gratia pro gratuito dono sumatur in secundo sensu, sic est donum creatum, quoniàm tàm mutatio passiua, qua natura humana est eleuata ad esse personale Dei, quàm relatio vnionis intèr creatas res est; si verò vnionis Gratia similitèr pro dono gratuito sumatur primo modo, sic quo ad rem datam, increatum donum est, quià data est personalitas Diuina naturæ creatæ; quo ad substantialem verò compositionem, seù coniunctionem personalitatis Diuinæ cùm natura, donum creatum est vt patet. Ità Caiet. loc. cit. in Resp. ad primum.

Opinio Aureoli non est contrà D. Th. Caiet. hoc insinuat in 3. p. loc. cit.

279. Quo ad secundum Caiet. in 3. p. q. 2. art. 7. distinguendo de vnione, & pro relatione, & pro coniunctione ait, quod argumenta Aureoli allata à Capreolo, quià procedunt contrà dicentes non esse aliam vnionem, quàm relatiuam intèr humanam naturam in Christo, & Deum, quod longè est à Doctrina Auctoris expressè ponentis vnionem quo ad relationem, consequi vnionem secundum vnitatem perso-

fonalem ; ità quod vnio significat relationem, non qualemcumque sed consequentem naturarum vnitatem personalem, ideò non censui afferendam quià non sunt contrà doctrinam Auctoris. Ità Caiet.

Quo ad verò vnionem realem in compositis ex materia, & forma. Caiet. in p.p. q.76. art.primo in Resp. ad sextum dicit, quod quantum ad eius quidditatem, multi dubitant an sit substantia, vel accidens, absolutum, vel respectiuum, proprium, vel separabile ab anima. Ad quæsitum cum S. Doct. dicitur, quod vnio fundamentalitèr sumpta nihil aliud est in omnibus compositis naturalibus Physicis, quàm causalitas formalis ipsius formæ respectu materiæ suæ, quæ est dare esse formale absque vllo modo. Vnitas igitur rei compositæ, ait S. Doct. in art. 7. eiusdem quæstionis 76. p.p. ex materia, & forma est per ipsam formam, quæ secundum se ipsam vnitur materiæ, vt actus eius. Nec est aliquid aliud vniens nisi agens, quod facit materiam esse in actu, vt dicitur in 8. Met. tex. 15. Et anima quoque immediatè, ait D. Th. in fine corporis art. 7. corpori vnitur, vt forma materiæ. Et opiniones Platonis, & aliorum, quàm sint falsæ, iàm probatum est in præcedentibus quæstionibus. Ità Caiet. loc. cit. *Opiniones, & dubia circa vnionem in composito recitat cum sua, & D.Th. in q.76. p.p. in Resp. ad 6.*

180. Quo ad tertium Caiet. quem aliqui ex nostris non sequuntur format ex D. Th. hanc Conclusionem in locis cit. scilicet, vnio non dicit aliquem modum substantialem, qui sit superadditus materiæ, & formæ, sed se ipsis, connotando agens, immediatè vniuntur. *Conclusio vnica Caiet. responsiua quæsiti cum sua probatione deducta ex D.Th. ex loc. cit.*

Probatur à Caiet. ex suis doctrinis in art. primo q. 76. p. p. in Resp. ad primum, & in art. 6. & 7. eiusdem quæstionis, & in 3. p. q. 2. art. 7. in vnione naturæ humanæ, & diuinæ in Christo. Sub tali forma sic. Iuxtà Doctrinam Auctoris non est aliquid vniens in composito nisi agens, & forma, quæ per essentiam suam est actus, ergo secundum D. Th. non est admittendus aliquis modus substantialis in quo alij ponunt formalitèr vnionem, quæ proportionet formam de actu primo in actu secundo. Antecedens constat ex doctrina Auctoris, qui vbique ait quod forma per se ipsam facit rem esse in actu, cùm per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium, & etiàm ait S. Doctor quod vnitas compositi est per ipsam formam, quæ secundum se ipsam vnitur materiæ, vt actus eius, nec est aliquid aliud vniens nisi agens, quod facit materiam esse in actu; & quod anima immediatè vnitur corpori, vt forma materiæ, ergo expresse D. Th. tenet, quod immediate forma, & materia se ipsis vniuntur, connotando agens, excludendo constantissimè quemlibet modum substantialem, ergo vera conclusio Et ideò, addit Caiet. nos cum eodem Auctore dicimus in nostris Comment. quod quærenti, quid sit ista causalitas formalis ipsius formæ, an accidens, vel substantia, respondeas, quod est causalitas substantiæ, & quod non significat vnam substantiam simplicitèr, sed vnam in alia, scilicet, formam in materia, & quando aufertur ista vnio, idest quando desinit, non desinit substantia simplicitèr, sed vna substantia in alia, quod potest fieri vtraque remanente seorsim. Nec potest dici quod sit accidens, quià ex S.Doct. nullum accidens tàm absolutum, quàm respectiuum præuenit substantiam: ex eo maximè quià vnio non est dispositio, sed integratio compositi. Ità Caiet. loc. cit. vbi nil clarius.

181. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà Conclusionem in p.p. q. 76. art.1. in Resp. ad sextum. Vnio ista substantialis, & realis ipsius compositi, vel est substantia, vèl accidens proprium, vel accidens separabile puta relatio quidquid dabitur, impugnabitur. Si dicatur quod est substantia. Contrà ergo aliquid substantiæ animæ desinit esse in morte hominis, quando vnio illa desinit; si dicatur, quod est accidens proprium, ergo remanet in anima post mortem, & sic anima est separata, & vnita *Arg. vnionem Caiet. ex p. p. q. 76. loc. cit.*

vnita simul. Si dicatur, quod est accidens separabile ergo anima constituit hominem per accidens. Si verò dicatur, quod est relatio, scilicet, quod constituit substantiam compositam dispositiuè quod non inconuenit, quià sic anima mediante accidente constituit substantiam. Contrà hoc est primo, quià vnio non est dispositio, sed est ipsa constitutio, & integratio compositi. Secundo quià apud S. Th. nullum accidens tàm absolutum, quàm respectiuum præuenit substantiam. Vndè remanet dubium quid sit illa vnio, nisi dicatur quod est quidam modus substantialis, qui reddit formam de actu primo causante, in suam causalitatem formalem, quo actu causat, & vnit cum agente ipsam materiam, & facit in actu compositum. Ità Caiet. locis citatis.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

Resp. Caiet. ad quæsitum in Argumento quod vnio ista est causalitas formalis, v. g. animæ intellectiuæ respectu corporis, quæ est dare esse formale. Et cùm dicitur in Argumento aut est substantia, aut accidens, dico quod propriè loquendo dicendum esset, quod est causalitas substantiæ. Tamèn vt querenti satisfiat, dicatur quod non significat vnam substantiam simplicitèr, sed vnam in alia, scilicet, formam in materia. Et ideò cùm aufertur, non est opus, quod desinat substantia simplicitèr, sed vna substantia in alia, quod potest fieri vtraque remanente seorsim. Ità Caiet. loc. cit.

Instantia contrà Resp. ex D. Th. art. 7. q. 76. p. p.

281. Contrà Resp. Instatur ex D. Th. in Resp. ad secundum art. 7. D. Th. dicit, quod substracto spiritu deficit vtique vnio animæ ad corpus, non quià sit medium, sed quia tollitur dispositio per quam corpus est dispositum ad talem vnionem, ergo saltèm secundum D. Th. vnio consistet in illa dispositione, quià vltima dispositio ad formam est forma, vt dicitur à naturalibus.

Resp. Caiet. ad Instantiam.

Resp. Caiet. iterùm repetendo, quod vnio non potest esse illa dispositio, quæ est effectus formalis illatus ab agentis actione, quam dicimus cum D. Th. sufficere ad hoc, vt sit ibi vnio fundamentalitèr, ad quam consequitur vnio formalitèr vt relatio, & sic in morte hominis tollitur dispositio per quam cessat, quod vna substantia sit in alia, idest materia, & forma simul. Non alia Prhasi possumus explicare sententiam S. Th. qui sempèr refutauit vnionem, vt medium, & vt modum substantialem. Ità Caiet. loc. cit. in Resp. ad sextum art. p. & in a. 6. & 7. contrà aliquos ex nostris Thomistis, scilicet, Bannesium, Gonzalez. Herreram, Complutenses, & nouissimè contrà Botti in sua Philosophia, & alios.

QVAE-

QVÆSTIO XXIV. PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm totum distinguatur realitèr à suis partibus simul sumptis

EX CAIETANO

Tertia p. quæst. 6. art. 5.

283. CAiet. declarat titulum circà ly totum, quod non est sermo hic de toto logico vt est vniuersale respectu suorum inferiorum; neque de toto Metaphysico vt est natura specifica constituta ex formalitatibus generis, & differentiæ; nec de toto potentiali, quod diuiditur in partes virtutis; nec de toto quantitatiuo quod diuiditur in partes quantitatiuas, sicut tota linea, vel totum corpus; nec de toto integrali, quod est etiàm totum per accidens, quod constat ex partibus integrantibus siuè intensionis, siuè extensionis, siuè homogeneis, siuè ætherogeneis; sed est sermo de toto essentiali, quod, ait Caiet. in p. p. q. 76. in Resp. ad 3. Dubium art. 8. est duplex, scilicet, ex partibus secundum rem, & hæc totalitas non conuenit formæ, sed essentiæ compositæ; & ex partibus secundum rationem suæ diffinitionis, & hæc conuenit formis, quæ quando sumitur positiuè, distribuit pro partibus diffinitionis, & est dicere, quod est totum essentialitèr, idest secundum omnes partes suæ diffinitionis intrinsecas. De hoc toto non est sermo hic, sed in p.p. q.76. art.8. quando quærit S.Th. Vtrum anima sit tota in toto, &c. Sumitur totum essentiale in hac quæstione in primo sensu, scilicet, ex partibus secundum rem, pro vt distribuit pro partibus rei, seù compositi Physici constantis ex materia, & forma, tanquam ex partibus intrinsecis componentibus ipsum totum essentiale Physicum, pro vt S. Doctor instituit quæstionem in 3.p. q. 6. art. 5. quærendo vtrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus, in qua quæstione incidentèr Caiet. resoluit præsentem de distinctione reali totius à suis partibus, non seorsim sumptis (quià in hoc sensu supponitur distinctum) sed simul sumptis, vbi est controuersia intèr nos, & Scotum. Ità Caiet. loc. cit.

Aperitur status cõtrouersiæ à Caiet. in p.p. q. 76. art. 8.

284. Adnotat primo Caiet. cum D. Th. in corpore illius art. 5. cit. 3. p. quod cùm dicitur aliquid medium in assumptione Incarnationis, non designatur ordo temporis, quià simul facta est totius assumptio, & omnium partium, vt ostenditur in art. p. & 2. q. 3. cit. quod simul anima, & corpus sunt ad inuicem vnita ad constituendum naturam humanam in verbo: designatur autèm ibi ordo naturæ, vnde per id, quod est priùs in natura, assumitur id quod est posterius. Est autèm aliquid priùs in natura dupliciter vno modo ex parte agentis, alio modo ex parte materiæ, hæ enim duæ causæ præexistunt rei. Ex parte quidem agentis est simplicitèr primum illud, quod primo cadit in eius intentione: sed secundum quid est prius illud, à quo incipit eius operatio, & hoc ideò, quià intentio est prior operatione. Ex parte verò materiæ est prius illud, quod prius existit in transmutatione materiæ. In Incarnatione autèm opportet maximè attendere ordinem, qui est ex parte agentis quià vt Aug. dicit in Epist. ad Volusianum. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. Manifestum est autèm, quod secundum intentionem facientis priùs est completum, quàm incompletum, & per consequens totum, quàm partes, & ideò

Doct. 1. Caiet. ex 3.p.q.6 ar 5. ex assumptione partiũ prius natura quam totum infertur distinctio realis.

& ideò dicendum est quod verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto: sicut enim assumpsit corpus proptèr ordinem, quem habet ad animam rationalem, ità assumpsit corpus, & animam, proptèr ordinem, quem habent ad humanam naturam. Ità Caiet. cum D. Th. ex cuius verbis Caiet. declarat mentem D. Th. esse quod totum realitèr distinguitur à suis partibus simul sumptis.

Doctrina Caiet. ibidem loc. cit. declaratiua eiusdem, vt suprà.

285. Adnotat secundo Caiet. circà ly partes dicunt ordinem, quod ordo operationis, seù executionis, eadem, & eodem modo intelligitur habere media, si est secundum naturam tantùm, & sic est secundum progressum operationum, v. g. Domus siuè fiat per multas operationes vt ab arte successiuè fit, siuè fiat tota simul à Deo, eadem media pertransit, puta, fundamentum, parietes, tectum, & similitèr eodem modo, hoc est, quod quodlibet eorum est, vt medium quod. Nàm sicut successiuè operando priùs tempore fit fundamentum, vt quod partiale, & mediante fundamento fit paries, etiàm vt quod partiale, & posteà tectum, vt quod partiale, & omnibus mediantibus vt quod partialibus, fit domus vt quod totale, ità simul omnia operando, operatio illa prius natura secundum executionis ordinem attingere intelligitur fundamentum, & posteà parietem, &c. vt dictum est. Habet enim illa operatio vnica vnum per se primo terminum ordine intentionis, scilicet, totum, qui est vltimus ordine executionis, & multos partiales terminos ordine executionis priores, vno per se primò intento termino, scilicet, toto. Simile enim quid accidit in Mysterio Incarnationis, in quo simul tota natura, & omnes partes eius factæ, & assumptæ sunt, nisi quod ad assumptionem referendo totum, & partes, non inuenitur ordo intèr partes, vt dictum est, adeò vt vna priùs natura assumpta sit, quàm altera, quià simul natura corpus, & anima assumpta sunt. Sed benè inuenitur talis ordo intèr partes simul, & totum, quod, scilicet, secundum executionis ordinem priùs natura terminata est assumptio ad partes simul (hoc est animam, & corpus vt terminos partiales) quàm ad totum, ad quod primo, vt primò intentum, vltimo terminata est, & ratione huius primo intenti terminata præ intelligitur ad partes; sicuti ratione domus terminata præ intelligitur creatio domus ad partes eius, ex quibus constat domus. Ità Caiet. loc. cit. vbi semper ex mysterio Incarnationis colligit de mente D. Th. distinctionem realem intèr totum, & partes simul sumptas.

Doctrina 3. Caiet. loc. cit. ibidē, declaratiua eiusdem vt suprà.

286. Adnotat tertio Caiet. pro maiori fundamento ibidem loc. cit. ipsius distinctionis realis; quod apud negantes hunc executionis ordinem intèr partes, & totum in assumptione, imaginantur, quod assumptio etiàm executiuè est terminata priùs ad totum, quàm ad partes, ità quod diffusa, seù quasi extensa est assumptio à toto ad partes, ità vt non opportuerit de nouo in morte Christi assumere partes, sed remanserit respectu partium. Et quamuis primo aspectu hæc positio non solum probabilis, sed probabilior videatur, quàm illa quæ est posita ab Auctore in prima Adnotatione, quià assumptio per se primo respicit totum, nec est vt factio totius, sed quasi præexistentis eleuatio, quæ etiàm in operando incipere debet à per se primo intento, ex quo supponit illud esse; si tamèn perspicacius intuiti fuerimus, quod ordo resolutionis verax testis est ordinis compositionis, quià primum in resolutione fuit vltimum in compositione, & constare nos meminerimus, quod in morte Christi assumptio quasi resolui incæpit, dùm natura ipsa ab assumptione desijt: partes autèm naturæ assumptæ remanserunt, percipiemus, quod ex hoc ipso facto reuelauit Deus, quod assumendo inchoauit executionis ordine à partibus, & quod veluti primum in compositione assumptionis, fuit assumptio partium, vt sic Diuina Sapientia disposuerit etiàm suauitèr assumptionem, secundum executionem, & resolutionem, quo fit vt probabilior sit positio D. Th. in littera, maximè fulta D. Aug. fauore:

ex

ex quò etiàm redditur probabilior sententia nostra dedistinctione reali ipsius totius à partibus simul sumptis. Ità Caiet. loc. cit.

287. Quo ad secundum Caiet. circà sententiam affirmatiuam D.Th. præmittit ex 4. cont. gent. c.81. in Resp. ad primam rationem, quod humanitas, & homo ambo significant compositum ex materia, & forma, differentèr tamèn: quià humanitas significat principia omnia essentialia speciei, cum præcisione principiorum indiuiduantium, eo quod sit, qua aliquis est homo, & ideò per modum partis significatur. Homo autèm prætèr principia essentialia speciei, non excludit principia indiuiduantia, imò illa potentialitèr includit: dicitur enim homo, qui habet humanitatem, ex quo non excluditur, quin alia habere possit, ideò significatur per modum totius, sortes verò significat vtraque principia in actu, & essentialia, & indiuidualia, sicut, & genus habet differentias potestate, species verò habet actu. Caiet. igitur in 3. p. q. 6. art. 5. in Resp. ad primum recitat circà totum, & partes simul sumptas opinionem Scoti, qui in 3. sent. dist. 2. ideò dicit contrà doctrinam D.Th. quod verbum non assumpserit totum mediantibus partibus quià totum, & partes sunt omninò idem re simul sumptæ. Idem fatetur Durandus. Argumenta istorum soluentur. Infrà.

Opinio Scoti, et Durandi recitatur à Caiet. in 3. p. q.6. art. 5. in Resp. ad 1.

Ferrariensis in 8. cont. gent. cap. 81. in Resp. ad secùndam rationem confirmat sententiam Caiet. esse expressam D. Th. vbi S. Doct. dicendo, non esse intelligendum, quod humanitas sit quædam forma consurgens ex coniunctione formæ ad materiam quasi alia realitèr ab vtroque. In his verbis, ait Ferr. S. Doctor non vult negare humanitatem realitèr distingui à suis partibus absolutè, cum in tertia p. loc. cit. & in 4. sent. expressè teneat, ipsum à suis partibus realitèr distingui, sed negat quod ab illis distinguatur per omnimodam præcisionem, veluti quædam forma, cuius sit actuare materiam, quemadmodum anima distingûatur à materia.

Caiet. sent. explicatur à Ferr. in 4. cont. gent. c. 81. quod sit de mente D. Th.

Quomodo autèm distinguatur realitèr, & illas essentialitèr includat, quin addat aliquid reale, dissentio est intèr Thomistas, quid sit illud realitèr additum, an aliqua entitas partialis distincta à materia, & forma, àn verò sit ipsa entitas humanitatis secundum se sumpta. Caiet. & Ferr. dicunt quod relinquenda est ista imaginatio longè aberrans à proposito, scilicet, quod distinguatur humanitas à materia, & forma, tanquàm aliquid addens suprà materiam, & formam, quod sit eius pars simul cùm illis constituens istam entitatem humanitatis: sed dicunt quod distinguitur vt includens materiam, & formam, veluti partes ipsam constituentes, & se ipsam totam, perfectam nimirùm, addens suprà materiam, & formam. Humanitas igitur dicit, & ipsam naturam, vt totum, & dicit materiam, & formam tanquam partes naturam constituentes, ad quas partes dicit ordinem, & iste ordo est sufficiens ad inferendam distinctionem realem intèr totum, & partes simul sumptas, cùm iste ordo sit realis. Ità Ferr. & Caiet. loc. cit.

Quid sit istud reale super additum partibus declaratur à Caiet. cum Ferr. loc. cit.

288. Quo ad tertium Caiet. ex 3. p. loc. cit. infert hanc Conclusionem de suis adnotationibus suprà. Totum essentiale Physicum naturale distinguitur realitèr à suis partibus simul sumptis, & non addit aliquam entitatem realem partialem, sed addit se ipsum perfectum vt includens ipsas partes, scilicet, materiam, & formam.

Conclus. Caiet. ex suis doctrinis in 3. p. art. 5. cit. formalizata, cū sua probatione primæ partis.

Probatur à Caiet. prima pars sic. Non potest intelligi in Mysterio Incarnationis, assumptio secundum ordinem executionis priùs natura terminata ad partes simul vnitas, scilicet, animam, & corpus vt terminos partiales, & vltimo terminata ad totum tanquàm ad id, quod est primo intentum, nisi necessario supponatur à S. Doct. distinctio realis intèr totum, & partes simul sumptas: sed à D. Th. in art. 5. vt vidimus in prima adnotatione, ità, & non alitèr ponitur assumptio, ergo certa est prima

pars Conclusionis. Maior est itâ certa, & vera, vt etiâm ponatur à Scoto, & Durando. Ideò enim ipsi probant, ait Caiet. Verbum Dei non assumpsisse totum mediantibus partibus, quiâ tenent, quod totum, & partes simul vnitæ sunt omninò idem secundum rem, ergo si secundum D. Th. mediantibus partibus Verbum Dei, assumpsit totum, scilicet, naturam humanam certè supponit D. Th. quod ibi sit distinctio realis. Minor est declarata, in prima, secunda, & tertia Adnotatione Caiet. Itâ Caiet. loc.cit.

Probatur secunda, secundæ partis Conclusionis.

Probatur secunda pars à Caiet. cum Ferr. sic. Si totum suprà partes simul sumptas adderet aliquam entitatem partialem distinctam à materia, & forma: iàm non sola materia, & forma erunt partes essentiales, sed, & quoque erit illa entitas partialis, ex quibus tribus consurget totum: sed hoc à nullo Philosopho conceditur, ergo nec est concedenda illa tertia entitas realis partialis, ergo &c. Omnia de se patent.

Probatur tertia, tertiæ partis Conclusionis.

Probatur tertia pars sic à Caiet. cum Ferr. Partes simul sumptæ sunt prius natura ipso toto reali includente illas partes essentiales, scilicet, materiam, & formam, & ideò ordine executionis priùs natura assumuntur, in natura humana, quam totum, scilicet, natura humana, ergo si non addit suprà illas, cùm sit realissimum, tertiam entitatem partialem, vt probatum est, addet vtique se ipsum perfectum suprà easdem, pro vt non excludit, sed pro vt includit ipsas. Tenet consequentia à sufficienti diuisione. Itâ Caiet.

Thomistæ qui admittunt vnionem realem, vt medium dicens modum substantialem, tenent quod non distinguitur realitèr totum à suis partibus simul sumptis cùm Scoto, & dicunt, quod distinguuntur ratione ratiocinata, & citant D.Th. p.p. q. 11. art. 2. ad secundum, & q. 75. art. 4. in corpore, & 4. cont. gent. sed Botti in sua Philosophia nouissima, qui non nominat illos plures Thomistas, sed recentiores omnes extrà scolam pro se, & pro hac opinione, non respondet rationi Caiet. & Ferr. quæ est D. Th.

Arg. Caiet. ex Scoto in 3. p. q. 6. art. 5. contrà rationem probatiuâ primæ partis.

289. Quo ad quartum Arguit Caiet. in 3. p. q. 6. art. 5. ex Scoto contrà rationem probatiuam primæ partis, & tertiæ sic. Scilicet, ostensiuè, quod natura tota primo, est sinè medio assumpta. Quod est primo in se personabile, si sibi dimitteretur, hoc in alio primo personatur, quandò assumitur, sed tota natura, & non pars, vel partes, est primo, & immediatè hoc modo, personalis in se sibi, si dimittatur, ergo &c. Minor probatur quiâ in eodem instanti naturæ, in quo in se personaretur, si sibi dimitteretur, personatur in alio, vel ab alio, quiâ nihil antè illud instans est natum assumi, quiâ non prius fuit natura singularis, nec post illud instans assumitur, quiâ tunc esset persona in se. Minor probatur quiâ in eodem instanti naturæ, in quo partes præcedunt totum, neutra nata est esse personam, sed tunc primo, quando ex istis vnitis est tota natura, quiâ tunc ipsa tota est persona in se, si non impediatur ab assumente.

Resp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Resp. Caiet. ad Argumentum Scoti. Verumtamèn ne fiat vis in vocabulis, & supposita distinctione, quæ in littera Articuli habetur, de priùs assumptibili ordine naturæ secundum intentionem, & executionem, respondeatur, quod maior est vera de primo secundum ordinem intentionis, non autèm de primo secundum ordinem executionis. Illud enim, quod est in se per se primo personabile, illud primo ordine intentionis, non primo ordine executionis personatur in alio, hoc est, fit aliquid alienæ personæ à qua assumitur; pars enim, vel partes eius stat quod prius secundum executionem fiat, vel fiant aliquid alienæ personæ, quam tota natura, quæ est in se primo personabilis si sibi dimitteretur. Probatio autèm maioris ad hunc sensum applicata nihil valet, quiâ secundum executionis ordinem illud totum non in se toto, sed in parte, vel partibus eius priùs personaretur, hoc est fieret aliquid assumentis per-

personæ, quàm esset in se ipso toto personabile si sibi dimitteretur. Et cùm contrà hoc affertur, quod in illo priori illud totum non est natum assumi, quià non est natura singularis, Resp. quod verum est, quod non est natum assumi in se ipso toto ante illud naturæ instans, sed est natum assumi secundum sui partem, vel partes antè illud instans secundum executionis ordinem, quoniàm quælibet pars nata est assumi, vt sit aliquid personæ assumentis, quamuis sola natura integra nata sit assumi vt sic veluti constitutiuum personæ, quià ipsa sola est sic personabilis, scilicet, vt sit, vel persona, vel quasi constitutiua personæ; partes autèm eius sunt personabiles, hoc est assumptibiles ad vnitatem personalem, antequam secundum executionem assumi intelligatur totum.

Vbi scito, quod licet respectu personæ propriæ priùs secundum executionem intelligatur personari tota natura, quàm partes; quià partes, puta, anima, & corpus ad personandum concurrunt mediante tota natura constituta per illas: ad assumptibilitatem tamèn à Diuina persona priùs secundùm executionem concurrunt partes, scilicet, anima, & corpus, quàm natura integra, quià ad exequendam assumptionem non opportet mediare executiuè, sed secundum intentionem tantùm, totam naturam, quoniàm constat Diuinam personam posse inchoare assumptionem à partibus, quasi progrediendo ad totum. Et rationabilitèr constat, qùod de facto sic fecit, vt probat S. Doct. Respectu personæ propriæ non nisi naturalis ordo partium ad propriam personam attenditur, qui est etiàm executiuè mediante toto, & ideò non habet solidùm fundamentum (vt ex Auctore allatum est) ratio Scoti, qui eodem ordine partes naturæ humanæ, & totum ordinat ad propriam, & ad Diuinam personam. Ità Caiet. art. 5. q. 6. 3. p.

290. Arguit secundo Caiet. ibidem loc. cit. ex Durando sic. Totum, & partes vnitæ (sic enim assumptæ sunt) omnino sunt idem re, ergo ad quid ponere ordinem naturæ in assumptione totius, & partium primo? *Arguit Caiet. ex Durando contrà idem.*

Arguit iterum Caiet. ex Durando. Assumptio vna est vnius ad vnum, sed assumptio humanæ naturæ est vna ad vnum, quià ad personalitatem Filij, ergo est vnius, scilicet, naturæ integræ ex suis partibus, constat enim eam esse assumptam, ergo tam natura, quàm partes sunt assumptæ vt vnum, non est ergo ordo realis intèr totum, & partes in assumptione. *Arguit 2. Caiet. ex Durando.*

Resp. Caiet. ad primum Durandi negatur quod natura humana sit omnino idem secundum rem, quod suæ partes etiàm simul sumptæ. Et quoniàm quæstio hæc supponenda potiùs, quàm discutienda hic est, ideò non moror. Ità Caiet. *Resp. ad primū Durandi.*

Resp. Caiet. ad secundum Durandi, quod assumptionem esse vnius contingit dupliciter, scilicet, vnius simplicis, vel vnius compositi. Et rursus vnius compositi, secundum quod vnum tantum est, vel non solum secundum quod est in se vnum, sed etiàm secundum suas partes. Et subiungitur quod Incarnato est assumptio vna, & ad vnum, & vnius vltimo modo exposito, quià sic Filius Dei assumpsit vnam naturam humanam compositam ex anima, & corpore, vt etiàm simul tempore, & prius natura secundum nos ordine executionis, vel posterius natura secundum alios assumpserit animam, & corpus in se ipsis, & non solùm secundum quod sunt vnum in tota natura, quod nihil aliud est quàm assumere totam naturam. Et quod hoc opporteat fateri patet ex eo, quod alioquin opporteret Filium Dei in morte de nouo assumpsisse corpus, & animam, quod Scotus insolutum dimisit, & Durandus malè videtur posse euadere. Nihil igitur valet illatio illa. Natura integra est assumpta, ergo partes assumptæ sunt vt vnum, intelligendo cum præcisione, hoc est vt sunt, vt vnum præcisè, & non etiàm vt sunt in se diuersæ. Ità Caiet. loc. cit. art. 5. in fine Comment. *Resp. ad secundum Durandi.*

QVAESTIO XXV. PRIMI PHYSICORVM

Vtrum omnis forma substantialis in entibus naturalibus vendicet sibi certam quantitatem in maius, & in minus

EX CAIETANO

In p. p. q. 7. art. 3. de Maximo, & minimo ibi, & alibi in Comment.

Declaratur titulus à Caiet. Tyronibus Thomistis in p. p. q. 7. art. 3. & alibi.

291. CAiet. pro titulo in q. art. 3. cit. notat, quod in præsenti quæst. 25. non intendit tractare totalitèr de maximo, & minimo, sed solùm an detur maximum, & minimum, ex intrinseco tàm in viuentibus, quàm in non viuentibus, hoc enim exigit ratio litteræ in art. 3. cit. volens quod ex intrinseco, ex forma, scilicet, substantiali, vnaquæque substantia naturalis vendicet sibi certam quantitatem, tàm in maius, quàm in minus; & ideò paucas rationes in hac disputatione adducemus. Ità Caiet. Et addit alibi, quod terminus intrinsecus magnitudinis, qui vocatur maximum quod sic, in rebus naturalibus sit ille, ad quem res peruenire potest, & illum excedere non potest, idest per maximum quod sic significatur quod sit quantitas maxima sub qua res esse, & conseruari potest. Terminus intrinsecus paruitatis erit ille, sub quo res esse potest, non tamèn sub quacumque minori, & significatur per minimum quod sic, quod intèr quantitates, sub quibus res quo ad paruitatem esse valet, illa est minima. Ità Caiet.

Doct. 1. Caiet. ex art. 3. cit. quo triplex sit substantia corporea.

292. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 7. art. 3. cùm D. Th. in corpore quod corpus, quod est magnitudo completa dupliciter sumitur, scilicet, mathematicè, secundum quod consideratur in eo sola quantitas; & naturalitèr, secundum quod consideratur in eo materia, & forma. Et de corpore quidem naturali, quod non possit esse infinitum in actu, sed quod habeat maius, & minus determinatum à natura probatur infrà, sicuti etiàm de corpore mathematico eadem ratio erit in quæstione de Infinito. Addit hic Caiet. quod famosa illa distinctio corporis positi à Magno Alberto in hoc primo Phys. de corpore triplici, scilicet, Mathematico, Physico, & Metaphysico, quamuis non habeatur explicitè à S. Th. doctrinæ tamèn suæ non aduersatur, sed congruit, quoniam apud ipsum etiàm compositum ex materia, & forma substantiali, vt præuenit aptitudinem sui ipsius ad quantitatem, & motum est corpus spectans ad Metaphysi considerationem. Sed quoniàm respectu infinitatis ad magnitudinem, corpus Physicum, & Metaphysicum non ponunt in numerum, ideò in art. 3. cit. substratum trinæ dimensioni compositum, scilicet, ex materia, & forma vnicum tantum membrum constituit, & corpus Physicum appellatur, quià secundum formam naturalem speciem sortitur, vt patet inductiuè. Ità Caiet.

Doct. 2. Caiet. Ex eodem art. 3. cit. quo modo ad determinatã formam sequuntur determinata accidentia.

293. Adnotat secundo Caiet. ibidem art. 3. cit. quod ista propositio D. Th. Ad formam determinatam, sequuntur determinata accidentia, multiplicem sensum potest habere, aut enim ly determinata accidentia importat determinationem genericam, seù specificam, & tùnc est sensus, quod talem formam in specie puta ignis, sequuntur talia accidentia secundum speciem puta calor, lux, talis figura, leuitas, &c. in hoc sensu licet sit vera, non tamèn ex hac potest inferri hæc consequentia, ergo sequitur quantitas determinata, & in maius, & in minus: Quantitas enim maior, & minor non sunt diuersarum specierum vt patet. Aut significat etiàm determinatio-

tionem gradualem, quo ad qualitates, & extensiones, quo ad quantitatem, & tunc est sensus, quod formam determinatam sequuntur, non solùm ità hæc accidentia secundum speciem, quod non illa, sed ità accidentia in tali gradu, seù extensione, quod non in alio; & secundum sensum hunc procul dubio est intenta à D. Th. ad inferendam consequentiam prædictam, sed potest adhuc dupliciter intelligi. Primo quod certam formam sequuntur determinata accidentia, non solùm in toto, sed in omnibus, & singulis partibus, puta quod formam aquæ sequitur certa quantitas, non solùm in aliqua tota aqua, sed in quibuscumq; partibus integralibus, & hic sensus alienus est à veritate, & proposito, quoniàm non datur minima pars aquæ, aut albi, vt dicitur in lib. de sensu, & sensato, sed quacumq; parte data, datur minor inexistens in homogeneis. Secundo quod certam formam sequuntur determinata accidentia in toto, & partibus possibilibus seorsim existere. Et hic sensus est directè intentus: quoniàm in partibus inexistentibus tantùm non est propriè forma, sed formæ pars tàm actu, quàm potentia; in littera autèm art. 3. dicitur, quod formam determinatam sequuntur accidentia, & quantitas determ nata, sed vndè in hoc sensu prędicta consequentia valeat, quodq; sit illius fundamentum latet, & ideò vertitur in dubium intèr Doctores primo quo ad determinationem quantitatis in minus secundo quo ad determinationem eiusdem in maius. Ità Caiet.

294. Quo ad 2. prosequitur Caiet. eodem loc. cit. dicens quod Scotus in 2. sent. dist. 2. q. 1. nititur probare oppositum, & sustinere, quod non datur minimum in homogeneis substantijs potens per se existere, sed quacumq; aqua data, potest minor per se existere, & sic forma eius non determinat sibi certam quantitatem, in minus, vt in litt. art. 3. dicitur à S. Doct. Argumenta Scoti soluentur infrà. *Opinio Scoti recitatur à Caiet. in p. p. q. 7. a. 3.*

Et addit Caiet. pro sent. S. Th. quod duas rationes Arist. habemus ad hoc; Alteram 1. Phys. tex. 36. scilicet, quantitas totius consurgit ex quantitatibus partium &c.

Sed ista ratio vt patet procedit ex supposi.ione: supponit enim dari maximum, & concludit dari minimum, alioquin totum non esset certæ quantitatis. *Opinio S. Th. & Caiet. recitatur ibidem a Caiet. art. 3. cit.*

Alterum in primo de Anima tex. 41. scilicet, omnium natura constantium determinata est ratio &c. Et hæc ratio, vt inquit Scotus, loquitur de animatis, in quibus tantùm habet locum augmentum propriè dictum, de quo ibi est sermo. Verùm quidquid sit de illo textu, S. Th. vniuersalizauit illam, & quod ibi de anima dicitur, de omni forma substantiali assumpsit, scilicet, quod vendicat sibi certam quantitatem, & probat eam secundum doctrinam traditam 5. Met. & 2. Phys. scilicet, quod causæ effectibus; & effectus causis comparantur, & commensurantur, vt probabimus infrà Conclusionem in sensu vniuersali, & de viuentibus, & de non viuentibus. Ità Caiet. art. 3. cit.

295. Contrà Caiet. Botti in sua Philosophia nouissimè impressa statuit hanc Conclusionem, scilicet, non viuentia non habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis, & citat Arist. 2. de Anima tex. 41. vbi dicit ignis quidèm accretio in infinitum progreditur, & eo vsq; fit, quo vsq; fit combustibile. Et citat D. Th. lect. 8. vbi dicit manifestum est enim, quod ignis augmentum non est vsq; ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur si in infinitum materia combustibilis inueniatur. Et citat ex Thomistis cotrà Caiet. Sotum, Masium, Mancam, Ioannem à S. Th. Lermam, & omnes ferè recentiores Thomistas. Et ad rationem Caiet. & D. Th. pro prædicta sententia opposita respondet cum Lerma, & alijs, quod supposito ordine vniuersi nisi hic peruertatur, omnia non viuentia habent terminum magnitudinis, quem excedere non valent, ignis enim non potest ità cresce- *Recitantur alij Thomistæ, quid contrà Caiet. sentiant ex Philosophia Botti Congreg. Somas.*

re,

re, vt concauum Lunæ transcendat, nec aer potest esse maior, quàm qui continetur sub orbe ignis; & sic de alijs corporibus, quæ cum omnia suam positionem habeant in vniuerso, attento tali ordine, non possunt vltrà crescere; At attentis naturis eorum, augeri semper possunt, & fieri maiora, & maiora citrà infinitum. Arist. autem D. Th. & Caiet. loquuntur de illis seruato ordine vniuersi, non verò secundum eorum naturam, qualitèr de illis loquimur. Et ad illam propositionem D. Th. distinguunt, ad determinatam formam substantialem sequuntur determinata accidentia specifica, & numerica concedo; ad ipsam determinatam specificè, & indeterminatam numericè sequuntur determinata accidentia, subdistinguo specifica concedo, numerica nego. Et ad illud de igne Respondent, quod requiritur quidèm virtus actiua in igne ad transmutandum combustibilia, sed non eodem modo est in igne; & in viuentibus: quià in igne in omni parte est virtus igniendi, & ità crescente igne crescit talis virtus, & duo ignes approximati intèr se continuantur, & sic fit vnum indiuiduum ignis. Ità aduersarij Caiet. sed quantùm istæ Responsiones deludant mentem D. Th. & Caiet. patebit infrà. Cæterum de minimò quod sic, tàm in viuentibus, quàm in non viuentibus conueniunt cum D. Th. & Caiet.

Concl Caiet. ex p. p. q. 7. art 3. quæ est D. Th. cũ sua 1. prob. à priori vniuersali pro quacumq; forma substantiali.

296. Quo ad 3. Conclusio D. Th. in art. 3. q. 7. p. p. ponitur in sua vniuersalitate pro maximo, & minimo in viuentibus, & non viuentibus intrinsecè tamèn, hoc modo. Omnis substantia corporea naturalis habet intrinsecè determinatam quantitatem, & in maius, & in minus, quod est idem, ac dicere, quod in rebus naturalibus datur maximum quod sic, & minimum quod sit intrinsecè.

Probatur à Caiet. loc. cit. sub tali forma à priori, primo sic. Formam substantialem sequuntur accidentia, ergo determinatam formam determinata accidentia, ergo determinata quantitas, & in maius, & minus, ergo omnis substantia naturalis corporea habet determinatam quantitatem, & in maius, & minus. Secunda consequentia probatur quià quantitas est vnum de accidentibus sequentibus formam substantialem; tertia verò probatur quià omne corpus naturale habet determinatam formam substantialem. Ità Caiet.

2 Prob. à priori Caiet. pro eadẽ Conclusione vniuersalitèr concludens.

Probatur 2. à Caiet. à priori in sua vniuersalitate, sic. Causæ effectibus, & effectus causis comparantur, & commensurantur ex 5. Met. ergo sequitur quod si formam substantialem naturalitèr in communi sequitur quantitas, ergo determinatam formam determinata quantitas: sed quantitas non alio modo determinatur quàm secundum terminos: non enim corporeitas hominis, & aquæ differt specie, vt posset dici quod determinatam formam sequitur determinata quantitas secundum terminos, quamuis etiàm si quantitates specie differrent, adhuc tamèn haberetur fundamentum consequentiæ, ex eo quod determinata forma est vis determinatæ, ac per hoc nihil consequens ad ipsam potest esse infinitum, si enim haberet calorem, raritatem, quantitatem, &c. aut quodcumq; accidens infinitum, iàm à forma finita esset vis infinita, quod non est intelligibile; quià ergo formam Physicam in communi sequuntur accidentia, consequens est vt certam formam, ac per hoc rem certæ vis, sequantur certa accidentia, non solùm ità hæc, quod non illa, sed etiàm in tali gradu, vel termino summo, imò, vel medio, quod non in maiori, aut minori, & sic habetur, vndè tenet illa consequentia in litt. 3. art. cit. non solùm de quantitate, sed de omnibus accidentibus. Ità Caiet. loc. cit.

1. Arg. Caiet ex Scoto a. 3. cit. contra Concl.

297. Quo ad 4. Arguit Caiet. art. 3. cit. ex Scoto ex ratione quanti in 5. Met. sic. Non magis essentiale est quanto, posse diuidi in partes, quàm quod vtrumq; eorum, in quæ diuiditur possit esse hoc aliquid, ergo singulæ partes quantæcumq; aquæ possunt per se existere. Antecedens sumitur ex 5. Met. consequentia verò est

est manifesta ex se, & nihilominus consequens confirmatur quadruplicitèr.

Primo tùm quià partes sunt eiusdem rationis cùm toto quo ad materiam, & formam ergo per se existere, quod non repugnat toti, non repugnat, & parti. *Confir. 1. consequentis.*

Secundo tùm quià quælibet pars habet naturam, vndè non repugnat sibi esse indiuiduum eiusdem speciei cùm toto, ergo potest esse indiuiduum, & consequentèr per se existere. *2 Confir.*

Tertio tùm, quià partes sunt priores naturalitèr toto, ergo eis non repugnat esse priùs tempore &c. *3. Confir.*

Quarto tùm quià posita illa aqua minima, circumscripto omni corruptiuo etiàm continente, si diuidatur, aut post diuisionem, quæ erat vna aqua in actu, & multæ in potentia, erunt aquæ plures, in actu, & habetur intentum, aut non, si non, ergo annihilata est aqua sinè corruptiuo; probatur quià sola diuisio non corrumpit: probatur quià diuidit in partes homogeneas, ex quibus constat totum, ergo diuidit in aquas, aut aqua componitur ex non aquis, vt partibus integralibus. Nec est, inquit, repugnantia ex parte paruæ quantitatis, quià forma aquæ cùm tàm parua quantitate præfuit. *4. Confir.*

Resp. Caiet. concesso antecedenti negatur consequentia, & ratio est; quià vtrumquè, scilicet, diuidi in partes, & illas posse esse hoc aliquid, si realitèr intelligatur, non conuenit quanto per se positiuè, sed non repugnantèr, vt patet de quantitate Cœli. Quantùm enim illud, nec potest actuali diuisione diuidi, nec potest aliqua pars eiusdem seorsim existere, & tamèn est verè quantum. Vtraq; ergo conditio posita in ratione quanti potest impediri ne exerceatur à forma naturali, cui coniuncta est quantitas. Vndè illa diffinitio conuenit quanto vt sic, & tamèn alicui quanto repugnat. Et si contrà hoc afferatur ratio Scoti, quandocumq; aliqua per se consequentia aliqua duo sunt incompossibilia, & illa duo sunt incompossibilia, sed conditiones quanti, & formæ minimi sunt incompossibiles, ergo quantum, & forma minimi sunt incompossibiles. Resp. primo applicando totum argumentum ad naturam Cœli, quæ non patitur diuisionem. Resp. secundo, quià multiplicare non est soluere, ideò illa maior est vera de per se consequentibus positiuè, non autèm non repugnantèr. Vndè velocitabilitas in infinitum; competit motui per se non repugnantèr, indè, & demonstratur de eo; motui tamèn naturali cuilibet repugnat, vt patet secundo Cœli tex. 39. & propterea motus, & naturalitas non sunt incompossibiles. Posset tamèn alitèr dici, quod illæ conditiones non intelliguntur, secundum actualem diuisionem, sed secundum designationem, & quod sic, omne quantùm est, diuisibile, & quælibet pars potest esse hoc aliquid secundum designationem, & tunc etiàm nihil contrà propositum nostrum sequitur. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad Arg. Scoti loc. cit.*

298. Resp. Caiet. ad primam Confirmationem consequentis; negatur sequela, quià aliquam conditionem requirit forma aquæ in primo per se perfectibili, quàm non requirit in parte illius. Vna autèm harum conditionum est tanta quantitas, & simile est iudicium de tanto calore &c. *Resp. ad 1. Confirmationem.*

Resp. ad secundam eodem quoq; modo dicitur, quod non sufficit ad posse esse indiuiduum eiusdem speciei communicare in natura, sed opportet adiungere conditiones requisitas ad per se existere. Quidquid enim habet naturam aquæ cùm conditionibus necessarijs ad per se existendum, potest esse aquæ indiuiduum, & non alitèr. *Resp. ad 2. & 3.*

Ad tertiam negatur consequentia quo ad partes inexistentes tantùm.

Resp. ad quartam quod si poneretur minimus ignis tantummodò, & diuideretur, quid non solùm corrumperetur, sed annihilaretur, licet tàm antecedens, quàm consequens sit impossibile, Nec opportet quærere aliud destructiuum, quàm diuisionem, *Resp. ad 4.*

nem, quoniàm, & si diuisio vt sic, non sit corruptiua, diuisio tamèn talis, scilicet, minimi naturalis est vniuersalitèr corruptiua, & in tali casu annihilatiua. Nec ignis minimus est vnus in actu, & multus in potentia, nisi eo modo quo partes dicuntur esse in potentia in toto, quià, scilicet, sunt per esse non proprium, sed totius; sicuti, & partes Cœli sunt in toto in potentia. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. loc. cit. art. 3.

299. Arguit 2. Caiet. ibidem loc. cit. & ratione, & auctoritate contrà determinationem quantitatis in Maius. Ratione quidem, quià dato quocumq; igne si apponatur combustibile dispositum, certum est quod comburet: illud ergo crescit quantum est de se in infinitum. Auctoritate autèm ex secundo de Anima tex. 41. ignis augetur in infinitum, si in infinitum apponatur combustibile ergo non datur maximus ignis.

Resp. Caiet. ad 2. Arg.

Resp. Caiet. quod maximum ignem dari, potest intelligi duplicitèr vno modo loquendo de indiuiduo ignis per se vno, alio modo de vno quasi per aggregationem. Et dico quod datur extrinsecè maximus, & minimus ignis in per se vno indiuiduo, quamuis non detur maximus vnus, quasi per aggregationem, nisi ab extrinseco, quià, scilicet, vniuersi natura non patitur ignem superare elementa &c. Vocatur autèm ignis per se, indiuiduum vnum per se, illud, quod constat sic ex vna necessariò in actu, tàm forma, quàm materia, quod per solam diuisionem non possent fieri duo ignes. Nec hoc consistit in indiuisibili, sed tota latitudo à quantitate minima ignis, ad quantitatem duorum minimorum exclusiuè constituit per se vnum numero ignem. Quantitas autèm duorum minimorum, & maior facit vnum quasi per aggregationem. Et idem est iudicium de aqua, & alijs elementis, & huiusmodi humidis. Nec ex his modis intelligas plantam non esse per se vnam, quæ est vna in actu; & multæ in potentia, quoniàm partes plantæ organicæ sunt; & ad complementum naturale indiuidui eius requiritur, quòd habeat omnes partes &c. Non sic est in huiusmodi homogeneis vt patet. Apposito ergo combustibili cuicumq; igni &c. Concedendum est, quod combureret, & quod cresceret in infinitum, sed non esset per se vnus numero ignis. Et sic patet responsio ad auctoritatem Aristotelis. Ità Caiet. loc. cit. art. 3.

Arg. 3. Caiet. contrà probat. 2. consequentiæ.

300. Arguit 3. Caiet. contrà probationem secundæ consequentiæ vtpotè assumens falsum, scilicet, quod quantitas sit vnum accidentium sequentium formam substantialem, cùm constet quantitatem esse accidens consequens materiam. Nec valet dicere, quod quantitas consideratur duplicitèr, scilicet, absolutè, & vt terminata, & quod licet absolutè sit consequens materiam, terminatio tamèn eius sequitur formam: hæc enim licet sint vera, non tamèn sunt ad propositum, quià littera art. 3. ex hoc quod quantitas consequitur ad formam, infert, ergo est terminata; vndè si assumptum esset, quod quantitas quo ad terminationem sequitur formam, esset positio principij.

Resp. Caiet. ad 3. Argumentum.

Resp. Caiet. quantitatem posse sumi duplicitèr vno modo secundum id, quòd est in eà de actu, & sic sequitur formam; alio modo secundum id quod est in ea de potentia, & sic sequitur materiam. Et quoniàm plurimum in ea est, quod spectat ad potentiam materiæ, vt patet in diffinitione quanti in 5. Met. ideò absolutè ponitur accidens consequens compositum ratione materiæ. Et quoniàm in proposito est sermo de quantitate in actu, quià de infinito in actu, ideò in proposito vtens littera art. 3. cit. quantitate ex parte actus, attribuit ipsam formæ; & ex hoc quod ipsa secundum quod est actu sequitur formam, infert ergo est terminata sicut cætera consequentia formam. Ità Caiet. in p. p. q. 7. art. 3. §. Quo ad tertium.

QVAE-

QVÆSTIO XXVI. ET VLTIMA PRIMI PHYSICORVM

Vtrùm detur maximum, & minimum extrinſecum

EX CAIETANO

De Gratia Chriſti Viatoris in 3. p. q. 7. art. 11. & 12.

301. CAiet. in præcedenti quæſtione tetigit aliqua de maximo, & minimo extrinſeco, & licet quæ dixit de terminis intrinſecis magnitudinis, & paruitatis, poſſint breuitatis gratia applicari terminis extrinſecis, nihilominus vt aliqualis ſit completa notitia de iſtis Caiet. occaſione quæſiti in 3. p. q. 7. art. 11. & 12. de Gratia Chriſti an potuerit augeri, & an ſit infinita in ipſo Chriſto Domino, & in alijs viatoribus habeat terminum, declarat aliqualitèr præſentem quæſtionem: diffusè tamèn in p. 1. & in 2. 2. q. 24. art. 7. de Charitate tractans, multa, & quamplura habet de augmento, quæ omnia relinquimus pro vt excedentia terminos rerum naturalium. Quod autèm dixit in præcedenti quæſtione, ſcilicet, in p. p. q. 7. art. 3. ſcilicet quod fiet, Deo dante, ſpecialis quæſtio de maximo, & minimo vniuerſalitèr non citando ſeipſum in aliquo loco adhibito ſtudio in ſuis Comment. hanc non potuimus ſuam inuenire quæſtionem. Terminus igitur extrinſecus magnitudinis appellatur in re naturali illa magnitudo, ſub qua res eſſe non poteſt, & ſub quacumq; minori eſſe poteſt; ſicuti, & etiàm minimum quod non, eſt terminus extrinſecus magnitudinis, quià intèr quantitates, ſub quibus res ſecundum magnitudinem eſſe non poteſt, illa eſt omnium minima. Terminus verò extrinſecus paruitatis eſt ille ſub quo ob maximam paruitatem res eſſe non poteſt, benè tamèn ſub quacumq; maiori; ſicuti, & etiàm maximum quod non, eſt terminus extrinſecus paruitatis, eo quod intèr quantitates paruas, ſub quibus proptèr paruitatem res eſſe nequit, illa eſt omnium maxima. Ità Caiet. primo Titulo. *Declaratur à Caiet. titulus quæſtionis.*

302. Adnotat primo Caiet. Verba D. Th. in Reſp. ad primum art. 12. q. 7. quæ ſunt iſta. Si loquamur de quantitatibus Mathematicis, cuilibet finitæ quantitati poteſt fieri additio, quià ex parte quantitatis finitæ non eſt aliquid quod repugnet additioni. Si verò loquamur de quantitate naturali, ſic poteſt eſſe repugnantia ex parte formæ cui debetur determinata quantitas, ſicut, & alia accidentia determinata. Vndè Philoſophus dicit in ſecundo de Anima tex. 41. quod omnium natura conſtantium, eſt terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti. Et indè eſt quod quantitati totius Cœli non poteſt fieri additio. Multo igitur magis in ipſis formis conſideratur aliquis terminus, vltrà quem non progrediuntur. Et proptèr hoc non opportet, quod Gratiæ Chriſti poſſit fieri additio, quamuis ſit finita ſecundum ſui eſſentiam. Addit Caiet. Conſidera perſpicaciam Reſponſionis, non ſolum propoſitioni obiectæ ſatisfacientis, ſed ex radice oppoſitum monſtrantis, propoſitionem ſiquidem illam, omni finito poteſt fieri additio, cum finitum, & infinitum ſit primo quantitatis, diſtinguit, quod, quantum poſſe fieri finitum, poteſt conſiderari dupliciter primo Mathematicè hoc eſt abſtrahendo à materia ſenſibili, vt loquimur de linea, ſuperficie, vel corpore abſolutè; vel Phyſicè, hoc eſt vt ad ſpecificas natu- *Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 7. art. 12. in Reſp. ad primum quando quantitati repugnet fieri additio.*

 ras

ras rerum naturalium est determinatum, vt quantitas humana, vel Cœlestis. Primo modo vera est propositio illa; secundo falsa, vt patet de quantitate Cœli. Et quià ratio quare quantitati determinatæ ad naturam talem repugnat additio, est forma naturalis, vt patet in secundo de Anima, ideò littera radicem attingens, subdit, quod multo magis ipsi formæ naturali, quamuis finitæ repugnat additio, quoniàm si forma naturalis efficit, vt quantitas, cui secundum se non repugnat additio, excludat additionem, multo magis efficit vt à se ipsa excludat additionem. Quo fit, vt quià Gratia eiusdem est rationis, quo ad finitatem, vel infinitatem cùm formis naturalibus, cùm sit illarum vna, de quibus scriptum est. Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti, ideò Gratia Christi, & finita, & excludens additionem simul est.Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex art. 11. & 12. cit. in quo differat plenitudo Gratiæ Christi, ab illa Matris eius.

303. Adnotat secundo Caiet. ibidem loc. cit. pro ratione D. Th. de maximo quod sit Gratiæ Christi. Siste in hoc loco Lector, & perspice primo quod in præcedentis libri Commentarijs, cùm de Charitate tractaretur, scripsimus non somniasse nos, sed ab Auctoritate didicisse, scilicet, Gratiam, ac per hoc Charitatem in Creaturis habere secundum se terminum in summo, ità quod non sunt amplius augmentabiles, & Verba Auctoris in illo loco, quæ videntur sonare oppositum, non esse falsa, aut correpta, seù hic retractata, sed sunt exponenda, vt ibi exposuimus; & hoc in loco sentiendum est cum Auctore, quod Gratia habitualis Christi est verè in summo, ad quod potest Gratia ex parte sui perduci, vt diximus pluries in præcedentibus, & in art. 11. præcedenti in Resp. ad primum notauimus sobrietatem doctrinæ præsentis circà plenitudinem Gratiæ in B. Virgine, scilicet, vt sit plena Gratia tàm intensiuè, quàm extensiuè non plenitudine Gratiæ secundum se, quià ista est propria ipsius Vnigeniti à Patre: sed plenitudine tàm intensiuè, quã extensiuè requisita ad statum Matris Dei. Et hic nota contrà loquaces, Gratiam Beatæ Virginis extendentes ad omnes effectus Gratiæ, quasi Matris Dei laus indigeat nostris pro voluntate, & non ratione laudibus sub quadam pietatis specie. Siste igitur vir vere deuote, ac docte in laudibus ratione fultis, vt, scilicet, sit Gratia plena non ex parte Gratiæ secùndum se, sed ex parte subiecti, nec in summo intensiuè, aut extensiuè, ex parte Gratiæ. Lauda in ea Gratiam, sed in summo ex parte subiecti suprà omnem puram Creaturam: hæc enim plenitudo Matrem Dei decet, quæ super omnes est puras Creaturas exaltata. Ità Caiet. art. 11. & 12. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex art. 11. quomodo Charitas Christi, & aliorũ eiusdem speciei, differat in modo essendi.

304. Adnotat 3. Caiet. art. 11. cit. quod Gratia habitualis Christi, & aliorum licet sit eiusdem speciei specialissimæ, quo ad essentiam, est tamèn diuersarum rationum, quantùm ad modum essendi. Est siquidem Gratia in Christo, vt in toto, adæquante ipsam secundum se: est autèm in omnibus alijs, vt in partibus inadæquatis ipsi Gratiæ secundum se. Et propterea est in Christo, vt in subiecto, & principio vniuersali Gratiæ, in alijs verò, vt in particulariter participantibus. Et ideò quantumcumq; crescat aliorum Gratia, nunquàm peruenire potest ad quantitatem intensiuam, vel extensiuam Gratiæ Christi. Et vt hæc Doctrina facilius capiatur dicamus sub exemplo. Calor eiusdem est in se speciei, siuè in igne, siuè in aere, siuè in mistis. Verumtamèn ignis adæquat calorem secundum se, quià, scilicet, tàm extensiuè, quàm intensiuè est susceptiuus caloris quantus natus est esse secundum se calor. Aer autèm siuè mistum quodcumq; calorem participat, ità quod statim vt calor in alio, quàm in igne, poni intelligitur limitatus, & deficiens à perfectione, quam natus est calor secundum se habere: intelligitur enim ex hoc ipso, quod calor in subiecto inadæquante calorem secundum se ponitur, limitatus, ac deficiens ponitur. Et propterea quantumcumq; crescere ponatur calor in tali subie-

ſubiecto inadæquante, nunquàm perueniet ad quantitatem perfectionis caloris in igne adæquatè ſubiecto: eo quod tale augmentum etiamſi in infinitum ponatur, continebatur, & ſiſtet infrà latitudinem ſubiecti participantis cuius tota latitudo ſuccumbit ſubiecto adæquato. Sic dicimus de Gratia habituali Chriſti, & aliorum: & hoc eſt Gratiam eſſe diuerſarum rationum, quantitatum, & perfectionum, non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum modum quo fit vt quantumcumquè, quæcumquè Creatura pura creſcat in Gratia, nunquàm peruenire poſſit ad quantitatem æqualem Gratiæ Chriſti, ſicuti nunquàm pars poteſt adæquare totum, niſi partis rationem amittat. Et hoc eſt quod in littera dicitur, reddendo rationem, quare finitum creſcendo non poteſt adæquare aliquid finitum, quià, ſcilicet, habent quantitatem diuerſarum rationum, penès hoc quod Chriſti Gratia eſt virtutis, & quantitatis vniuerſalis, vt caput &c. Aliorum verò eſt perfectionis, & virtutis particularis, cùm perfectione modificata, & menſurata ſecundum ſubiectum particulare. Ità Caiet. loc. cit.

305. Quo ad 2. Caiet. in 3. p. q. 7. art. 11. priuſquàm recitet opinionem S. Th. circà maximum quod ſic, & minimum quod ſic extrinſecum in ordine ad Gratiam habitualem Chriſti Domini, & aliarum creaturarum ex cuius occaſione habetur intentum principale in præſenti quæſtione, habet hæc verba de ſe. Diuinæ vt non deſim Gratiæ, par eſt, vt cæptum opus proſequamur, & quanto amplius Dei, Sanctiſſimiq; Domini noſtri Leonis X. Pontificis Maximi Gratia, Cardinea me dignitate attollens, abundauit: tanto magis debeo Ieſu Chriſti Myſteria, Eccleſiæ Sacramenta ſcrutari, in lucemq; proferre. Hoc igitur Anno eodem ſalutis quidem Milleſimo, quingenteſimo decimo ſeptimo, Ætatis autèm propriæ nono ſupra quadrageſimum, inchoatum opus Die 12. Cardinalatus ſimul, & Menſis Iulij proſequendo titulum huius 11. Articuli q. 7. intelligendum vt ſonat, dicimus quod opinio S. Th. eſt quod Gratia Chriſti, ſcilicet, vnionis eſt infinita, & quod Gratia habitualis vt ens, eſt finita, quià ſubiectum eſt infinitæ capacitatis, quià creatura quædam; at Gratia habitualis vt Gratia ſecundum rationem Gratiæ, eſt Gratia infinita, quià non eſt limitata ſecundum aliquam creatam menſuram, & quantùm ad rem, quià habet quidquid poteſt pertinere ad rationem Gratiæ; & quantum ad exemplum de luce Solis, ſicut ſi dicamus lucem Solis eſſe infinitam, non quidem ſecundum ſuum eſſe, ſed ſecundum rationem lucis, quià habet quidquid ad rationem lucis pertinere poteſt &c.

Recitatur à Caiet. opinio S. Th. de Gratia Chriſti, & aliorum circà maximum quod ſic. in art. 11.

Et in art. 12. ſequenti dicit quod Gratia Chriſti ex parte Gratiæ non poteſt augeri, quià ſicut aliarum formarum, ità, & Gratiæ Chriſti propria menſura ſecundum ſe eſt ex Diuina Sapientia, & per conſequens propria Gratiæ menſura determinata eſt penès finem, quià menſura vnicuiq; formæ præfigitur in comparatione ad finem, ſicuti non eſt maior grauitas, quàm grauitas terræ, quià non poteſt eſſe inferior locus loco terræ. Et deindè ait, quod D. Th. tenet in art. 12. quod Gratia Chriſti non potuit augeri ex parte ſubiecti, quià Chriſtus fuit ab initio comprehenſor, ac per hoc in termino; & manifeſtatur hoc à diſſimili, quià pure Viatorum Gratia poteſt augeri, & ex parte Gratiæ, quià non pertingunt ad ſummum ſecundum ſe; & ex parte ſubiecti, quià adhuc ſunt in via, & non peruenerunt ad viæ terminum. Ex quibus quod dicitur de Gratia, Chriſti, & viatorum, proportionalitèr vult Caiet. quod Philoſophandum ſit de alijs maximis, & minimis extrinſecis in rebus naturalibus. Ità Caiet. loc. cit. q. 7. 3. p. art. 11. & 12.

Opinio D. Th. recitata in art. 12. cit.

306. Quo ad tertium Caiet. ponit ex dictis ſuprà, hanc Concluſionem. Tàm viuentia, quàm non viuentia habent terminum extrinſecum ſuæ magnitudinis.

Concl. Caiet. ex ſua doctrina in

V 2 Pro-

q. 7. art. 11. & 12. p. p. cum sua probatione.

Probatur à Caiet. ex ijs, quæ dicuntur de Gratia viatorum proportionalitèr sic. Gratia viatorum in pura Creatura, quæ non fit simul Deus, & homo, ponitur augmentabilis in infinitum infrà latitudinem viæ, quià non est in termino, quià non habet determinatam formam in via; ergo quià in via habent terminum res naturales, scilicet, determinatam formam habebunt, & determinata accidentia ità quod in infinitum non poterunt crescere, nec sub minimo poterunt decrescere. Consequentia patet de se deducta ex antecedenti, & ex præcedenti quæstione vbi quæ dicuntur de terminis intrinsecis, possunt, & de facili applicari ipsis terminis extrinsecis; vndè non habetur quid possit addi. Ità ex Caiet. doctrina.

Arg. vnicum Caiet. ex Scoto contrà rationem Concl in 2. 2. q. 24. art. 7.

307. Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà Conclusionem, quod ex proportionalitate prædicta intèr Gratiam, vel Charitatem viatoris, & intèr alias formas determinatas non possit inferri intentum quæstionis ex 2. 2. q. 24. art. 6. sic ex Scoto. Charitas, seù Gratia puræ creaturæ in via non habet terminum, quià non habet formam determinatam, ergo aliæ formæ debent habere determinata accidentia, non valet ista Consequentia.

Probatur, ait Scotus, quià Charitas, seù Gratia vt forma spiritualis est quædam participatio Dei ergo secundum aliquem terminum, & gradum determinatum partem capit infinitæ Charitatis Dei, ergo est eadem ratio &c. Probatur hoc: alioquin posset concludi quod calor, & quæcumq; talis forma posset esse infinita, & quod ex hoc, quod est in hoc statu naturali non habeat terminum, sicuti, & Gratia viatoris: ergo non benè infertur &c.

Resp Caiet. ad Arg. Scoti.

Resp. Caiet. quod Argumentum Scoti non est ad propositum, vndè de ipso non opportet esse sollicitum, sed in quantum est contrà intentum quæstionis præsentis, & contrà Conclusionem soluendum est. Vndè dicitur, quod non est par ratio de alijs formis, scilicet, calore &c. Et de Charitate, vel Gratia, quià ista est participatio infiniti, cum conuenientia formali: calor autèm non, vt patet. Non enim est in Deo calor formalitèr, benè tamèn Deus est Charitas formalitèr: iuxtà illud Apostoli, Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet. Ità Caiet. pro complemento huius suæ quæstionis, & primi libri Physicorum.

IN-

INCIPIT LIBER SECVNDVS Phyſicorum

QVAESTIO PRIMA

Vtrum ratio naturæ competat materiæ, & omni formæ ſubſtantiali

EX CAIETANO

In p. p. q. 70. art. 3. & in q. 76. art. 1. in Reſp. ad primum.

1. Caietanus ait quod Ariſt. in ſecundo Phyſicorum intendit agere de natura, & cauſis: quià iſta duo habent intèr ſe connexionem, cum ipſa natura diffiniatur per modum principij, & cauſæ ipſius motus, ſcilicet, natura eſt principium, & cauſa motus quietis eius, in quo eſt primo, & per ſe, & non ſecundum accidens; & dicitur ly principium, & additur ly cauſa ad deſignandum cum D. Th. lect. prima quod in aliquibus natura eſt principium paſſiuum, in aliquibus verò eſt principium actiuum: per ly cauſa deſignatur influxus verus, & realis, qui exigitur in natura reſpectu motus; Et addit Caiet. quod diffinitio naturæ benè explicatur per differentiam intèr ea quæ fiunt ab arte, & quæ fiunt è natura vt videbimus in quæſtione ſequenti. Quod enim eſt certum in hac re, eſt, quod diffinitio naturæ competit tam materiæ, quàm formæ Phyſicæ, ſola difficultas eſt an competat omni formæ ſubſtantiali puta animæ intellectiuæ proptèr ſui excellentiam, & independentiam à materia, quo ad intellectiuum principium, & hoc in p. p. q. 76. art. 1. in Reſp. ad primum; & an competat formæ ſeù corpori cœleſti prout ſupponitur non animatum, & hoc in p. p. q. 70. art. tertio. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratur à Caiet. Titulus, & ſtatus controuerſiæ Tyronibus Thomiſtis in loc. cit.

2. Adnotat primo Caiet. pro ly natura cum D. Th. in p. p. q. 29. art. 1. in Reſp. ad quartum quod ſecundum Philoſophum in 5. Met. tex. 5. Nomen naturæ primo impoſitum eſt ad ſignificandam generationem viuentium, quæ dicitur natiuitas. Et quià huiuſmodi generatio eſt à principio intrinſeco extenſum eſt hoc nomen ad ſignificandum principium intrinſecum cuiuſcumque motus. Et ſic diffinitur natura in hoc 2. Phyſ. tex. 3. Et quià huiuſmodi principium eſt formale, vel materiale, communitèr tàm materia, quàm forma dicitur natura. Et quià per formam completur eſſentia vniuſcuiuſque rei, communitèr eſſentia vniuſcuiuſquè rei, quam ſignificat eius diffinitio, vocatur natura. Et ſic accipitur natura, quando ponitur in diffinitione perſonæ; Vndè Boetius in libro de duabus naturis dicit, quod natura eſt vnumquodque informans ſpecifica differentia; ſpecifica enim differentia eſt, quæ complet diffinitionem, & ſumitur à propria forma rei. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. in p. p. q. 29. art. 1. in Reſp. ad 4. in qua dicitur in quo ſenſu ſumatur hic natura.

3. Adnotat ſecundo Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 66. art. 1. in Reſp. ad primum pro anima rationali, quod Philoſophus in hoc ſecundo Phyſ. tex. 26. ait, ipſam eſſe vltimam formarum naturalium, ad quam terminatur conſideratio Philoſophi natura-
lis,

Doctr. 2. Caiet. in p. p. q. 66. art. 1. in Reſp. ad 1.

quod anima rationalis est vera forma corporis.

lis, scilicet, anima humana est quidem separata, sed tamèn in materia, non immersa, vel ab ea totalitèr comprehensa proptèr suam perfectionem, quamuis secundum suam essentiam sit corporis forma, quod ex hoc probat, quià homo ex materia generat hominem, & Sol. Separata quidem est secundum virtutem intellectiuam, quià virtus intellectiua, non est virtus alicuius organi corporalis, sicut virtus visiua est actus oculi: Intelligere enim est actus, qui non potest exerceri per organum corporale, sicut exercetur Visio, & ideò nihil prohibet, aliquam eius virtutem non esse corporis actum. Sed anima est, in materia, in quantùm ipsa anima, cuius est hæc virtus, est corporis forma, & terminus generationis humanæ; & sic Philosophus dicit, in tertio de anima, quod intellectus est separatus, quià non est virtus alicuius organi corporalis; vndè si de ipsa anima non supponatur pro probato euidentèr quod sit corporis forma non erit certum quod competat ipsi ratio naturæ, pro vt est distincta à Philosopho. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex p. p. q. 70. art. 3 pro Cælo ipso.

4. Adnotat secundo Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 70. art. 3. pro forma, seu pro corporibus cœlestibus. Quod motus corporis cœlestis est naturalis, non proptèr principium actiuum, sed proptèr principium passiuum, quià, scilicet, habet in sua natura aptitudinem, vt tali motu, ab intellectu moueatur. Et in Resp. ad quintum loc. cit. quod cœlum dicitúr mouere se ipsum, in quantùm componitur ex motore, & mobili, non sicut ex forma, & materia, secundum contactum virtutis. Et hoc etiàm modo potest dici, quod eius motor est principium intrinsecum, vt sic etiàm motus Cœli possit dici naturalis ex parte principij actiui, sicut motus voluntariùs dicitur esse naturalis animali in quantùm est animal, vt dicitur in 8. Phys. tex. 27. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Opiniones recitatæ à Caiet. in p. p. q. 70. art. 3. circà Cælum.

5. Quoad secundum Caiet. in p. p. q. 70. art. 3. circà Cœlum de quo dubitatur an sit secundum Arist. animatum, vel inanimatum, apud D. Th. dicit, quod S. Doct. in 2. cont. gent. c. 70. vult, quod secundum Arist. opportet Cœlum ponere animatum, ità quod anima vniatur Cœlo vt forma: in isto tamèn art. 3. cit. dicit ex Arist. quod sufficit vniri, vt motorem mobili. Ad hoc non video responsionem nisi alteram duarum, vel quod hic meliùs dixit, quià, & posterius scripsit. Vel quod ibi intendebat, quod opportet secundum Arist. Cœlum esse propriè animatum, saltem non repugnantèr, eo quod doctrina sua ad hoc tendit. Quamuis enim posset interpretari, vt hic fecit: ex his tamèn, quæ in secundo Cœli dicuntur, habemus, quod animatum indistinctè posuit: opportet ergo non repugnare, quod sit animatum secundum substantiam, & hoc sat erat contrà Auuerroim, contrà quem loquebatur. Sustinent autèm verba illa glosam, quià quando contrà Auuerroim erat sermo, fas erat, declinare in oppositum, vt Aug. contrà Pelagianos facit. Posset fortè tertio dici, quod hic secundum propriam opinionem, ibi secundum Arist. & quamuis adducat Arist. non tamèn asserit hanc esse eius opinionem, sed ex dictis eius sibi seruit. Quomodo autèm vt dicitur in Resp. ad quintum possit dici, quod moueatur ab intrinseco, si vnitur motor, solùm vt motor, non est tàm dubium contrà Arist. quod non sit etiàm contrà Auuerroim, & cæteros. Ità Caiet. qui circà hoc nil aliud dicit.

Opinio Caiet. recitata in p. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad 1. de anima rationali in quo sensu sit

6. Quo ad animam rationalem, si ipsi competat ratio naturæ prout est diffinita in hoc 2. Phys. cum dicat de se principium motus Physici, & non Metaphysici. Caiet. ait in p. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad primum quod dependet resolutio ex hoc quod sit forma corporis vera realitèr physicè, quod præsens negotium arduum est, quantùm ad potentiam intellectiuam, & debet, si potest intenta doctrina D. Th. saluari posita in secunda adnotatione suprà, secundum omnem opinionem, quæ non euidentèr

tèr est impossibilis, vt sollicitudo S.Th. in superioribus ostendit, cùm de distinctione intellectus ab anima, scrupolosa valdè quæstio sit, Thomistis tenentibus distingui ipsum realitèr ab ea: Scotistis dicentibus ipsum esse idem realitèr, quod essentia animæ, sed distingui formalitèr ab ea, quamuis de facto doctrina in secunda adnotatione quam dat S.Th. sustinenda sit: non videtur tamen mihi arctanda tanta res sub iugo istius alterius quæstionis. Sed dicendum potiùs, quod quidquid sit de distinctione intellectus ab anima, anima intellectiua secundum essentiam est actus corporis, & secundum potentiam non est actus corporis, quià anima intellectiua in quantum potest intelligere, corpus non perficit, cuius signum est, quod intelligere non suscipitur in corpore, eiusdem enim est actus, cuius est potentia, vt dicitur de somno, & vigilia. Itaque cùm sit verè anima intellectiua forma corporis, vtiq; ipsi conueniet ratio naturæ etiàm secundum vltimum gradum, quidquid sit de statu separationis, cuius consideratio spectat ad Metaphysicum. Ità Caiet. loc cit. *vera corporis forma.*

De composito ex materia, & forma, an conueniat illi ratio naturæ. Caiet. dicit cum D. Th. in prima adnotatione suprà, quod compositum sumptum non pro supposito, quià non operatur vt principium quo, sed vt quod, sed sumptum prò forma totali, scilicet, pro humanitate, est vtique natura, sumpta natura, vt ait S. Doct. pro quidditate, & essentia. Ità Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 29. art. primo in Resp. ad quartum. *Opinio D. Thomæ circà formam totalem recit. à Caiet. in p. p. q. 29. ar. 1. in Resp. ad quartum.*

Ioannes à S. Th. & Lerma dicunt quod est natura, quià etiàm ipsa forma totalis est principium radicale motus. Negant complutenses, quià forma totalis non est principium omninò primum, & radicale motus, cùm præsupponat alia principia priora, scilicet, materiam, & formam ex quibus componitur: omnes tamèn conueniunt vt suprà cum Caiet. & D. Th.

7. Quo ad tertium sit vnica Conclusio responsiua quæsiti Caiet. cum D. Th. Corporibus cœlestibus conuenit ratio naturæ ratione principij passiui. Animæ verò rationali competit ratione principij actiui. *Conclusio vnica respõsiua quæsiti ipsius Caiet. cum sua probatione primæ partis quo ad Cælum.*

Probatur à Caiet. ex sua doctrina sic loc. cit. p. p. & prima pars sub tali forma. Formæ Cœlorum non sunt viuentes ex S. Doct. & tamèn sunt vera entia naturalia, ergo natura ipsis conueniet ratione principij passiui. Antecedens est de se manifestum. Consequentia est S. Doctoris in p.p. q.70. art.3. in Resp. ad quartum, quià principium actiuum motus eius in quo est, solùm conuenit formis viuentibus, & ad rationem naturæ non desideratur in formis substantialibus, quod sint principium actiuum motus: sed satis erit quod sint passiuum. Ità Caiet. cum D. Th.

Probatur secunda pars à Caiet. cùm D. Th. ex suis doctrinis sic. Anima rationalis vt definitum est in Concilio Viennensi, & in Lateranensi sub Leone X. & vt ratio dictat secundum vltimum gradum rationalitatis, idest secundum suam essentiam verè constituit hominem, & est forma vera Physica constitutiua illius, ergo erit natura etiàm secundum suam essentiam. Probatur consequentia quià in statu coniunctionis pro vt spectat ad Physicum, est principium nedum intellectionis, & volitionis in coniuncto dependentèr, scilicet, ministerialitèr à sensibus, qui sunt corporei & materiales, esto intellectio, & volitio in se quo ad substantiam sint spirituales, sed etiàm secundum eumdem gradum est principium admirationis, risus, fletus, locutionis, qui non possunt, cùm sint naturales in homine, vt homo est, ab ipsa anima vt rationalis est, tanquàm à principio quo, & rationali non nisi dimanare, ergo &c. Ità Caiet. cùm D. Th. in suis Doctrinis cit. *Prob. Caiet. 2. partis Conclusionis quo ad animam rationalem*

8. Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà secundam partem Conclusionis in p. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad primum sic. Anima secundum vltimum gradum, scilicet, vt intellecti- *Arg. 1. Caiet. in p. p. q. 76. art. 1.*

in Resp. ad 1. contrà 2. partem Conclusionis. lectiua, non est actus corporis, sed habet operationes communes tantùm Deo, & Angelis, scilicet, intellectionem, & volitionem, ergo si secundum istum gradum non est forma corporis, non poßet competere illi ratio naturæ, quæ saluatur in illis formis, quæ sunt principia vt quo motus Physici, & non Metaphysici. Consequentia est manifesta ex dictis. Antecedens patet; quià non est possibile intelligere, quod si anima est idem intellectui, sit actus corporis, & non sit actus corporis.

Resp. ad 1. Arg. Caiet. Resp. Caiet. facile Resp. quod ipsa quidem est actus corporis, sed ipsa in quantùm intellectiua non est actus corporis, idest anima intellectiua idemticè, non formalitèr est actus corporis, vel, & meliùs, intellectus idemticè, non formalitèr est actus corporis, & hoc est dictum, quod secundum rem est res recepta in corpore, idest in materia, sed hoc non habet ex hoc quod est in corpore, & in materia, sed ex hoc habet, quod sit independens à corpore, vel vt ait S. Doct. idest quod non est immersa in materia, vel ab ea totalitèr comprehensa proptèr suam perfectionem, & independentiam. Ità D. Th. cum Caiet. in Resp. ad primum loc. cit.

Instantia prima Caiet. contrà suam Resp. Instat Caiet. ibidem contrà hanc Responsionem primo sic. Si sic est vt in Resp. iàm anima intellectiua non differt ab alijs gradibus Metaphysicalibus, de quibus verè dicitur, quod formalitèr non dependent à materia, & tamèn quandò sunt recepti in materia, sunt verè materiales; Anima etiam Bouis in quantum substantia, non habet quod sit corporis actus, vt patet, & tamèn non propter eà potest vere dici, quod substantia animæ Bouis non est actus corporis, ergo nec de anima intellectiua.

Instantia secunda Caiet. contrà suam Resp. Instatur secundo, quià videmur incidere in id quod dicit Arist. in primo de anima tex. 13. vel 14. quod anima est sicut curuum, aut sphæra, cui formalitèr sumpto attribuitur aliquid, cùm tamèn nihil illius inueniatur realitèr, nisi in materia; sic enim secundum hoc fateremur de intellectu, ex quo secundum rem in materia ponitur, quamuis non formalitèr.

Resp. Caiet. ad suas duas Instantias simul. 9. Resp. Caiet. Dicendum est ad ista, quod anima intellectiua ex hoc quod intellectiua est, non hac tantùm gaudet negatione, quod ex hoc non habet, quod sit corporis actus, sed vendicat sibi positiuè, hoc quod habet secundum rem esse independens à corpore, & consequentèr secundum rem, posse, & operari absque dependentia à corpore, quod neque gradibus Metaphysicalibus, neque Mathematicalibus conuenit. Anima enim intellectiua, & informat corpus, & independet secundum esse realitèr à corpore, & operatur reali operatione absque communicatione corporis, ità quod operatio illa à sola, & in sola anima est, quamuis ipsa anima sit in corpore, & hoc quià ipsa anima habet esse independens à corpore. Nihil ergo obstat veritati attribuere, & quod non sit actus corporis, & indeterminationem ad naturam corpoream, & receptionem vniuersalitèr, excessui essentiali animæ intellectiuæ suprà corpus, idest subsistentiæ, seù independentiæ eius secundum esse à corpore, quoniàm secundum veritatem ista est radix, siuè sit proximum fundamentum secundum rem, siuè non, sed mediante potentia realitèr à se distincta. Ex hoc enim quod anima habet esse independens à corpore sequitur, & quod est forma non materialis, & consequentèr non determinata ad aliquam naturam corpoream, & quod potest recipere sola, & consequentèr vniuersalitèr. Nec hæc latuerunt D. Th. imò ab ipso hæc didici, quoniam in quæstione præcedenti 75. probauit essentiam animæ, quam modo fatetur actum corporis, esse formam incorpoream, subsistentem, & vniuersalem in recipiendo à posteriori, quià, scilicet, cognoscit naturas omnium corporum: neque enim de vno accidente, quod ponitur intellectus, sed de ipsa animæ substantia conditiones essentiales tradidit.

Quamuis igitur vtatur quandoque D. Th. propria opinione de distinctione intel-

lectus

lectus ab anima, non tamen sic vti intelligendus est, vt alligauerit hoc ad illam, imò ex sua insinuauit doctrina, etiàm sine illa reliqua posse intelligi. Et hæc benè nota. Ità Caiet. in p. p. q. 76. art. 1. in Resp. ad primum.

QVÆSTIO II. SECVNDI PHYSICORVM

In quo differant voluntas, & natura; & insuper natura, & ars

EX CAIETANO

P. p. q. 41. art. 2. & 3. p. quæst. 75. art. 5. & 6. & alibi pluries in suis Commentarijs.

10. Caietanus non nimis immoratur in differentia intèr violentum, & naturale, cum hæc satis constet ex ipsa diffinitione violenti, quod, scilicet, est illud, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim; & ly non conferre vim intelligitur positiuè, & non negatiuè, & facit sensum, scilicet, vt subiectum patiatur violentiam non debet conferre vim, idest inclinationem naturalem ad id quod patitur, sed debet resistere positiuè per contrariam inclinationem. Et sic violentum dicitur opponi naturali, quià naturale resistit per inclinationem naturalem; & opponitur voluntario, quià hoc resistit per liberam electionem voluntatis. Et addit Caiet. in p. 2. q. 6. art. 4. in Resp. ad secundum quod motus non est semper violentus, quando passiuum immutatur à suo actiuo, sed quando hoc fit contrà interiorem inclinationem passiui; alioquin, ait S. Doctor, omnes alterationes, & generationes simplicium corporum essent innaturales, & violentæ: sunt autem naturales proptèr naturalem aptitudinem interiorem materiæ, vel subiecti ad talem dispositionem. Et similitèr quando voluntas mouetur ab appetibili secundum propriam inclinationem non est motus violentus, sed voluntarius. Hæc pauca de violento habet. Ità Caiet. loc. cit.

Explicat Caiet. quædam de violento ad differentiam naturæ in p. 2. q. 6. art. 4. in Resp. ad secundũ

De differentia intèr voluntatem, & naturam.

11. ADnotat primo Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 41. art. 2. quod intèr opera Hilarij lib. de Syno. in Symbolo Firmiensi habetur hæc propositio, quod si quis voluntate Dei tanquàm vnum aliquid de creaturis filium factum dicat, anathema sit. Huius ratio est, quià voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quià natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum, cuius ratio est: quià effectus assimilatur formæ agentis per quam agit. Manifestum est autèm, quod vnius rei, non est nisi vna forma naturalis, per quam habet res esse; vndè quale ipsum est, tale facit. Sed forma per quam voluntas agit non est vna tantum, sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectæ. Vndè quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas est principium, quæ possunt sic,

Doct. 1. Caiet. in p. p. q. 41. art. 2. in quo voluntas, & natura differant.

vel alitèr esse. Eorum autèm, quæ non possunt nisi sic esse principium natura est. Et addit Caiet. Differt igitur voluntas à natura, quià natura constituitur in esse per vnicam formam, voluntas autèm constituitur in suo esse, quod est velle per multas formas, idest obiecta volita. Tùm volendo multa per multa, tùm volendo opposita per vnum. Vltima autèm differentia ex parte productorum se tenens intelligenda est non absolutè, sed vt stat sub talibus causis, hoc siquidem, modo duplici intelligi potest, scilicet, simplicitèr, & sic est falsum quod effectus naturæ non possint alitèr se habere, vt manifestè patet. Et vt stat sub tali causa, & sic est verum, & intentum, quoniàm effectus naturalis, deductis impedimentis, opportet quod sit talis, quale est agens, nec potest, aut potuit secus ab illo agente fieri: effectus verò voluntarius, potest, aut potuit sic, & alitèr fieri, ex quo voluntarius est. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ibidem loc. cit. declaratiua eiusdem differentiæ.

12. Adnotat secundo Caiet. ibidem, quod intèr naturale, & voluntarium agens, hoc interest, quod naturale agit quià est; Voluntarium verò quià vult: ac per hoc forma naturalis est ratio agendi, quià est, forma verò voluntaria est ratio agendi, quià volita. Et propterea modus per se formæ naturalis est sic, vel sic esse, nàm sic esse ad latitudinem essendi spectat. Modus verò per se formæ voluntariæ est sic, vel sic volitum, & non sic esse, nàm sic volitum spectat ad latitudinem voliti, sic autèm esse distinguitur contrà illud. Ex his autèm vlterius sequuntur duo. Primo quod forma voluntaria habet duplicem essendi modum, vnum in quantum est vnum entium in mundo, & hic est esse immaterialitèr in mente. Et alterum in quantum est ratio agendi, & hoc est esse sic, vel sic volitum, forma autèm naturalis eundem essendi modum habet, in quantum est ens, & in quantùm est ratio agendi, & ratio est, quam diximus, quià ista agit, quià est, illa quià volita, velle enim est aliud ab esse; Secundo quod agens naturale assimilat sibi in forma, & modo formæ, quantum potest effectum absque distinctione aliqua, & propterea Filius assimilatur Patri etiàm in indiuidualibus conditionibus, si virtus generatiua sit fortis. Et indè prouenit etiàm, quod tantùm substantiæ compositæ possunt immediatè producere substantias materiales apud peripateticos. Agens verò voluntarium assimilat effectum formæ qua agit, & modo eius in quantùm ratio agendi, non autèm modo eius in quantùm ens. Et sic vide, quàm perspicuè ex illa maxima, author tertiam differentiam intulerit, quod, scilicet, naturale agit quale ipsum est, voluntarium verò quale vult, non quale est, & hæc bene notato, & applicato quando opportet. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ibidem loc. cit. quo modo voluntas habeat rationem naturæ.

13. Adnotat tertio Caiet. ibidem loc. cit. quod natura imbibitur etiàm in ipsa voluntate, quià primum quod in vnoquoque saluatur est natura. Voluntas igitur habet rationem naturæ dupliciter. Primo vt determinata est ex respectu alicuius obiecti ad velle, ità quod non potest velle illud, vel è conuerso ad nolle aliquid, ità quod non potest velle illud. Et sic concorditèr dicimus, quod voluntas habet rationem naturæ respectu Beatitudinis, & Miseriæ, sed cùm hac naturalitate stat libertas quo ad exercitium actus, idest velle, aut non velle, & similitèr nolle, aut non nolle; Secundo vt determinata est ex propria natura respectu alicuius obiecti ad velle, non solùm vt distinguitur contrà nolle, sed etiàm vt distinguitur contrà non velle, scilicet, quod opportet ipsam ex se præsentatum tale obiectum velle, absque libertate suspendendi actum. Et in hoc dissentire intendit Scotus, ità quod ratio naturæ in voluntate, respectu exercitij actus, est in qua dissentimus, & quæ impugnatur. Et addit Caiet. ibidem, quod accipiendo voluntatem vt principium, & pro potentia volitiua, verum est, quod productio Spiritus Sancti in Diuinis est à

volun-

voluntate vt principio, & vt distincta contrà naturam, idest substantiam volentis, non autèm contrà naturam, idest rationem naturæ in se participatam quasi, idest contrà modum operandi naturæ. Ex hoc enim quod procedit per operationem volitiuæ potentiæ, habet illas tres conditiones, in quibus differt modus voluntatis à modo naturæ, vt sunt in q. disp. de potentia Dei q. 10. art. 10. ad 11. Accipiendo autèm voluntatem pro ratione voluntatis in quantum est libera, sic negatur quod processio Spiritus Sancti sit à voluntate, & dicitur quod est à voluntate non in quantum voluntas, sed in quantùm natura, & similia. Vndè opportet aduertere, quomodo vtatur quis vocabulis. Ità Caiet. in fine art. 2. q. 41. cit.

14. Adnotat tamdèm Caiet. quarto ibidem quod naturale, & liberum per se primo diuersificant non potentiam, sed modum operandi, præsupponunt tamèn diuersitatem potentiarum naturalis, & liberæ, non ità quod sicuti datur potentia merè naturalis, ità detur potentia merè libera, quià hoc est impossibile, quoniàm in posteriori opportet saluari rationem prioris, & infimum inferioris participare superius. Constat enim quod natura prior est voluntate: sed datur potentia verè libera, quæ secundum sui supremum habet rationem naturæ, secundum verò reliquum est mere libera; & liberum reducitur ad naturale, vt multa ad vnum, vt motus ad immobile, & varium ad vniforme. Et propterea opportet, quod oriatur ab ipso, & fundetur in ipso, sitque ipsius effectus vt inferius in q. 60. art. 2. & 82. art. 1. p. p. manifestatur. Conceditur ergo quod naturale, & liberum sunt distincti modi agendi, non tamèn quod sint oppositi modi distinctiui potentiarum, sed propriè loquendo sunt distinctiui modorum possendi. Et tamèn non sequitur ergo est alia potentia, sed ergo est alia potentia vel alia ratio eiusdem potentiæ. Dicatur vnico verbo. Quod voluntas distinguitur contrà naturam præcisè, & non contrà naturam intraneam voluntati, quæ est simul natura, & voluntas: Ità enim se habent naturale, & liberum in voluntate, sicut discurrere, & naturalis notitia in intellectu. Ità de libero, seù de voluntate, & natura pro quanto spectat ad propositum, discurrit Caiet. in q. 41. p. p. art. 2. *Doctr. 4. Caiet. ibidem loc. cit. in quo propriè differat liberum, & naturale.*

De differentia intèr artificialia, & naturalia.

15. ADnotat Caiet. primo in p. 2. q. 57. art. 5. quo modo artificialia in vsu se habent, ad differentiam naturalium, scilicet, quod S. Doctor in art. præced. ait quod ars nec supponit appetitum rectum moralitèr, nec inclinat ad ipsum rectum siuè moralitèr, siuè artificialitèr, in art. 5. cit. dicit, quod propria veritas eius consistit in conformitate ad appetitum rectum non in moralibus, sed in artificialibus, qui tùnc est cum suum finem habet, à quo obliquando artificiale, malum est: quià veritas intellectus practici consistit in adæquato dirigere, vt exteriora opera testantur, hæc autèm nec veritati, nec auctori contradicunt, & exemplicamus, quod in omni arte est dare finem rectum, & non rectum sic. Intantum non pendet veritas directionis intellectus practici, ab appetitu recto in factibilibus, quod si statuarius per statuam repræsentaret hominem, & per statuam intendat Monstrum, aut improportionata membra volens, vel nolens faciat, directio erronea erit, & non ab arte: quoniam ipsa verorum tantùm est, quià virtus est; si autèm intendat repræsentare Monstrum, vel talem improportionem, directio vera, & opus verum erit, vt potè conformitatem habens intento fini, cui nata est conformari talis ratio. Necte decipiat, nou ktie, quisquam dicens veritatem huiusmodi non spectare ad ar- *Doctr. 1. Caiet. in p. 2. q. 57. art. 5. de vsu artis, & vsu naturæ.*

tem, sed artis vsum: & consequentèr, quià etiàm vsus intellectus speculatiui ab appetitu pendet, sicut contingit Logicum sylogizare ex quattuor terminis volentem, & ex tribus etiàm volentem, ac per hoc verè, vel non verè ipsa Logica vti, ità in arte huiusmodi, ergo veritas directionis ad vsum spectat, & non ad artem. Aduerte namque coincidentiam vsus cum directione in arte, & vide, quare apparet, quod veritas huiusmodi spectet ad vsum, & non artem, quamuis enim vsus, & directio artis conincidant, distinguuntur tamèn saltèm ratione: & arti conuenit directionis veritas non ratione vsus, sed ratione propriæ naturæ, quæ nata est dirigere non nisi determinata ad directionem ab appetitu recto. In virtutibus autèm speculatiuis solus vsus inuenitur pendens ab appetitu. Ex his habes differentiam, etiàm quo ad vsum, quæ est intèr voluntarium, naturale, & intèr artificialia quod ista sunt à principio extrinseco, ità quod nec ipse intellectus, in arte vt dirigens, mouet naturalitèr, & intrinsecè, sed tantùm dirigendo, & imperando; vndè non solùm principium artis est extrinsecum, sed etiàm ipsa forma producta per artem est principium extrinsecum motus, & sic ex nullo capite ars potest esse principium intrinsecum motus, in quo maximè differt à natura, quæ, vt diximus est principium intrinsecum. Ità Ciet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. in 3 p. q. 66. art. 4. in quo differant ars, & natura.

16. Adnotat secundo Caiet. in 3. p. q. 66. art. 4. differentiam inter artificiale, & naturale, quo ad ipsam operationem cum D. Th. quo ad aquam transmutatam per artem, & transmutatam per naturam. Nimirùm, quod aqua suam puritatem, & simplicitatem potest amittere dupliciter. Vno modo per mistionem alterius corporis: alio modo per alterationem, vtrumque autèm eorum contingit fieri dupliciter, scilicet per artem, & naturam. Ars autem deficit ab operatione naturæ, quià natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest, sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi, & fortè apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili, per quem modum à quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur. Quæcumque igitur transmutatio circà aquam, facta est per artem, siuè commiscendo, siuè alterando non transmutantur species aquæ vndè in tali aqua potest fieri Baptismus nisi fortè admisceatur per artem in tam parua quantitate alicui corpori, quod compositum sit magis aliud, quàm aqua; sicut lutum est magis terra, quàm aqua; & vinum lymphatum magis est vinum, quàm aqua; sed transmutatio quæ fit à natura, quandoque quidem speciem aquæ soluit, & hoc fit, quando aqua efficitur per naturam de substantia alicuius corporis misti, sicut aqua conuersa in liquorem vuæ, est vinum, vndè non habet speciem aquæ; aliquando, fit consumatio aquæ sinè solutione speciei per alterationem, tàm per naturam, sicut patet de aqua calefacta à Sole, quàm etiàm permistionem, vt patet de aqua fluminis turbida ex permistione terrestrium partium, & sic in his transmutationibus dummodò non soluatur species aquæ fieri potest Baptismus, alitèr non. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in 3. p. q. 75. art. 6. & 5. quo modo ars possit inducere in subiecto formam substantialem.

17. Adnotat tertio Caiet. in 3. p. q. 75. art. 6. in Resp. ad primum cùm D. Th. quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non est accidens, sed forma substantialis; sicuti arte possunt produci Ranæ, aut Serpentes, talem enim formam non producit ars, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam. Et in art. 5. in Resp. ad primum ait, quod forma panis, est forma substantialis specie differens à pasta, & dùm fit panis virtute ignis, &c. persuadetur sic esse, quià ex fide tenemus, conuersionem solius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi; si enim forma panis, esset accidens, non per se, sed per aliud, scilicet, subiectum

ctum converteretur Patris in Corpus Christi. Et rursus nihil prohiberet facta consecratione remanere formam panis cùm cæteris accidentibus remanentibus, quod constat esse falsum. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

18. Adnotat. Caiet. in 2. 2. q. 77. art. 2. in Resp. ad primum cum D. Thom. quod aurum, & argentum non solum cara sunt propter vtilitatem vasorum, quæ ex eis fabricantur, aut aliorum huiusmodi: sed etiàm proptèr dignitatem, & puritatem substantiæ ipsorum. Et ideò si aurum, vel argentum ab Alchimicis factum veram speciem non habet auri, & argenti est fraudulenta, & iniusta venditio: præsertim, cùm sint aliquæ vtilitates auri, & argenti veri, secundum naturalem operationem ipsorum, quæ non conueniunt auro per alchimiam sophisticato, sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contrà quasdam infirmitates iuuat medicinalitèr. Frequentius etiàm potest poni in operatione, & diutius in sua puritate permanet aurum verum, quàm aurum sophisticum. Si autèm per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere quià nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales, & veros effectus Aug. cit. 11. de Trin. de his quæ arte Dæmonum fiunt cap. 16. Ità D. Th.

Doct. 4. Caiet. in 2. 2. q. 77 art. 2. in Resp. ad primum quod ars alchimiæ, nec verè facit opera naturæ.

19. Addit Caiet. nota, quod licet Auctór in Resp. ad primum non reputet impossibile fieri aurum verum per artem, quià tamèn nunquàm, aut raro fit, sed sæpissimè accidit contrarium, quod, scilicet, ex vero auro faciat fumum, dùm multas expensas faciunt, quæ in fumum resoluuntur: ideò huiusmodi ars aut non humana, aut Principum post res consultas cum sapientibus est. Habes autèm in littera, quod non sufficit Alchimicum aurum, vel argentum, tale facere, vt nummis, vasis, & huiusmodi construendis sit habile, tùm proptèr naturæ impuritatem, tùm proptèr operationes naturales, tùm proptèr frequentiorem applicationem, tùm proptèr diuturniorem permansionem; Iniustam ergo reddit venditionem, talis speciei defectus &c. Et si benè perspexeris has quatuor rationes, videbis eas habere locum in alijs, quæ per Alchimiam fieri possunt, proportionalitèr applicando, nisi fortè tertia ratio in quibusdam loco careat, propterea quià res illa non nisi semel applicari potuisset ad operationem ex natura sua: Reliquæ namq; communes ad omnia, huiusmodi rationes videntur &c. Et ideò memento applicare eas ad occurrentia. Ità Caiet. art. 2. q. 77. 22.

APPENDICES.

SI vis, Nouitie Thomista vt verus discipulus D. Th. & Caiet. scire differentiam intèr operationes naturæ etiàm occultas, nimirùm quod aqua Maris fluat, & refluat, quod Magnes attrahat ferrum, quod reubarbarum semper purget determinatum humorem, & similes; & in mistis, puta, quod Aurum lætificet cor, quod Saphyrus sanguinem constringat &c. Et differentiam intèr occultas operationes artis, puta quod ad aliquam sculpturam moriantur Serpentes, aut immobilitentur Animalia, vel lædantur &c. Si vis, inquàm, scire à primis principijs, & fundamentis hanc differentiam radicitùs, legas breue opusculum 34. D. Th. de occultis operationibus naturæ ad quemdam militem.

Ibi in primis habet, quod talia naturæ opera fiunt cum quadam transmutatione, & secundum certum cuiusdam temporis spatium prouenit ex Corpore Cœlesti, per cuius motum, temporis mensura diffinitur; à substantijs autèm intellectualibus inueni-

stenitur in naturæ operationibus, quod determinatis vijs ad determinatos fines, rerum ordine, & congruentissimo modo procedunt: sicut, & ea, quæ fiunt ab Arte, (in quo conueniunt) itá quod totum opus naturæ videtur esse opus cuiusdam Sapientis, proptèr quod, & natura dicitur sagacitèr operari. Aqua enim Maris fluens, & refluens talem motum sortitur proptèr proprietatem Elementi ex virtute Lunæ, non per aliquam formam sibi impressam, sed ex Lunæ motione, qua, scilicet, aqua mouetur à Luna; & quod reubarbarum semper purget &c. prouenit ex aliqua virtute indita, & permamente in tali corpore, & formæ mistorum, scilicet, lapidum, mineralium, prætèr virtutes, & actiones, quas ab Elementis participant ex quibus componuntur, habent quasdam alias virtutes; & actiones nobiliores consequentes formas eorum specificas. Virtutes etiàm, & actiones mediorum corporum transcendentes virtutes Elementorum consequuntur eorum proprias formas, & reducuntur vt in altiora principia, scilicet, in virtutes Corporum Cœlestium, & adhuc altius in substantias separatas. Formæ autèm artificiales sunt accidentia quædam; quæ non consequuntur speciem. Non enim potest esse, quod aliquod artificiatum, aliquam operationem, & virtutem à Corpore Cœlesti in sua operatione participet, vel sortiatur ad producendum ex virtute indita aliquos effectus naturales transcendentes virtutes Elementorum. Sed qui sunt effectus præmemorati, procedunt ex virtute agentis extrinseci, quod vtitur talibus sicut instrumentis ad suum effectum, scilicet, ab aliquibus superioribus agentibus, qui per imagines, & sculpturas operantur, & sunt ad superstitionem pertinentes. Vide D. Th. opusc. citato &c.

QVÆSTIO III. SECVNDI PHYSICORVM

Quid nomine Causæ Physicæ, pro vt distinguitur à principio intelligatur

EX CAIETANO

In 2. post. cap. 9. & p. p. q. 2. art. 3. & 33. art. 1.

Explicatur à Caiet. Titulus in primo, & 2. post. & alibi in ly causa, & in ly principium.

10. CAiet. post explicationem naturæ in suis Commentarijs, vt seruetur methodus, in hoc secundo libro Phys. agit, & in ijsdem de causa: primo quærendo in quo causa distinguatur à principio, & dicit in varijs locis primo, & secundo post. quod ibi non est sermo de causa verè Physica, sed de ipsis causis quatenus sunt principia cognitionum ipsius entis naturalis, quod propriè spectat ad Dialecticum, & vt etiàm declarant naturam subiecti, & prædicati in propositionibus, & vt concurrunt ad demonstrationem. Nec explicantur in hoc loco causæ in quantùm sunt differentiæ entis subiecti ipsius Metaphysicæ, cum ibi ens diuidatur in illud, quod est causa, & in illud, quod est effectus, quod propriè spectat ad ingenium Caiet. verè Metaphysicum, cuius quæstiones Metaphysicales pro Thomistarum profectu in vnum Volumen ex Comment. suis redigemus, si Deus nobis dederit vitam, & auspicium: sed

ex-

explicamus in hoc secundo libro Phys. ait Caiet. causam non prout idem est quod principium, quod dicitur causa amplè sumpta, quæ conuenit etiàm priuationi, sed pro vt strictè solum comprehendit id, quod verè efficiendo causat, secundum quam considerationem sola causa efficiens habet rationem causæ quàm participant aliæ tres causæ infrà numerandæ, quæ diffinitur per ly *principium influens esse in aliud*, vt per ly principium conueniat priuationi termino à quo, sicut, & alijs principijs, à quibus secernitur per ly influens esse, quià ista non influunt positiuè esse in effectum: benè tamèn quælibet causa in suo genere, & per particulam in aliud distinguitur à principio actiuo, quod influit in rem, communicando, & naturam, non tamèn distinctum esse, vt constat in processionibus diuinis. Ità quærit Caiet. locis infrà, citandis.

Doctr. 1. Caiet. cùm D. Th. ex p. p. q. 33. a. 1. principium communius se habet quàm causa.

21. Adnotat primo Caiet. cùm D Th. in p. p. q. 33. art. 1. in Resp. ad primum, quod Græci vtuntur in Diuinis indifferentèr nomine causæ, sicut, & nomine principij: Sed Latini Doctores non vtuntur nomine causæ, sed solùm nomine principij. Cuius ratio est: quià principium communius est quàm causa, sicut causa communius quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiàm prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quanto autèm aliquod nomen est communius, tanto conuenientius assumitur in diuinis, vt dicitur in q. 13. art. 11. quià nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum conuenientem Creaturæ. Vndè hoc nomen causa, videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quàm non importat nomen principij. In omnibus enim causæ generibus sempèr inuenitur distantia intèr causam, & id cuius est causa secundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principij vtimur etiàm in his, quæ nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem. Sicut cùm dicimus punctum esse principium lineæ; vel etiàm cùm dicimus, frontem viæ esse principium viæ. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex 2. post. cap. 9. in quo sensu sumatur causa Physica.

22. Adnotat 2. Caiet. in lib. 2. post. cap. 9. quid causæ nomine intelligatur. Causa siquidem tria importat, rem illam quæ est causa, & causalitatem, qua res illa causat, & relationem ad causatum. Nec parui refert, quid horum accipiatur in proposito. Si quis autèm diligentèr intueatur declarationem tituli vt suprà, & processum textus in cap. 9. post. cit. videbit, quod causæ nomine hic non intelligitur res illa quæ est causa, quoniàm cùm causa, & causatum sit eadem secundum substantiam in his, quæ fiunt, factis, & futuris vt ait Arist. in tex. vniuersalitèr verum non est verè causam hoc modo, idest rem, quæ verè est res causans, esse simul cùm eo, cuius est causa, & fieri cùm fit &c. Vt patet de arte, & artificiato, & vniuersalitèr in agentibus Physicis. Nec minùs perspicuè videbit, quod nomine causæ hic relatio intelligatur, quoniàm de causa loquimur, vt causat effectum, pro vt est diffinita in tituli explicatione; Relatio autem causæ, nec effectum, nec effectus relationem causat, vt in post prædicamentis dicitur; vndè reliquum est, quod causæ nomine intelligatur causalitas, seù operatio ipsius, seù ipsa res sub causalitate, & meritò quià nomina formalitèr sumenda sunt, prolata præsertim à tanto Philosopho. Ità Caiet. in cap. 9. 2. post. cit.

Doctr. 3. Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. quod causæ Physicæ vocantur causæ mediæ.

23. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. quod causæ in sequenti quæstione numerandæ, scilicet, efficiens, formalis, finalis, & materialis dicuntùr in operando, & sub sua causalitate causæ mediæ, & vt mediæ necessariò dependent à prima; ad cuius euidentiam opportet recolere, quod de ratione causæ est efficientia: nisi enim causa aliquid efficiat, causa in actu, de qua est sermo, dici non potest. Efficientia namq; causæ in illius causalitate actuali consistit, & propterea nisi causalitas compleca-

pleatur, neq; causa in actu, neq; efficacia, seù efficientia aliqua saluatur: opportet ergo ad hoc, quod causæ ratio seruetur, vt causalitas illius compleatur, ac per hoc quidquid repugnat complemento causalitatis alicuius causæ, repugnat causæ illi. Causa igitur vt media non potest habere suum complementum physicum in causalitate sine dependentia à prima causa, quià si tolleretur prima causa, sic, quod antè omnem causam esset alia causa, nunquàm perficeretur causalitas istarum causarum essentialitèr dependentium, quià infinitas descensus, vel ascensus repugnat complemento, ergo complementum istarum causarum Physicarum, vt mediæ sunt, dependet à prima, & non à priori tantùm. Ità Caiet. loc. cit.

Diffinitio causæ physicæ explicata à S. Doct. in Phys. lect. 10. acceptatur à Caiet. & defenditur.

24. Quoad secundum Caiet. acceptat diffinitionem ipsius causæ explicatam in titulo datam à S. Doct. in hoc 2. lib. Phys. lect. 10. & in q. 10. de potentia art. 1. ad 3. & alibi, & ait Caiet. nota, quod ad rationem causæ non desideratur, quod semper nouum esse oriatur, sed sufficit, quod oriatur nouus modus essendi cùm prædicta dependentia. Causa igitur, ait Caiet. & distinguitur à principio, & à quocumq; alio, scilicet, & à Patre in Diuinis respectu Verbi; & à principio quod solum ordinem dicit; & à priuatione vt principium entis naturalis; & à sequela logica; & tamdèm à conditione sine qua non, seù applicatione. Ità Caiet. in loc. cit. & alibi passim in suis Comment. vbiq; &c.

Conclusio de causa, & principio Caiet. Resp. quæsiti ex 2. post cap. 9. cum probatione primæ partis.

25. Quo ad 3. Conclusio est Caiet. in 2. post. cap. 19. Causæ nomen nec rem, nec relationem formalitèr importat, sed causalitatem, & non est idem quod principium.

Probatur prima pars à Caiet. sic, ex duobus, Primo ex hoc, quod eius abstractum est causalitas, & consequentèr, sicut album puram albedinem, ità causa puram causalitatem significat. Secundo ex hoc quod ea, quæ causis sermone formali attribuuntur à Philosophis, de causalitatibus opportet, & sufficit verificari; vtpotè quod causa distinguitur in causam in actu, & causam in potentia, & quod finis est causa causarum &c. Cùm igitur causam audieris nominari, formalitèr nomen contemplare; & causalitatem ipsam considerans, habebis aditum ad penetranda multa dicta; & quod dictum est de causa, intelligendum est proportionalitèr de effectus, seù causati nomine. Ità Caiet. in 2. post. cit.

Prob. 2. pars à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 33. art. 1. in Resp. ad primum.

Probatur secunda pars à Caiet. ex prima Adnot. in p. p. q. 33. art. 1. in Resp. ad primum. Hoc nomen causa, inquit S. Doctor, videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero: sed hanc non importat nomen principij, ergo principium non est causa, & è contrà causa non erit principium sumpta in suo rigore, & non in sua largitate, & communitate. Maior constat ex diffinitione causæ data ab Arist. & acceptata communitèr, pro vt est declarata in Titulo; & in omnibus causæ generibus, ait S. Doctor, semper inuenitur distantia intèr causam, & id cuius est causa secundum aliquam perfectionem, & virtutem. Minor probatur quià nomine principij vtimur etiàm in his, quæ nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem; & principium communius se habet, quàm causa, ità quod omnis causa est principium, sed non omne principium est causa. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit contrà dicta in prob. 2. partis Caiet. in p. p. q. 33. a. 1 ex Aureolo dupliciter.

26. Quo ad 4. Arguit Caiet. in p. p. q. 33. art. 1. in Resp. ad 1. contrà probationem minoris in secunda Conclusione. Et primo contrà id quod dicitur quod principium non dicitur causa ex Aureolo apud Capreolum. Affert enim contrà hoc Hilarium in 4. de Trin. Patri Auctoris nomen tribuentem, & Augustinum in 7. de Trin. c. 4. dicentem de Patre. Illud quod est ei causa vt sit, est ei causa vt Sapiens sit. Et 2. Arguit Caiet. contrà id quod dicitur in probatione, quod ideò nomine

prin-

principij, & non causæ vtimur in Diuinis quià est communius &c. Contrà hoc instat Aureolus. Nomen ratione communitatis conueniens Deo hoc habet, quià ratio minus communis non conueniret ei, sed principium non est huiusmodi secundum dicta tua, quoniàm nulla ratio principij posita in 5. Met. conuenit Patri respectu Filij, vt patet discurrenti ergo &c.

Resp. Caiet. ad primum dupliciter, & primo quod satis est Auctori, quod Latini Doctores non habuerunt causæ vocabulum in vsu, dato quod aliquando inueniretur. Secundo dicitur ad illud Hillarij cùm S. Th. in p. sent. dist. 29. q. 1. art. 1. quod importat causalitatem, sed principium non ab alio, & ideò Patri attribuitur. Illud verò Aug. non est ad propositum, de essentialibus enim loquitur, in quibus constat non esse causam nisi secundum rationem. *Resp. Caiet. ad 1. Arg.*

Resp. Caiet. ad secundum quod falsum est nullam rationem principij ex 5. Met. in Patre saluari, expressè namq; ibidem dicitur, communissimam rationem principij esse primum, ex quo est, aut cognoscitur aliquid. Constat autèm Patrem esse primum, ex quo est Filius, iuxtà illud. Et ex Patre natum ante omnia sæcula in littera autèm manifestatur ista maior Communitas ex notioribus nobis, scilicet, púncto &c. Non quod istæ acceptiones locum habeant in Diuinis, sed vt ex his tanquàm ex notioribus notificetur Maior abstractio principij, quàm causæ. Ità Caiet. q. 33. cit. art. 1. *Resp. ad 2. Instantiam.*

27. Arguit 2. Caiet. in p. p. q. 14. art. 8. breuitèr sic. Latini explicant nomen causæ per verum influxum actiuum suprà causatum, ergo cùm in Diuinis Pater habeat verum, & actiuum influxum suprà Filium, & Spiritum Sanctum, Latini debent vel cùm Græcis nomine causæ in Diuinis &c. *Arg. 2. Caiet. in p. p. q. 14. a. 8. cõtrà nomen causæ.*

Resp. Caiet. negando consequentiam, quià hic est sermo de verè causa effectiua, quæ non potest intelligi absq; essentiali diuersitate causæ, & causati. Productiones autèm ad intrà non sunt causalitates verè, & propriè. Nec Pater est, verè, & propriè causa Filij, cùm eadem numero sit vtriusq; substantia, & ideò non est mirùm si non tenet consequentia, & si Latini non conueniant cùm Græcis. Ità Caiet. locis citatis.

QVÆSTIO IV. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm sint quatuor tantùm, & non plura genera causarum

EX CAIETANO

Sparsim in pluribus locis suorum Commentariorum.

28. CAiet. in suis Commentarijs agendo de causis non nisi cùm S. Doct. diuidit ipsas in quatuor genera, scilicet, in genus causæ materialis, quod subdiuidit in subiectiuam causam, & dispositiuam. Causa materialis subiectiua in materiam primam, & materiam secundam, quæ est totum compositum pro vt substernitur accidentibus: Causa verò materialis dispositiua dicuntur accidentia, quibus Materia prima præparatur ad formam recipiendam. Causa formalis subdiuiditur in intrinsecam, quæ, scilicet, in- *Declaratur titulus à Caiet. diuersis in locis Comment.*

Y trin-

trinsecè afficit, informat, & actuat materiam, totumq; constituit; & in extrinsecam, quæ extrinsecè solùm specificat rem, vt idæa Artificis vel exemplar ipsam domum, obiectum, potentiam, aut habitum. Efficiens subdiuiditur in primam quæ est Deus, & secundam, sub qua comprehenduntur omnes causæ effectiuæ creatæ; itèm subdiuiditur in principalem, & instrumentalem. Finalis subdiuiditur in finem vltimum, & in finem proximum, in finem cuius gratia, & finem cui. Ità Caiet. pluribus in locis suorum Comment.

Doct. Caiet. ex p.p.q.105. art. 5. quod sint quatuor genera causarum, & quod secundù triplex operatur in nobis Deus.

29. Adnotat primo Caiet. cùm D. Th. dicens. S. Doct. in art. 5. q. 105. p. p. distinguit genera causarum, vbi dicit tria, scilicet, numerum, quod sunt quatuor; differentiam respectu agere, quià vnum, scilicet, Materia non principium est, sed subiectum; cætera sunt principia actionis. Et tertio dicit ordinem, quià primo finis; secundo agens; tertio forma. Nota hic duo. Primo quod quià hic non agimus de generibus causarum in ordine ad esse, sed ad operari, ideò littera art. 5. non accepit formam in agente, aut in effectu, sed instrumento, quoniàm forma instrumenti non est nisi proptèr operationem. Secundo quod littera art. 5. distinguit genus causæ formalis ab efficiente, & alijs in ordine ad operationem. Factum est autèm hoc iudicio meo, non quod supponatur decisa hæc quæstio, an forma sit causa operationis in genere causæ formalis, sed proptèr duo, alterum manifestum, alterum occultum; Manifestum est, quod causare operationem vt forma, & vt agens distinguuntur, sicut causare vt quo, & vt quod: occultum verò est, an omnis operatio sequens formam, sequatur eam effectiuè, finalitèr, vel materialitèr, & nulla sequatur eam formalitèr. Consuetus enim sermo obtinuit, vt dicamus etiàm causas formales in operando in his, in quibus operatio resultat ex ea quasi esse quoddam, vt in exemplo de lumine in littera art. 5. dicitur, & in his, quæ pertinent ad intellectum contingit. Ratio autèm ad oppositum videtur. Quouis autèm modo sit, vt sermo præsens omnibus opinionibus superfit distinctum est, Deum esse non causam formalem, sed causam ratione formæ principiantis omnis operationis, vt etiàm operationes attributas magis formis, quàm agentibus intimè comprehenderet. Hinc S. Doctor respondet quod Deus in quolibet operante, operatur secundum hæc tria genera, scilicet, finem, & agentem, & formam. Ità Caiet. art. cit.

Doct. 2. Caiet. in p. p. q. 49. art. 1. ex alio capite manifestat genera causarum.

30. Adnotat Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 49. art. 1. quærendo ibi S. Doct. An bonum possit esse causa mali, quod de hoc, quatuor dicit S. Doct. iuxtà quatuor genera causarum. Primo quod bonum est causa mali materialitèr, quià est eius subiectum; Secundo quod malum non habet causam formalem, quià est priuatio formæ; Tertio quod malum non habet causam finalem, quià est priuatio ordinis ad debitum finem; ac per hoc boni vtilis, idest ad finem; Quarto quod malum habet causam efficientem non per se, sed per accidens, & primo quidèm quando causatur ex virtute agentis, quià agens per se intendens inducere formam propriam, per accidens intendit nocere oppositæ. Et addit Caiet. alibi, quod istæ causæ sunt ibi inuicem causæ; vndè ne mireris si dico subiectum imperfectum constituere cognitionem imperfectam, cùm priùs dixerim quod cognitio imperfecta huiusmodi constituit subiectum in esse imperfecto. Memento quod causæ sunt sibi inuicem causæ, & quod sicuti motus constituit formale subiectum in esse sic actu, & sic in potentia; ità, & è conuersò subiectum sic in actu, & sic in potentia constituit subiectiuè, seù materialitèr motum in esse imperfecto. Ità Caiet.

Doct. 3. Caiet. ex p.p.q.6.a.4. quod omnia alia reducuntur ad quatuor illa genera.

31. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 6. art. 4. quod denominatio extrinseca, quæ reducitur ad causam effectiuam est duplex, quædam pura, & quædam causalis. Pura quidèm est, quando sola relatione ad denominantem formam denominatio fit; Causalis

salis verò, quando participatio effectus extrinsecæ causæ determinationem fundat. Vndè in proposito, quià vnumquodq; dicitur bonum Diuina bonitate extrinsecè, non quomodocumq; sed causalitèr, ideò dictum est quod non sola denominatione extrinseca, sed, & intrinseca dicuntur bona. Et si hoc diligentius consideraueris inuenies, quod impossibile est in absolutis fieri denominationem extrinsecam puram, quamuis possit fieri causalis. Et causa exemplaris distinguitur ab effectiua, & coordinatur intèr formales, quià est veluti extrinseca forma rei. Significatur ergo à S. Doct. Deum non solum facere bonitatem aliorum, sed exemplari illas ex sua, quod non accidit sic, cum dicitur, Deum facere Bouem, aut Leonem. Et in p.p.q. 77. art. 6. Caiet. addit quod emanatio non facit distinctum genus causæ, sed est sequela Physica spectans ad genus causæ efficientis; & illa maxima proprium in vnoquoq; generum est causa &c. applicata ad materiam emanationis, intelligitur stante eodem ordine emanationis: constat enim, quod subiectum, & proprium eodem emanant ordine, quià eadem generatione generantur, & corruptione corrumpuntur, quamuis non eodem gradu, quià illud primo, hoc consequentèr; substantia verò, & accidens per accidens non ad eumdem spectant productionis ordinem. Ità Caiet. locis citatis.

32. Quoad 2. Caiet. recitat opiniones antiquorum circà quatuor genera causarum, & ait, Philosophi antiqui ponebant vnam tantùm causam materialem. Anaxagoras addidit causam efficientem. Plato prætèr illa quatuor genera addidit alias duas, scilicet, causam exemplarem, & instrumentalem, quarum primam S. Doctor reducit ad formalem, & secundam ad efficientem. Qualis autèm sit distinctio intèr istas quatuor causas, scilicet, materialem, formalem, efficientem, & finalem Caiet. ait, quod vna, & eadem res potest esse, & causa formalis, & materialis, & efficiens, & finalis, vndè non est necessaria distinctio realis intèr ipsas, sed sufficit formalitèr. In ordine tamèn ad suos effectus proprios, cùm sit necessaria dependentia, videtur, quod interueniat distinctio realis. Et cùm materia, & forma sint ad inuicem causæ si continentur ad inuicem, quantùm ad esse distinguuntur realitèr, vt vna est effectus alterius; sicuti etiàm, si ad inuicem combinentur efficiens, & finis sunt ad inuicem causæ secundum causalitatem, vndè vna videtur distingui realitèr ab alia, non tamèn necessariò. Ità Caiet. *Opiniones antiquorum recit. à Caiet. circà quatuor genera causarum.*

33. Quoad 3. Caiet. ponit hanc Conclusionem cùm D. Th. Quatuor sunt genera causarum, scilicet, materialis, efficiens, formalis, & finalis, & in ordine ad esse, & operari. *Concl. Resp. Caiet. cum sua prima probatione.*

Probatur à Caiet. cùm D. Th. pluribus in locis, & primo in ordine ad esse. Causa est ad quàm sequitur esse alterius, ergo esse, quod influit causa, vel consideratur absolutè, & sic causa essendi est forma per quàm aliquid est in actu; vel consideratur secundum quod de potentia ente fit ens actu: & quià omne quod est in potentia reducatur ad actum per id quod est actu ens, hinc necesse est, quod dentur aliæ duæ causę, scilicet, materia, & agens, quod reducit materiam de potentia in actum; & ex alia parte, quià actio agentis ad aliquod determinatum tendit, pro vt etiàm ab aliquo determinato principio procedit: quià omne agens agit, quod est sibi conueniens, ideò id ad quo tendit actio agentis dicitur causa finalis; & cùm ad esse nihil aliud requiratur, quatuor erunt tantùm genera causæ: sed quià forma est causa essendi absolutè, aliæ verò tres sunt causæ essendi, secundum quod aliquid accipit esse, indè est, quod in immobilibus non considerantur aliæ tres causæ prout in Physica, nisi causa formalis. Ità Caiet. ex D. Th. in 2. Phys. lect. 10. qui in suis Comment. quærit pluries, an forma sit causa essendi absolutè, per quàm aliquid est in actu; &

etiàm quærit an omne, quod est in potentia reducatur, ad actum per id quod est in actu: & insupèr an actio agentis intendat aliquod determinatum. Alia supponit vt vera iuxtà viam peripateticam Caiet. in loc. cit.

2. Prob. Concl. Probatur 2. in ordine ad influxum proprium vniuscuiusq; causæ, seù ad operari. Istæ quatuor causæ dumtaxat influũnt in ens naturale: Materia recipiendo, & sustentando formam: Forma actuando, & informando materiam: Efficiens educendo formã è sinu materiæ, vel si de rationali sit sermo, eam à Deo creatam vniendo materiæ, & producendo totum: & finalis mouendo efficiens ad talem operationem, nemo enim operatur nisi tendens in finem. Cùm ergo nullum aliud genus causæ, quod concurrat ad compositum substantiale, assignari possit, quatuor tantùm prædicta erunt genera causarum. Ità Caiet. ex sua prima Adnotatione supra cùm D. Th.

Arguit 1. Caiet. ex p. p. q. 14. art. 8. 34. Quo ad 4. Arguit Caiet. in p. p. q. 14. art. 8. contrà Conclusionem sic. Causa formalis de se sola sumpta non habet causalitatẽ in actu secundo ergo non est enumeranda intèr quatuor genera causarum in Physicis. Probatur antecedens à S. Doct. in illo articulo octauo, quod forma naturalis puta calor, non significat rationem causæ ex se, sed ex inclinatione ad effectum, sicuti scientia Dei non significat rationem causæ, ex hoc tantùm, quod est in sciente, sed ex inclinatione ad effectum, scilicet, ex adiuncta voluntate.

Resp. Caiet. ad Argumentum. Resp. Caiet. quod litt. art. 8. cit. satis cautè loquitur de forma naturali. Non enim dicit quod forma naturalitèr actiua, puta calor, eget aliqua inclinatione superaddita, ad hoc vt sit principium actionis, cùm hoc sit falsum: sed dicit, quod ipsa forma, scilicet, calor in quantùm habet hoc, scilicet, esse, seù manere in subiecto, ex hoc, siuè vt sic, non habet quod sit, seù significetur, vt principium actionis. Et hoc verum est: quoniàm alitèr sequeretur, quod omnis forma, quæ est in aliquo, esset principium actionis, quod est falsum. Sed quamuis ex hoc non habeat rationem actiui, requiritur tamèn hoc ad rationem actiui. Nec refert ad propositum de scientia, an talis determinatio sit ab intrinseco ex ipsa natura formæ, vt patet de calore, an ab extrinseco vt contingit in scientia, quæ vt probatur in illo art. 8. cit. rationem causæ in actu secundo non habet, nisi vt habet voluntatem adiunctam. Sola enim sumpta nihil vnquàm causabit, nisi causaret opposita simul, quod est impossibile. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. in p. 2. q. 49. art. 3. & in q. 55. art. 2. 35. Arguit Caiet. 2. contrà eamdem Conclusionem ex p. 2. q. 49. art. 3. & ex q. 55. art. 2. sic. Relatiuum est quid extrà Deum, & realitèr vnum ex nouem generibus accidentium: Sed relatiuum esse non habet causam efficientem, nec finalem, nec formalem, nec materialem ergo cùm sit in rerùm natura habebit aliam prætèr illa quatuor; Sed hanc aliam non potest habere, nisi sit ipsa virtus, vel habitus, ergo prætèr illa quatuor genera causarum datur aliud genus, scilicet, causa habitualis. Minor probatur quià in vnaquaq; causa ex illis quatuor est aliquis influxus, & aliquis motus: Ad relationem autèm non est motus ergo &c.

Resp. Caiet. ad Argumentum. Resp. Caiet. ad minorem subsumptam, quod habitus, & virtus cùm sint principium actus alicuius, imò perfectiones potentiarum actiuarum; idcircò habitus, & virtus reducuntur ad genus causæ efficientis. Et in art. 1. q. 55. addit Caiet. Declarantes virtutem moralem addere suprà habitum differentiam specificam, sicut hominem suprà Animal, consequentèr fatemur, quod virtus moralis, vt moralis est, principiatiua actus moralis est. Et sic virtus, quæ est perfectio potentiæ actiuæ, & efficientis habet pro effectu proprio esse morale relatiuum, scilicet, operationem ordinatam: Et iste respectus moralis consequitur extrema, quæ non sunt absoluta, sed relationes debitæ proportionis actus ad potentiam, obiectum, finem tempus, locum,

&c.

&c. de quibus dicitur in minori subsumpta, quod ab alia causa per se, & propria non possunt peruenire nisi à virtute, vel habitu vt causæ operatiuæ, vel effectiuæ; vndè non inconuenit, sed opportet quandoque, quod istæ relationes habeant causam per se effectiuam. Ità Caiet.

Instantia Caiet. contrà sua Resp.

Instat Caiet. ibidem contrà suam Resp. sic. Est axioma commune, quod nulla causa actiua facit solam relationem, ergo non potest reduci ad causam actiuam, ergo virtus, seù habitus causans illam relationem facit distinctum genus causæ ab illis quattuor, ergo id in quod prius. Antecedens probatur esse relatiuum siuè Physicum, siuè morale secundum Scotum, qui putat præcisè consistere in relatione est indubitatum apud omnes, quod nullam habet per se actionem, nisi ratione fundamenti. Constat autèm, quod actus in esse naturæ, qui est fundamentum esse moralis non est ab habitu, quià actus similis præueniens habitum ab habitu non est, ergo si habitus vel virtus est causa per se propria huius esse relatiui siuè Physici, siuè moralis, & ex alia parte non est per motum, nec per vllam actionem, certe erit causa per se, & non actiua vt distinctum genus ab illis quattuor, & præcipuæ ab effectiua.

Confirm. Instantiæ ex Durando in p.2.q.49.ar.3

Confirmatur à Caiet. ex Durando in p. 2. q. 49. art. 3. Dato, & non concesso, quod habitui opportet actiuitatem attribuere, & quod non possint saluari ea, quæ dicuntur de habitu absque actiuitate, vt patet de arte, peto à te; Vel habitus, & virtus concurrunt effectiuè ad causandum actum, & relationem, vt causæ partiales vniuocæ vt trahentes nauim; vel sicut remissum, & intensum vt maius, & minus lumen in eodem medio; vel sicuti superius, & inferius vt Sol & Homo generant hominem, sed ex nullo istorum concurrunt ergo vt peculiare genus distinctum ab illis quattuor. Minor probatur quià omnes illi modi cum spectent ad genus causæ efficientis ab omnibus conceditur quod non sic concurrit habitus, ergo &c. Ità Caiet. ex Durando.

Resp. Caiet. ad suam Instantiam loc. cit.

36. Resp. Caiet. ad Instantiam, quod Resp. ibi data est optima, & in fine art. 3. q. 49. ad obiecta Durandi. dicit, quod esse relatiuum carere actiuo per se sic intelligitur: quia, scilicet, non habet agens faciens seorsim, non faciendo alia: cum quo tamen stat, quod habeat per se propriam causam actiuam, vt experimur, cum ordinem aliquem imponendum rebus excogitamus, & imponimus, & ad id intendimus, & facimus, præcipiendo, & exequendo per nos, vel alios: nec minùs hoc nos per se intendere, & causare experimur, quàm Medicus, intendat, & faciat sanitatem. Testes sunt Duces exercitus, Rectoresque aliorum, ac artifices. Et si quis negaret sensum proptèr rationem, aut auctoritatem, scilicet, quià ad relationem non est motus, non solùm ineruditus, sed inerudibilis esset. Ità Caiet. art. 3. q. 49. cit. Quo ad esse relatiuum morale. Resp. Caiet. diffusè in p. 2. q. 55. art. 2. quod illud commune dictum, scilicet, quod relatio non habet causam actiuam propriam, intelligitur de causalitate propria sic, quod terminetur ad ipsam solam: nulla enim causa actiua actiua facit solam relationem, cum qua tamen stat, quod habeat causam per se effectiuam cum alio. Quomodo autèm hoc fiat, non est difficile videre; si quis enim considerat, quod habitus virtutis non causat seorsim à potentia, sed est perfectio potentiæ ad causandum actum ordinatum, videbit quod potentia perfecta causabit habitum per se, intendendo non solùm operationem, sed operationem ordinatam sic. Et experientia teste conuincetur, quod est ratio illi potentiæ, quod causet regulatam operationem. Et hoc manifestè liquet in artificialibus à quibus concipimus, quod interius agitur. Habitus ergo seù virtus non facit genus distinctum à genere causæ effectiuæ; imò quod relatio habeat sic effectiuam per se causam, scilicet, quod operatio ordinata sit tanquàm effectus proprius habitus seù virtutis, non incon-

inconuenit sed opportet quandoque. Ità Caiet. in p. 2. q. 55. art. 2.

Resp. Caiet. ad Confirmationem ex Durando loc. cit.

37. Ad Confirmationem Resp. Caiet. quod potentia se habet ad habitum respectu operationis, sicuti homo in principio adolescentiæ ad hominem perfectum respectu generationis. Quemadmodum enim adolescens potest quidem generare sed imperfectè: cum autem perfectus vir fuerit, generare potest perfectè; Ità potentia sinè habitu potest producere operationes in tali specie, scilicet, imperfectè, perfecta autem per habitum similes in specie perfectas potest producere. Neque enim si adolescens vnus, perfectum generationis opus perageret, propterea falsa redditur illa vniuersalis, adolescens non potest in perfectum generationis opus peragere, quoniàm Physica est propositio, & vna Hirundo non facit Ver. Dicendum est ergo quod habitus determinat potentiam ad hoc, vt ipsa perfecta per habitum sit proprium principium efficiens perfecti operis, in quo sua consumatur perfectio. En quomodo nec habitus nec virtus siuè in Physicis, siuè in moralibus constituit genus distinctum causæ, ab illo quod dicitur genus causæ efficientis. Ità Caiet. in p. p. q. 49. art. 3.

Quomodo principium in plus se habeat aliquo modo, quàm causa, & causa plus quàm elementum; & quomodo causæ sunt sibi inuicem causæ; & causa, & causatum sint simul; & quod non sint plus quam quattuor genera causarum: & omnes aliæ reducantur ad istas; legas, si vis percipere doctrinas Caietani, hæc omnia in D. Th. in opusculo suo trigesimo primo.

QVÆSTIO V. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrum in omni genere causæ saluetur prioritas, & perfectio respectu sui effectus

EX CAIETANO.

In varijs locis suorum Commentariorum, & in p. p. & in 2. 2. & in tertia parte.

Explicatur Titulus à Caiet. pro Prioritate quæ congruit causis.

38. CAiet. explicat titulum huius quæstionis in 2. 2. q. 26. art. primo dicens, quod cum omnis causa sit principium, & non è contrà, opportet quod in omni causa etiàm sit inclusus ordo essentialitèr intèr prius, & posterius in ordine ad eius actum; & quod vbi est, ordo, ibi est principium. Et S. Doctor tres propositiones habet in art. 1. cit. prima quod vbicumque est aliquod principium ibi est aliquis ordo; Secunda quod prius, & posterius dicuntur secundum relationem ad aliquod principium; & tertia quod ordo includit inse aliquem modum prioris, & posterioris: quomodo autèm ex istis duabus vltimis S. Doctor possit inferre hanc propositionem, quod ordo ad principium reducendus est, & per consequens quod vbi sit ordo, ibi sit principium, soluemus infrà in Resp. ad Argumenta. Ità Caiet. qui etiàm in 3. parte q. 34. art. 1. resoluit, & prioritatem, & perfectionem causarum ad inuicem, & in ordine etiàm ad proprios effectus, & alibi multis in locis.

39. Ad

39. Adnotat primo Caiet. in 3. p. q. 6. art. 5. explicat quare S. Doctor, existente ordine naturæ secundum quodlibet genus causæ, duobus tantum ordinem hunc appropriat, & cur etiàm pertransierit ibi in eodem art. 5. cit. ordinem naturæ ex parte materiæ, cum patiens semper præsupponatur actui, qui in eo fit. Ait igitur Caiet. quod ordo naturæ secundum genus causæ formalis, & finalis reducitur ad ordinem naturæ secundum genus causæ agentis, tanquam in quo clarius relucet, quoniàm secundum ordinem agentium ordinantur, & fines generationum, & formæ genitorum, & res natura priores secundum ordinem finis, aut formæ in his, quæ fiunt, sunt posteriores secundum esse, quoniàm, & forma, & finis, quanto vlterior in aliquo ordine, tanto prior, quià perfectior. Res verò, vt sunt tàm in materiæ transmutatione, quàm in intentione, aut executione agentis priores, sunt etiàm priores secundum esse aliquod reale, scilicet, vel secundum ipsam intentionem eorum; sicuti domus est in intentione artificis, vel secundum quod saltèm in inchoata transmutatione sunt, sicut alteratio est prior generatione, vel secundum se, vt ab ipsis incipit executio, vt fundamentum est prius Parietibus. Meritò igitur naturæ ordinem auctor duobus tantum appropriauit generibus, quià sunt priores in esse, tùm quià clarius relucet prioritas naturæ in illis, tùm quia prioritas aliorum apud generabilia reducitur ad ista. Sic etiàm in Mysterio Incarnationis nihil de prioritate ex parte materiæ, vt potè extrà ordinem ad assumptionem, dixit, sed tanquàm impertinentem ad propositum dimisit, quià in illo nulla fuit transmutatio materiæ, nisi instantanea formatio corporis ab infinita virtute Spiritus Sancti, & ista instantanea formatio, quamuis naturæ ordine prior secundum genus causæ materialis sit, quàm animæ rationalis aduentus in eam, quià anima rationalis non detulit secum corpus, sed supposuit corpus organicum, in quo reciperetur, cuius esset actus, in quo fieret, quià tamen in illo priori naturæ non erat assumptibilis, vt dictum est in articulis præcedentibus, quià constituta est in esse assumptibili per esse animatum; ideò auctor loquens de priori, & posteriori secundum naturam in ordine ad assumptionem, istam ex parte materiæ prioritatem pertransijt. Ità Caiet. art. 5. cit.

Doct. 1. Caiet in 3 p q. 6. art. 5. in qua declaratur Prioritas singularum causarū.

40. Adnotat secundo Caiet. in 3. p. q. 34. art. 1. ordinem originis, & causalitatis ordinem intèr gratiam vnionis, & gratiam habitualem in Christo, quod quià priora ordine generationis tantùm sunt imperfectiora, vt potè ordinata ad posteriora, vt ad finem vt artificialium ordo in executione testatur, sed priora ordine generationis, & causationis simul, non imperfectiora, sed perfectiora sunt, & fines posteriorum, vt patet de substantia, & accidente proprio: Homo enim prius generatur, quam suum accidens proprium, quod ipsum concomitatur: perfectius tamen ens homo est, quià non solum origine, sed causalitate præcedit suum accidens, est enim illius causa effectiua, & finalis. Et applicando hæc S. Doct. ad gratiam vnionis, & gratiam habitualem in Christo Domino, dicit, quod prior exequtionis ordine est gratia vnionis, & posterius comitatur gratia habitualis Sanctificans Animam Christi, sed non propterea est imperfectior, vt somniauit Scotus ponens eam esse posteriorem ordine intentionis: quià vnio personalis non solum est prior executione, sed causalitate omni possibili, est enim finis, & efficiens reliquorum donorum in Christo: quià ad ipsum omnià à principio mundi ordinata conspicimus, tanquam maximum omnium factibilium, sicuti, & vere est eorum maximum, non potest si quidem maius fieri, quàm quod Homo sit verè personalitèr Deus. Et iste homo non erubuit dicere hanc inopinabilem suam phantasiam, quod sit posterior ordine intentionis. Teneas igitur in Physicis, quod prius, & ordine intentionis, & ordine causalitatis simul est nobilius, & perfectius. Ità Caiet. art. 1. cit.

Doct. 2. Caiet. in 3. p. q. 34. art. 1. in qua explicatur quod priora ordine generationis, & causalitatis simul, sunt perfectiora.

41. Quo

41. Quo ad secundum Caiet. tractat in pluribus locis de hac prioritate, & perfectione causarum cùm D. Th. & eo modo quo ad inuicem sunt priores istæ quattuor causæ sortiuntur suam perfectionem, & quantum ad modum essendi, & quo ad modum causandi; & quod in omni causa necessario debeat interuenire aliqua prioritas, idm Caiet. dicit in adnot. suprà, & alibi pluribus in locis suorum Comment. Et in ordine ad suos effectus Caiet. explicat perfectionem per secundam Conclusionem infrà.

Conclusio responsiua Conclusionis ipsius Caiet. quo ad suam probationẽ ex 2. 2. q. 26. art. 1.

42. Quo ad tertium prima Conclusio Responsiua quæsiti ponitur sic à Caiet. in 22. q. 26. art. primo cùm D. Th. In omni genere causæ saluatur necessariò Prioritas.

Probatur à Caiet. cum D. Th. Vbicumque est aliquod principium ibi est aliquis ordo: sed in quolibet genere causæ includitur essentialitèr principium, & non è contrà, ergo ibi est aliquis ordo: sed ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris, ergo vera conclusio. Maior probatur ex 5. Met. tex. 6. quià de se ordo includit aliquem modum prioris, & posterioris, quæ dicuntur secundum relationem ad aliquod principium. Minor principalis est manifesta ex superioribus. Minor subsumpta de se est clara. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Conclusio Caiet. quo ad secũdam partem quæsiti cum sua probatione primæ partis.

Secunda Conclusio Responsiua secundæ partis quæsiti ex Caiet. ex pluribus locis suorum Comment. desumpta. In modo causandi omnis causa est perfectior suo effectu; in esse verò entis aliquæ causæ sunt perfectiores, aliæ æquè perfectæ, & aliæ imperfectiores.

Probatur prima pars à Caiet. in p. p. q. 104. art. 1. De ratione cuiuscumque causæ est dare, & communicare aliquid effectui, & esse id, à quo effectus in suo ordine dependet: sed hæc duo dicunt aliquem excessum in perfectione, ergo vera secunda Conclusio quo ad primam partem. Minor probatur auctoritate Boetij, qui ait, quod Beatius est dare, quam accipere, quod quidem sonat indigentiam, ergo &c.

Probatio secundæ partis 2. Conclusionis.

Probatur secunda pars. Materia vt potè ens in potentia, est imperfectior forma, & toto composito: & dispositiones, quæ ad formam, vt via ad terminum, & vt imperfectum ad perfectum ordinantur, sunt imperfectiores ipsa forma. Forma verò si comparetur ad materiam est perfectior illa, imperfectior tamèn composito, quod constituit, quià omne constitutum est perfectius quolibet constituente. Causa autèm efficiens si sit principalis debet esse perfectior, vel saltem æquè perfecta cùm effectu, quià illum propria virtute attingit, & nemo dat, quod non habet. Si verò sit instrumentalis est imperfectior effectu ob rationem oppositam, quià, scilicet, illum propria virtute non attingit. Causa denique finalis interdùm est nobilior suo effectu, vt cùm quis studet proptèr Deum; interdum ignobilior, vt cum quis studet proptèr lucrum: & interdum æqualis perfectionis cum illo, vt cùm quis studet præcisè proptèr ipsam nobilitatem studij. Ergo in esse entis aliquæ causæ sunt perfectiores suo effectu, aliæ æqui perfectæ, & aliæ imperfectiores illo. Ità cùm Thomistis Caiet.

Arg. 1. Caiet. contrà rationem probatiuam Conclusionis 1. in 2. 2. q. 26. art. 1.

43. Quo ad quartum Arguit Caiet. in 2. 2. q. 26. art. 1. contrà rationem primæ Conclusionis, primo sic. Ex propositionibus allatis in illa ratione non potest inferri hæc propositio, quod vbicumque sit aliquod principium; ibi sit ordo, suprà quod fundatur intentum conclusionis, quod, scilicet, causa dicat, & inuoluat essentialitèr prioritatem, ergo &c. Probatur antecedens. Ratio dicit, quod prius, & posterius dicuntur secundum relationem ad aliquod principium, & quod ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris: ex his enim propositionibus benè sequitur, quod ordo attenditur secundum aliquod principium, sed non ista quod vbi sit principium ibi sit ordo, quod debebat inferri, ad inferendum intentum. Probatur hoc,

quià

quià si ordo includit prius, & posterius, & hæc referuntur ad principium, sequitur quod ordo ad principium reducendus sit, ac per hoc vbi est ordo ibi sit principium, non tamèn sequitur, quod vbi sit principium ibi sit ordo, quod debebat inferri. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad primum Arg.

Resp. Caiet. quod intentum rationis, est ex vna causa deducere duos effectus ad inuicem sic ordinatos, quod secundus includit, & assequitur primum; ità vt etiam causa ipsa non possit esse in actu sinè secundo effectu, quod est dicere. Vbicumque est illa causa, opportet addeesse talem secundum effectum. Et vt meliùs, quod dicimus, percipiatur. Intentum rationis est, quod ex hoc ipso, quod aliquid ponitur habere rationem principij in actu, sequitur statim ratio prioris, & posterioris: quià prioritas ponitur in principio, & posterioritas in principiato. Et rursùs ex hoc ipso, quod aliquid ponitur habere rationem principij in actu, ponitur ordo intèr ipsum principium prius, & principiatum posterius. Ordo igitur licet includat prius, & posterius, est tamèn effectus proprius principij in actu. Et ex hac radice optimè sequitur, quod vbicumque est aliquod principium in actu, ibi est ordo. In ratione illa igitur ex relatione prioris, & posterioris ad principium, & ex inclusione prioris, & posterioris in ordine, causam connexionis ordinis cum principio ab effectu manifestatam intendit, & sic bene ex illa maiori concluditur, quod in omni causa, cum includat principium, & cum hoc sit connexus ordo, stat Prioritas. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. loc. cit. contrà eamdem rationem.

44. Arguit secundo Caiet. contrà minorem subsumptam in eadem ratione, scilicet, quod ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris, arguit sic ibidem loc. cit. Hæc minor contradicit doctrinæ traditæ in tractatu de Trinitate, vbi dicitur, quod in Diuinis est ordo, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ab altero; non ergo ordo vniuersalitèr includit aliquem modum prioris, & posterioris.

Resp. Caiet. ad secundum Arg.

Resp. Caiet. cum Auctore in p. sent. dist. 20. quod sicut scientia includit aliquid ratione generis, puta esse qualitatem, & aliquid ratione differentiæ, puta esse quo certè cognoscitur; Ità ordo ratione generis, includit prius, & posterius, & non ratione proprij differentialis conceptus. Et quià ad Diuina omnia transferuntur sublatis imperfectionibus: ideò ordo in Diuinis est sinè priori, & posteriori, sicuti etiàm est ibi principium absque principiato. Loquimur enim modo, vtendo terminis, pro vt communitèr in Philosophia vtimur, & vt Creatoris communes sunt, in Deo expoliamus terminos ab his quæ imperfectionis sunt. Et hæc sunt pro omnium solutione, Ità Caiet. in 2.2. q.26. art.1. in Resp. ad duo dubia.

In quo consistat Causalitas Causæ effectiuæ

EX CAIETANO

Pluribus in locis suorum Commentariorum.

Declaratur titulus à Caiet. varijs in locis.

45. CAietanus pluribus in locis diuidit causam efficientem Physicam in causam vniuocam, & æquiuocam; in principalem, & instrumentalem; principalis in primam, & secundam; Causa secunda in vniuersalem, quæ ad pluries se extendit effectus, vt Sol, & Cœlum, & in particularem, quæ vnum respicit effectum vt ignis, ignem; Insuper diuiditur in totalem, & adæquatam, & in partialem, & inadæquatam; Aliæ sunt diuisiones quæ potius spectant ad Metaphysi considerationem, in præsenti quæstione, quæritur causalitas causæ Physicæ efficientis, cuius diffinitio tradita ab Arist. in hoc cap. 3. secundi Physicorum, scilicet, quod sit id, à quo primo incipit motus, acceptatur à Caiet. & ab alijs Thomistis, & id vndè incipit motus non intelligitur ordine intentionis, quià sic est causa finalis; ideò enim agens agit, quià intendit finem, & mouetur à fine, sed intelligitur ordine executionis, & sic motus incipit ab efficiente. Talis causalitas causæ efficientis explicatur à Caiet. pluribus in locis.

Doctrina Caiet. in p. 2. q. 113. art. 7. in qua dicitur, quod agēs per suam causalitatem non agit in instanti.

46. Adnotat primo pro ista causalitate in art. 7. q. 113. p. 2. quam ponit cum alijs Thomistis pro vt distinguitur à motu, & passione in conceptu actionis, Ab, pro vt dimanat ab agente, duas radices ex Philosophia, alteram vndè prouenit, quod forma non fiat in instanti ab efficiente, alteram vndè prouenit, quod efficiens egeat tempore ad disponendam materiam sufficientèr pro forma. Et prima in duobus simul iunctis consistit, scilicet, in dispositione subiecti, & indigentia temporis ad disponendum. Secunda autèm in vno, scilicet, in proportione resistentis indispositionis ad virtutem agentis disponentis. Et est sermo de forma permanente. De successiua namque nulla est quæstio, quià implicat eam esse in instanti. Et quoniam hæ radices causæ propriæ dictorum effectuum acceptantur; ideò auctor in illo art. 7. vtens poster oristica doctrina si affirmatio est causa affirmationis, &c. ex negatione harum causarum concludit gratiam in instanti introduci à Deo; non autèm sic in agente Physico secundum suam causalitatem. Ità Caiet. loc. cit.

Opiniones recit. à Caiet. de causalitate efficientis.

47. Quo ad secundum Caiet. relinquendo alias opiniones antiquorum Platonis, &c. circà idæas, &c. quas ponebant vt causalitates, &c. dicit vbique quod de ratione causæ efficientis est efficientia, & in p. 2. q. 75. art. 1. & art. 2. explicat causalitatem causæ efficientis per agere, & non per deficere, vt excludat à voluntate, causa per accidens peccati, hanc causalitatem: attribuendo ipsi solam deficientiam ratione cuius non nominatur respectu peccati causa efficiens, sed deficiens. Ità Caiet.

Conclusio vnica Caiet. responsiua quæsiti cum sua probatione ex suis doctrinis

48. Quo ad tertium Caiet. cùm D. Th. ponit hanc Conclusionem. Causalitas causæ efficientis Physicæ consistit in efficere, seù agere.

Probatur à Caiet. sic ex suis Comment. Per id optimè explicatur causalitas causæ efficientis, per quod causa efficiens ab alijs distinguitur: sed per id à quo primo incipit motus, vt actio est formalitèr, distinguitur ab alijs causis, ergo agere, seù actio vt egrediens ab agente erit causalitas causæ efficientis. Minor probatur à Caiet.

Esto

Esto quæuis causa sit in suo genere id vndè primo est motus, seù actio, quià nec materia aliam materiam, nec forma aliam formam præsupponit, attamèn si fiat collatio intèr causas, & earumdem causalitates, videbimus quod causa efficiens est id à quo absolutè incipit primò motus seù actio formalitèr: quià materia non potest se ipsam mouere ad formam, quià nullius est actiuitatis; nec rursus forma potest se ipsam efficere, quià nullum est causa sui ipsius, opportet ergo vt adueniat efficiens, quod materiam moueat ad formam, vel educat per transmutationem formam de materiæ potentia, & sic resultet totum compositum, quod primo à natura intendebatur, & sic efficiens sit id, &c. Ità Caiet.

49. Quo ad quartum Caiet. Vnico Argumento in p. p. q. 19. art. 4. arguit contrà causalitatem causæ efficientis, scilicet, quod non secundum ipsam agat sibi simile. Aut ista maxima intendit de modo effectus procedentis, aut de modo procedendi; si intendit quod effectus procedens à causa habeat modum essendi similem modo, quo præexistit in causa, maxima est falsissima: quoniam domus procedens ab artifice non assimilatur domui in mente in modo essendi. Si autèm intendit de modo procedendi, scilicet, quod effectus à causa procedit illo, vel simili modo, quo præexistit in ea, tùnc intelligitur quo ad formam, qua agens agit, & non quo ad modum, quo forma est in eo; nihilominus tamèn etiàm sic intellecta habet multas instantias: quoniàm Domus habet esse intelligibile in agente, procedit tamen ab eo sensibilitèr, & calor habet esse incorruptibile, & vniuersale in luce Solis, procedit tamèn corruptibilitèr, & particularitèr. Vndique igitur ambiguitas est. *Arg. vnicum Caiet. cōtrà causalitatem agentis, quod per ipsam non agat sibi simile ex p. p. q. 19. art. 4.*

Resp. Caiet. quod illa maxima omne agens agit sibi simile, quamuis vniuersalitèr non verificetur, nisi quo ad formam, non tamèn est arctanda ad formam, sed est intelligenda cum ly quantum potest. Videmus enim quod si fuerit actiuum vniuocum vehementis virtutis, quod facit sibi simile, non solum quo ad formam sed quo ad indiuiduales conditiones: Mas enim fortis generat Marem, & Iracundus Iracundum, vt dicitur in 7. Eth. In modo igitur quo effectus procedit à causa considerandа sunt duo. Primo modus processionis tenens se ex parte causæ. Et secundo modus eiusdem se tenens ex parte effectus. Si enim attendimus ad modum procedendi ex parte causæ vniuersalitèr verificatur quod processio est similis modo existendi in causa, quià est illius modus priùs effectus in genere causæ efficientis, ità quod sicut forma procedens, est à forma in causa, & propterеà similis illi; ità modus procedendi ex parte causæ, est à modo procedendi in causa, & consequentèr similis illi, quià omne agens agit sibi simile. Si verò attendamus modum procedendi ex parte effectus, sic maxima non vniuersalitèr verificatur: quoniàm modus iste propriè loquendo, magis est modus participandi, vel suscipiendi causam, quàm procedendi ab ea: Domus enim procedit ab arte intelligibilitèr, quoniàm à prohęresi, vt dicitur in 3. Met. quamuis in materia sensibilitèr suscipiatur, ac per organa fiat. Effectus quoque corporum cęlestium ex parte eorum procedunt incorruptibilitèr, & vniuersalitèr iuxtà modum formarum quibus agunt: procedunt enim per actiones eorum æternas, & commensuratas eis, quamuis participatio eorum apud sphæram generabilium, & cætera sit corruptionis, & dearticulationis plena, quià passio non æquatur actioni, quæ est causalitas causæ efficientis. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. vnicum.*

QVÆSTIO VII. SECVNDI PHYSICORVM

In quo differat Causalitas Causæ primæ, & Causalitate Causæ secundæ Creatæ

EX CAIETANO

P. p. q. 65. art. 3. & q. 45. art. 1. & 2. & alibi pluribus in locis.

Doctr. 1. Caiet. in p. p. q. 65. art. 3. in qua explicatur causalitas primi agentis.

50. ADnotat primo Caiet. in p. p. q. 65. art. 3. differentiam intèr causalitatem causæ primæ, scilicet, primi efficientis, & intèr causalitatem causæ secundæ, ideſt secundi efficientis, quod causalitas causæ primæ sit creare; de ratione creationis est producere rem nullo præsupposito, sed non ità debet intelligi, quod negetur simplicitèr omne præsuppositum, quoniàm semper præsupponitur agens, & quandoque materia, vt patet in creatione animæ intellectiuæ, sed negatur omne præsuppositum, quod sit aliquid illius, quod est per se primo terminus illius creationis. Ità quod creari dicitur illud quod sic producitur, quod nihil eius supponitur. Tunc enim tota eius substantia sincategorematicè producitur: notantèr autèm dixi, quod per se primo terminat productionem, alioquin omnes formæ crearentur, quoniam nihil earum supponitur, quoniam subiectum nihil est earum, secundum tamèn veritatem ideò non creantur, quià non fiunt per se, sed ad fieri compositorum, vt Arist. adinuenit, quià hac via creationem effugere potuit. Requiruntur ergo, & sufficiunt ad creari duo, & quod per se fiat, & quod nihil eius præsupponatur, neque ordine temporis, neque ordine naturæ, hoc enim est ex nihilo fieri. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. in p. p. q. 91. art. 2. quod 1. agens per suam causalitatem etiàm facit simile.

51. Adnotat secundo Caiet. in q. 91. art. 2. quod stante hac diuersa causalitate causæ primæ, & causæ secundæ, nihilominus agunt simile sibi, & nihil obstat, quòd Deus ipse sit forma immaterialis, & nulla sit similitudo intèr formam immaterialem, & compositum materiale, quià ex hoc quod Deus est non quomodolibet forma immaterialis, sed sic excellentèr, vt etiàm materiæ existat causa: ac per hoc compositum est ei simile, etiàm ratione materiæ, quod non potest dici de alijs. Et ex quo habemus hæc tria, scilicet, quod forma immaterialis non est immediata causa formæ materialis; & quod compositum est causa immediata; & quod Deus sua excellentia, qua continet etiàm materiam, potest esse causa immediata, colligitur quod corpus humanum, & vniuersalitèr omnis res materialis aut à Deo, aut à composito immediatè formatur: cum hac tamèn differentia in eorum causalitatibus, quod solius Dei est absque adminiculo præcedentis formæ transmutare materiam ad formam. Angeli verò non possunt transmutare materiam nisi adhibitis actiuis, & passiuis vt D. Aug. dicit in 3. de Trin. cap. 9. Cætera verò creata agentia materialia propriè transmutando cum præsuppositis, &c. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in p. p. q. 114. ar. 3. in causa meritorij operis quo modo 1. & 2. se habeant.

52. Adnotat tertio Caiet. in p. 2. q. 114. art. 3. tangendo subordinationem causæ primæ, & causæ secundæ in ordine ad meritum, quod, scilicet, motio Spiritus Sancti, & Gratia, non sunt duæ disparatæ causæ meriti, sed sunt causæ subordinatæ, motio quidem Spiritus Sancti, vt actio causæ primæ, gratia vt causa secunda operis in quantum meritorij. Mouet enim Spiritus Sanctus hominem ad merendum mediante gratia proptèr quod litt. art. 3. cit. de motione Spiritus Sancti loquens affert illud Io. 4. Fit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et intendit auctor, quod

quià

quià opus elicitur à Gratia habet, quod sit meritorium ex condigno ex vtraq; sui propria causa, scilicet, prima, & proxima. Nec altera superfluit, quoniàm non sunt eiusdem ordinis. Ità Caiet. loc. cit.

53. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 90. art. 3. & alibi multoties cùm D. Th. recitat & improbat opinionem illorum, qui causalitatem causæ primæ, quæ consistit in creare, faciebant communem ipsis causis secundis, & ponebant vt Plato, & alij quod Angeli secundum quod operantur in virtute Dei causant animas rationales, sed ait S. Doctor in art. 3. cit. & alibi hoc est omninò impossibile, & à Fide alienum. Ostensum est enim in art. 2. præcedenti q. cit. quod anima rationalis non potest produci nisi per creationem, quæ est causalitas propria agentis primi increati. & quæ non potest communicari, nec vt instrumentalitèr causis secundis, quià causalitas istarum semper præsupponit, ait Caiet. in sui actione aliquid præuium vt in p. p. q. 65. art. 3. & S. Doctor in p. p. q. 45. art. 1. ait quod creatio est productio rei ex nihilo, scilicet, ex nullo subiecto. Et causalitas causæ secundæ, scilicet actio, est per eductionem de potentia subiecti. Istæ enim duæ actiones diuidunt omnem efficientiam. Et sicuti per ly ex nihilo distinguitur creatio, ab eductione, ità sufficientèr etiàm per illam explicatur ratio creationis, quæ est causalitas propria in quarto modo dicendi per se, & in primo modo dicendi per se competens causæ primæ. Ità Caiet. p. p. q. 45. art. 1. 2. & 5. cùm D. Th. Et de creatura, vt instrumentum, quod ista causalitas ei non possit communicari Caiet. discursum habet pluribus in locis, & citat D. Th. 2. cont. gent. cap. 25. Albertum Magnum in 2. sent. dist. 1. art. 7. sed magis diffusè in p. p. q. 65. art. 5. contrà Scotum, & Durandum.

Opiniones recitatæ à Caiet. circà causalitatem primi agentis, scilicet, creare an competere possit agēti secūdo diffusè in p. p. q. 65. art. 5. & alibi in p. p.

54. Quo ad 3. Conclusio responsiua quæsiti ponitur à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 90. art. 2. & 3. sic. Causalitas primi agentis consistit in creare, secundi in transmutare. Probatur à Caietano sub tali forma: præmittendo quod ideò anima rationalis est immediatè à Deo, quià per creationem. Vel ponatur Conclusio Caiet. sic. Differentia intèr primum agens, & alia agentia est, quià illius tantùm est creare, & horum est transmutare tantùm. Probatur Conclusio cùm D. Th. à Caiet. hoc modo. Omne agens secundum præsupponit aliquid à primo agente, ergo agit ex aliquo præsupposito, ergo agit transmutando, ergo solius primi agentis est, agere nullo præsupposito, ergo creare. Omnia sunt superius in q. 45. discussa, & in q. 65. art. 3. ex quo art. Caiet. sumit secundam Conclusionem infrà. Probat igitur Caiet. propositiones assumptas in ratione prædicta; & primo in art. 2. q. 45. ait. Si Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur, quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso, sed nihil est in entibus quod non sit causatum ab ipso, ergo necesse est quod Deus ex nullo præsupposito res in esse producat, & produxerit: hoc autèm est creare. Conditionalis assumpta probatur ex illa Cathegorica vniuersali. Omne faciens aliquid ex aliquo non facit, sed præsupponit illud ex quo facit, quæ manifestatur inductiuè, primo in artificialibus. Sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Secundo probatur in naturalibus, quià, & ipsa natura causat res naturales, quantùm ad formam, sed præsupponit materiam.

Concl. Caiet. cū D. Th. ex p. p. q. 90. art. 2. & 3. cùm sua probatione circa differentiam causalitatis primæ causæ, ab illa de causa secunda.

Deindè prædictæ propositiones assumptæ suprà probantur cùm D. Th. à Caiet. in art. 3. sequenti q. 45. quià quod creatur non fit per motum, vel per mutationem, quod enim fit per motum, vel mutationem, fit ex aliquo præexistenti. Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium. Non autèm hoc potest contingere in productione totius esse à causa vniuersali omnium entium quæ est Deus. Vndè Deus creando producit res, sine motu. Et sic in Creatura creatio

non

non est nisi relatio quædam ad Creatorem, quia subtracto motu ab actione, & passione nihil remanet, nisi relatio. Ità Caiet. loc. cit.

2. Concl. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 65. art. 3. cum sua probatione, quod ista causalitas, scilicet, creare non est possibilis ipsi causæ secundæ.

55. Secunda Conclusio, quæ ponitur à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 65. art. 3. est ista. Creatio est talis causalitas, seù actio primi agentis, quod est impossibilis ipsi Creaturæ causæ secundæ etiàm instrumentali. Probatur à Caiet. sub tali forma. Causa quanto superior, tanto ad plura se extendit in causando, ergo ad communius, ergo ad magis substratum, ergo quod primo in omnibus substernitur, propriè pertinet ad causalitatem supremæ causæ, ergo nulla causa secunda potest aliquid producere, non præsupposito in re producta aliquo causato à prima causa, ergo nulla causa secunda potest creare. Antecedens, & prima consequentia patent; Secunda verò probatur, quià substratum communius inuenitur sempèr, quàm informans illud, quià informare est restringere, & terminare, vt patet de esse, viuere, & intelligere, in quibus est graduum informatio, & materia, & forma, in quibus rerum duarum est per formationem vnio. Vltima antèm consequentia probatur ex ratione creationis, quià, scilicet, Creatio est productio rei secundum totam substantiam nullo præsupposito creato, vel increato, prætèr agens ipsum. Et ideò vt Moyses ostenderet corpora omnia immediatè à Deo creata dixit. In principio creauit Deus Cœlum, & terram. Ità Caiet. in loc. cit. art. 3.

Quod prædicta ratio extenditur etiàm ad causam instrumentalem.

Et aduerte, addit Caiet. quod hæc ratio adducta ad excludendum creationis actum à causis secundis si subtilitèr perspiciantur, & ad memoriam reducantur dicta superius in q. 45. (vt adduximus in ratione primæ Conclusionis) concludit non solùm quòd nulla causa secunda potest propria virtute creare, quod prima facie sonat, sed etiàm quod nec instrumentalitèr aliqua earum hoc possit: quoniàm si primum ordine compositionis in re est proprius effectus primæ causæ, nihil fingi potest præuium, quod ad causam aliquam instrumentalem spectet, quoniàm ante primum, nihil est, & tamèn constat instrumentum omne præuium ad aliquid agendum, poni, vt ex suprà dictis patet. Ità Caiet. in art. 3. cit. in fine Comment.

Prob. Caiet. secùda cùm D. Th. ex p. p. q. 45. art. 5. pro prima parte Concl. 2.

Probatur 2. à Caiet. cùm D. Th. sub alia forma eadem Conclusio in p. p. q. 45. art. 5. sic. Esse est proprius effectus primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus, & producere esse absolutè pertinet ad rationem creationis, ergo creatio est propria causalitas, seù actio solius Dei. Prima propositio probatur duplicitèr primo ratione, quià effectus vniuersaliores opportet in vniuersaliores, & priores causas reducere. Esse autèm intèr omnes effectus, est vniuersalissimum. Secundo probatur authoritate ex libro de Causis propositione 3. vbi dicitur, quod neq; intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi in quantùm operatur operatione Diuina.

Prob Caiet cum D. Th. pro 2. parte Concl. 2. de Instrumento ibidem art. 5. cit.

56. Probatur à Caiet. cùm D. Th. ibidem loc. cit. de causa instrumentali, quod ei non possit communicari ista causalitas propria primæ causæ; sub tali forma sic.

Causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis, sed nullum agens secundum potest aliquid dispositiuè operari ad effectum Dei creantis: Ergo nulla potest esse causa instrumentalis ad creationis actum. Maior probatur duplicitèr ducendo ad inconueniens primò, quià si nihil ageret causa instrumentalis secundum sibi proprium frustrà adhiberetur ad agendum. Secundo quià non opportet esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Deindè manifestatur inductiuè ad sensum, quià sic videmus in securi, quod scindendo lignum habet ex proprietate suæ formæ, quod producit scamni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis. Minor quoq; duplicitèr probatur, primo ex termino, quià esse absolutè, quod est proprius effectus creantis, omnibus alijs præsupponitur. Secun-

cundo probatur ex modo, quià creatio non est ex aliquo, & sic excludit omne dispo-nibile. Ità Caiet. cùm D. Th. de quo Caiet. ait quod in cit. art. 5. cit. Doctor Sanctus recitando opiniones Auic. & Magistri sent. circà communicationem actus creandi, quod, scilicet, potest communicari Creaturæ, refert quoq; se ipsum in 2. dist. 2. q. 1. art. 3. & 5. dist. 4. sent. q. 1. art. 3. q. 2. ad quartum non aspernatum opinionem Magistri sent. quàm hic repellit cùm sequacibus etiàm si ipsemet fuit vnus ex illis. Ità Caiet. art. 5. cit.

57. Quo ad 4. Arguit cùm D. Th. in q. 65. art. 3. contrà secundam Conclusionem sic. Ad producendum effectum finitum non requiritur virtus infinita: sed omne corpus est finitum, ergo per finitam virtutem spiritualis Creaturæ saltem produci potuit per creationem, & de facto fuit productum. Hoc probatur quià in talibus non differt esse, & posse præsertim quià nulla dignitas competens alicui secundum suam naturam, ei denegatur nisi fortè ob culpam suam.

Arg. 1. Caiet. contrà primam partem Concl. 2. ex D. Th. in p. p. q. 65. art. 3.

Arguit iterùm Caiet. cùm D. Th. contrà eamdem primam partem Conclusionis eodem medio, sed magis vniuersali in p. p. q. 45. art. 5. sic. Virtus facientis consideratur secundum mensuram eius quod fit: sed ens creatum est finitum vt probatum est q. 7. art 3. & 4. cùm de Dei infinitate ageretur ergo ad producendum per aliquid creatum non requiritur nisi virtus finita: sed habere virtutem finitam non est contrà rationem Creaturæ ergo non est impossibile Creaturam creare.

Arg. 2. ex D. Th. sub alia forma in p. p. q. 45. art. 5.

Resp. Caiet. cùm D. Th. Resp. ad tertium ad hoc Arg. quod virtus facientis non solùm consideratur ex substantia facti, sed etiàm ex modo faciendi. Maior enim calor non solùm magis, sed etiàm citiùs calefacit. Quamuis igitur creare aliquem effectum finitum non demonstret potentiam infinitam, tamèn creare ipsum ex nihilo demonstrat potentiam infinitam. Si enim tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, opportet quod virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita, quià nulla proportio est nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quàm præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens. Et quià nulla Creatura habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neq; esse infinitum, vt probatum est in q. 7. art. 2. relinquitur, quod nulla Creatura possit creare. Ità Caiet. cùm D. Th. in Resp. ad tertium.

Resp. Caiet. ad hoc 2. Arg. ex D. Th. ibidem.

Instat Caiet. ex Scoto contrà Resp. allatam ibidem loc. cit. Scotus dicit, quod licet nullius potentiæ ad aliquam potentiam nulla sit proportio, negatur tamèn sequela, ergo virtus quæ potest super hanc nullam habet proportionem ad virtutem quæ potest super illam. Et ratio negationis est, quià prima extrema, scilicet, nulla potentia, & aliqua potentia sunt, intèr quæ non est nata esse proportio, quià alterum non est quantum: alia verò extrema, scilicet, virtutes sunt, intèr quæ nata est esse proportio, quià ambæ sunt quantæ. Et datur exemplum de puncto, & linea, intèr quæ nulla est proportio, & tamèn virtutes potentes suprà illis, non sunt improportionales.

Instantia Caiet. contrà hanc Resp. D. Th. ex Scoto.

Resp. Caiet. ad Instantiam Scoti, quod ratio in Resp. ad 3. non arguit ex extremis improportionalibus absolutè, sed ex eis vt terminis progressus augmentationis, & diminutionis proportionalis, vt patet, & ideò valet. Exemplum verò de puncto, & linea, quæ extrema improportionalia absolutè sunt, nihil obstat, quià ad nullum est propositum. Stat ergo solida demonstratio litteræ responsionis ad tertium cit. quod virtus creatiua est infinita, & ideò incommunicabilis (omnis enim virtus finita est) alteri virtuti finitæ proportionali, vt etiàm ipse Scotus fatetur, quoniàm vtraquè, quanta, & finita est. Ità Caiet. art. 5. cit. in fine Comment.

Resp. Caiet. ad instantiam Scoti loc. cit.

Resp. Caiet. cùm D. Th. ad Argumentum sub alia forma in principio factum in

Resp. Caiet. ex

q. 65.

D. Th. ad Arg. in initio factum ex q. 65. art. 3. p. p.

q. 65. art. 3. in Resp. ad tertium, quod quantitas virtutis agentis non solùm mensuratur secundum rem factam, sed etiàm secundum modum faciendi, quià vnum, & idem alitèr fit, & à maiori, & minori virtute producere autèm aliquod finitum, hoc modo vt nihil præsupponatur, est virtutis infinitæ. Vndè nulli Creaturæ competere potest. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Arg. Caiet. contrà secundã probationem Concl. 2 in p. p. q. 45. a. 5. ex Scoto cùm sua Resp.

59. Arguit 2. Caiet. ex Scoto in p. p. q. 45. art. 5. contrà primam propositionem assumptam in secunda probatione primæ partis secundæ Conclusionis ex 4. sent. dist. 1. dicens esse falsam, quod sic probat. Esse compositi est à generante compositum, ergo non est proprius effectus Dei, & tenet sequela, quià compositum puta Bos est ab vniuoco generante, &c. ergo falsum est quod producere esse absolutè spectat ad Deum.

Resp. Caiet. quod propositio illa est verissima, sed malè intellecta est ab arguente: debet enim accipi Conclusio, vt sequitur ex præmissis, ex quibus habetur, quod esse est proprius effectus Dei, scilicet, causæ vniuersalissimæ, idest esse est per se primo effectus Dei, hoc enim significat ly proprius, & non significat idem quod solùm, sed tantùm, vt arguens intellexit imponens Auctori, quod est esse effectus solius Dei: hoc enim nunquàm somniauimus; imò omnem causam tenemus dare esse, virtute tamén primæ causæ, vt propositio libri de causis adducta insinuat. Vndè frustrà nixus est Scotus contrà hanc quæstionem quo ad hoc. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. Caiet. ex Scoto loc. cit. contrà 2. partem 2. Concl.

60. Arguit 3. Caiet. ex Scoto art. 5. cit. contrà secundam partem Conclusionis: contrà ly dispositiuè positum in ratione probatiua. Instrumentum potest attingere effectum principalis agentis: ergo non opportet vniuersalitèr, quod agat dispositiuè. Antecedens conceditur, inquit Scotus, ab ipso S. Doct. alibi, scilicet, in 4. sent. dist. 1. q. p. art. 4. quæst. 1. Et manifestatur in factione monetæ, & sigillatione.

Et insupèr exemplum de Securi, & similibus non infert intentum, quià sunt instrumenta ad actionem præuiam alteri actioni: Securis enim est instrumentum ad scissionem, quæ est præuia formationi scamni: non sic autèm est in omnibus causis instrumentalibus, quoniàm aliqua sunt instrumenta, vt dictum est ad solam actionem, qua principalis effectus fit.

Resp. Caiet. ad Arg. Scoti loc. cit.

Resp. Caiet. ad Argumentum negatur consequentia, pertingit ad vltimam formam quandoq; ergo non dispositiuè. Disponendo namq; ex proprijs pertingit ad vltimum ex virtute agentis principalis, etiàm sumendo dispositionem pro dispositione realitèr distincta, vt ibidem dat Auctor exemplum de qualitatibus actiuis, & formis naturalium, & per oppositum respectu animæ intellectiuæ.

Ad exemplum de Securi Resp. Caiet. quod Doctrina à notioribus tradenda est. Et propterea Auctor exemplum de Securi induxit: in quo tamèn declarauit intentum, dicendo, quod producit formam scamni, insinuans per hoc, quod nihil aliud intendebat, nisi quod instrumenta etiàm attingendo formam intentam à principali agente, disponunt, idest præuium aliquid faciunt.

Arg. Caiet. ex Durando loc. cit. art. 5. contrà probationem eiusdẽ secundæ partis.

61. Arguit 3. Caiet. ibidem ex Durando contrà probationem secundam Minoris probatiuæ eiusdem secundæ partis Conclusionis secundæ sic. Illa probatio supponit vnum fallum, scilicet, quod omnis actio causæ secundæ sit ex subiecto, hoc, inquit Durandus, non est necessarium, quià non minus potest Deus separare accidens à subiecto dùm fit à naturali agente, quàm cùm factum est. Tunc sic. Separet Deus accidens à subiecto dùm fit à naturali agente, ergo illud fieri erit non ex subiecto, non ergo sic opportet causam secundam agere ex subiecto, quin possit oppositum Diuina fieri potentia.

Resp. Caiet. ad Arg. Durandi.

Resp. Caiet. ad Argumentum Durandi, quod licet semper possit accidens à subiecto

biecto separari in sensu diuiso, non tamèn compossibile est, quod accidens separetur à subiecto, & fiat ab agente naturali, nisi fortè eidem in fieri tribuatur, vt gerat vicem subiecti; sicuti in Sacramento Altaris dicimus, quod quantitas gerit vicem substantiæ, etiàm in corruptione. Ratio disparitatis intèr possibilitatem separationis accidentis in fieri, & facto esse, est, quià esse accidentis non est in esse actualitèr, sed aptitudinalitèr in subiecto. Et propterea stat, quod separetur, & sit. Fieri autèm eius ab agente naturali est actualitèr educi de potentia: non enim alitèr agens naturale agit, nisi educendo de potentia subiecti. Et propterea sicuti non stat simul, quod fiat ab agente naturali, & non educatur de potentia subiecti, quià implicat; ità non stat simul, quod fiat ab agente naturali, & sit separatum à subiecto, est enim manifesta implicatio, quàm si aduertisset Durandus, fortè tacuisset. Ità Caiet. in q. 45. art. 5. §. Ad Durandum.

QVÆSTIO VIII. SECVNDI PHYSICORVM

Quænàm differentia sit intèr causam vniuocam, & æquiuocam

EX CAIETANO

P. p. q. 104. *art.* 1. *& alibi in Comment.*

62. ADnotat primo Caiet. cùm D. Th. in art. 1. cit. circà hanc diuisionem, quod in causa vniuoca si aliqua duo sint eiusdem speciei, vnum non potest esse per se causa formæ alterius, in quantùm est talis forma, quià sic esset causa formæ propriæ, cùm sit eadem ratio vtriusq; sed potest esse causa huiusmodi formæ secundum quod est in materia, idest quod hæc materia acquirat hanc formam. Et hoc est esse causam secundum fieri, sicuti cùm homo generat hominem, & ignis ignem. Et id eò quandoq; naturalis effectus est natus impressionem agentis recipere secundum eamdem rationem, secûndum quàm est in agente, tunc fieri dependet ab agente, non autèm esse ipsius. In causa autèm æquiuoca, quià effectus aliquando non est natus recipere impressionem agentis secundum eamdem rationem secundum quàm est in agente, sicut patet in omnibus agentibus æquiuocis, quæ non agunt simile secundum speciem, sicut Cœlestia corpora sunt causa generationis inferiorum corporum dissimilium secundum speciem. Et tale agens potest esse causa formæ secundum rationem talis formæ, & non solùm secundum quod acquiritur in tali materia, & ideò est causa non solùm fiendi, sed essendi. Sicut igitur fieri rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri; ità nec esse rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus, non solùm secundum fieri, sed etiàm secundum esse. Sed melius manifestabitur hæc differentia intèr causam vniuocam, & æquiuocam quo ad fieri, & quo ad conseruare effectum infrà in Conclusionibus. Ità Caiet. cùm D. Th. art. primo cit.

Doctr. Caiet. & D. Th. in p. p. q. 104. art. 1. in qua declaratur differentia in modo causandi intèr causam vniuocam, & æquiuocam.

63. Quo ad 2. Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 104. art. 1. ad 4. explicata differentia

Opiniones reci-

A a

tata à Caiet. quo ad conseruare suos effectus de causa vniuoca, & æquiuoca an sit distincta actio, effectio rei, & conseruatio.

tia intèr causalitatem causæ vniuocæ, & causalitatem æquiuocæ exponit suàm sententiam, & D.Th. circà conseruationem, an sit distincta causalitas intèr ipsas, à causalitate in fieri; ait enim cùm D. Th. ad quartum. Conseruatio rerum à Deo non est per aliquam nouam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse, quæ quidem actio est sine motu, & tempore, sicut etiàm conseruatio luminis in aere est per continuatum influxum à Sole. Ità quod intercedit sola distinctio rationis penès connotata, scilicet, effectio, quod non fuerit; conseruatio, quod res iàm anteà fuerit, & hoc confirmat S. Doctor alibi, quæst. de potentia tertia, art. 3 ad 6. & q. 5.a. 1. ad 2. contrà Henricum, Aureolum apud Capreolum 2. sent. dist. 1. q. 2. art. 2. in argumento contrà tertiam Conclusionem; & Gregorium, qui volunt, quod in omni rerum productione, & conseruatione intercedant duæ actiones, vna, qua acquirit esse ipsa res, alia quæ subsequitur, qua conseruatur ità esse. Ità Caiet.

1. Concl. Caiet. cùm D. Th. cùm sua probatione ex p.p.q 104. art. 1. responsiua quæsiti.

64. Quo ad tertium est prima Conclusio Caiet. cùm D. Th. in p. p.q. 104. art. 1. Causæ vniuocæ differunt ab æquiuocis, quod illæ non possunt esse causæ per se formarum effectus sui; istæ verò possunt esse causæ per se formæ effectus.

Probatur à Caiet. ex Doctrina D. Th. allata suprà in tali forma ex illa maxima, causa per se alicuius, est causa illius in quocumq; inuenitur secundum eamdem rationem, ergo si causa vniuoca, puta Socrates, causat formam humanitatis per se, dùm generat Platonem, sequitur, quod causaret etiàm humanitatem suam, cùm sit in eo eiusdem rationis, ergo.

2. Concl. Caiet. Ibidē loc. cit. cùm sua probatione responsiua quæsiti.

Secunda Concl. Causæ vniuocæ sunt causæ tantùm fieri effectus; æquiuocæ verò possunt esse causam ipsius esse effectus. Probatur à Caiet. cùm D. Th. in tali forma. Hæc differentia sequitur ex prima ergo &c. Probatur quià ex quo causa vniuoca non causat per se formam, & aliquid causat, ergo causat applicationem, seù coniunctionem formæ in materia, hoc autèm est esse causam fieri effectus; & quoniàm in causa æquiuoca non saluatur forma effectus secundum eamdem rationem, non repugnat ei esse per se causam formæ effectus, & consequentèr esse causam, & fieri, & esse effectus, ergo &c. Manifestatio autèm prædictæ diuersæ proportionis fit à testimonio sensibilium in differentia intèr calorem aquæ, & lumen aeris, quorum neutrum inest ab intrinseco in hoc, quod ille remanet absq; conseruante, istud non: quià calor est eiusdem rationis, in calefaciente, & calefacto; lumen autèm non in illuminato, & lucente: Materia enim aquæ suceptiua est caloris ignis secundum eamdem rationem, qua est in igne. Vndè si perfectè perducatur ad formam ignis, retinebit calorem semper; si autèm imperfectè participet aliquid de forma ignis secundum quamdam inchoationem, calor non semper remanebit, sed ad tempus, proptèr debilem participationem principij caloris. Aer autèm nullo modo natus est recipere lumen secundum eamdem rationem, secundum quàm est in Sole, vt scilicet, recipiat formam Solis, quæ est principium luminis; & ideò quià non habet radicem in aere, statim cessat lumen, cessante actione Solis. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 1. cit.

Arg. 1. Caiet. in q. 104. art. 1. cit. p. p. contrà propositiones assumptas in probationibus suprà &c.

65. Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà id quod dicitur in descriptionibus causæ vniuocæ, & æquiuocæ, scilicet, quid intelligatur per formam per se causari, aut respici à causa. Cùm enim sermones doctrinales sint formales, oportet accipi ly per se, vt est modus causandi actiuè, vel passiuè: sic autèm inuenitur manifestè falsum, quod dicitur, quoniàm forma tunc per se respicitur ab agente, quando non proptèr accidens respicitur p. post. c. de per se, & 5. Met. vt statua per se respicitur à statuifico, per accidens autèm à Polycleto, & similitèr domus à domificatore, & sanitas à Medico &c. Constat autèm quod multorum formæ per se, & non per accidens

fiunt

fiunt ab agentibus, à quibus nondependent in esse, vt patet in exemplis datis, ergo ista, ratio, seù descriptio effectus in esse, nulla est.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

Resp. Caiet. ibidem art. 1. cit. quod huiusmodi propositiones loquuntur indistinctè de causa per se, & effectu per se, non distinguendo secundum esse directè, vel secundum fieri tantùm. Et potest etiàm dici, quod licet in instantijs adductis, & similibus, sit causa, & effectus per se, vt distinguitur contrà per accidens, non tamèn vt distinguitur contrà per aliud, vt est hic sermo, quià sunt effectus per fieri, quod est aliud ab eis. Ità Caiet.

Argu. 2. Caiet. ibidem art. 1. cit. contrà easdem propositiones.

66. Arguit 2. ibidem loc. cit. Caiet. contrà illam propositionem assumptam, scilicet, causa per se alicuius formæ, causat illam in quocumq; inuenitur. Hæc maxima est falsissima ergo &c. Probatur, & ratione, & inductione. Inductione quidèm, quià sic corpora Cœlestia non causarent per se corpora inferiora, nec substantiæ superiores, substantias inferiores, nec Deus entia: illa enim sunt corpora, hæ sunt substantiæ, & hic est ens, & sic causarent se ipsa, si in quocumq; illud inuenitur opportet causare. Ratione autèm probatur quià illa propositio destruit illam maximam, omne agens agit per se simile sibi secundum formam, quæ est ratio agendi. Si enim per se agit sibi simile, ergo esse actiuum supponit in agente fundamentum assimilationis, & si ex alia parte esse per se actiuum, exigit actiuitatem in omni, in quocumq; inuenitur tale fundamentum, igitur non supponit, & sic hæc duo principia contradicunt quare &c.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. ad Inductionem.

Resp. Caiet. ibidem loc. cit. quod instantiæ adductæ in littera art. 1. cit. soluuntur in qua expressè dicitur, quod hæc dicuntur de effectu eiusdem rationis; ità quod sensus illius principij, causa per se alicuius, causat illud in quocumq; reperitur secundum eamdem rationem. Nec opportet, quod causat illud in quocumquè æquiuocè, seù analogicè inuenitur. Et in promptu huius sanè Glosæ causa est, quià quandò aliquid conuenit alicui per se, non opportet propterea, quod conueniat suo æquiuoco, aut analogo, sed satis est, & exigitur quod conueniat sibi in quocumquè secundum suam rationem inuenitur. Vndè si corpora Cœlestia causant corporeitatem inferiorum per se, & substantiæ immateriales substantialitatem &c. patet Resp. quià non est eiusdem rationis substantia, aut corporeitas in causatis, & in huiusmodi causis. De Deo autèm constat, quod est causa per se primo entis in quantùm ens, & non sequitur ergo causat ens in seipso, sed ergo causat ens in quocumq; inuenitur secundum eamdem rationem, qua inuenitur in causatis: Modò falsum est, quod in Deo inueniatur secundum eamdem rationem, cùm ipse sit ens per essentiam, cætera non: Sed reliqua sunt quodammodò eiusdem rationis, in quantùm entia, quià sunt entia per participationem. Et hoc benè nota, quoniàm Metaphysica hæc, multos latuit Illustres viros.

Resp. Caiet. ad rationem Arg. 2.

Et ex his patet Resp. ad rationem in oppositum, quoniàm esse per se actiuum supponit fundamentum assimilationis, non tamèn semper secundum eamdem rationem, quàm effectus habebit, sed quandoq; secundum altiorem, quàm effectus imitabitur. Et similiterex alia parte, esse per se actiuum exigit actiuitatem in quocumq; in quo fundamentum similitudinis inuenitur non qualitercumq;: Sed secundum eamdem rationem, qua inuenitur in effectu. Et idcircò per se primo actiuum non repugnat omni causæ, sed vniuocæ vt sic, vt in littera dicitur. Vndè illa duo principia sanè intellecta, vt decet, non contradicunt, sed consonant. Ità Caiet. in art. 1. q. 104. p. p.

Arg. 3. Caiet. ibidem art. 1. cit.

67. Arguit 3. Caiet. in fine Comment. contrà manifestationem inductiuam probationis secundæ Conclusionis sic. Causa assignata per inductionem differentiæ in-

in fine Comment. contrà ipsam differentiam assignatam per inductionem intèr vniuocam, & æquiuocam causam.

tèr causam vniuocam, & æquiuocam est falsa ergo. Probatur quià aqua cùm calefit à Sole conseruet etiàm calorem remota à Sole: at tamèn non est susceptiua formæ caloris secundum eamdem rationem, qua est in Sole vt patet. Vndè si ratio esset bona aqua calefacta à Sole non conseruaret calorem, sicut aer non seruat lumen. Et etiàm ex parte luminis arguitur, quià cùm illuminatur aer à lucerna est susceptiuus formæ illuminantis secundum eamdem rationem, quià communicat in materia, & tamèn non retinetur, sed dependet in fieri, & conseruari à lucerna ergo &c.

Resp. Caiet. ad 3. Argumentum.

Resp. Caiet. vnica Responsione, quod ideò calor à Sole factus remanet, quià calor est talis forma, quæ nata est à materia aeris suscipi secundum esse, quod habet in propria causa, & non in causa communi, quæ est Sol. Et similitèr lumen à lucerna, non remanet, quià lumen est talis forma, quæ non est nata haberi secundum eamdem rationem, qua est in propria causa, non in lucerna. Quamuis etiàm aer, nec eius materia possit per illuminationem peruenire ad habendum lumen secundum eamdem rationem, qua est in lucerna, sed per aliquam aliam actionem. Et quod hæc vera sint ex eo patet, quod tàm ab igne, quàm à Sole vterq; prouenit effectus, scilicet, calor, & lumen, Sed quoniàm respectu caloris Sol est causa communis, respectu luminis propria; Ignis quoq; respectu caloris est causa propria, respectu luminis, causa est vt ignis non, sed vt cùm cœlesti natura communicat, vt dicitur in secundo de anima; ideò propria causa caloris vt sic, & vt calefaciens, participabilis est secundum eamdem rationem in alijs: Et ideò calor in alijs conseruatur, vt potè non dependens in esse, quià eius propria causa est vniuoca alijs. Propria verò causa luminis vt sic, vt illuminans non est participabilis ab alijs, secundum eamdem rationem, & ideò lumen non retinetur, vt potè dependens in esse, & fieri, & non repugnante huic propria causa, quoniàm non est vniuoca alijs; & sic patet intentio, & subtilitas differentiæ intèr causam vniuocam, & æquiuocam, quoad eorum fieri, & conseruari.Ità Caiet.

QVÆSTIO IX. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm potentia operatiua agentis substantialis per suam formam rationem agendi sit idemtificata, & immediatè agat agens.

EX CAIETANO

P. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1. & alibi in Comment.

68. CAiet. in p. p. q. 54. art. 3. explicat titulum, & ait ly potentia cùm sit principium actiuum, vel passiuum operationis, duo in se claudit, scilicet, relationem principij, & rem absolutam, quæ est proxima ratio agendi, vel patiendi. In præsenti non est quæstio de relatione, sed de re absoluta. Ità quod sensus tituli est. Vtrùm potentia pro re absoluta, quàm significat, sit idem cùm substantia agentis per formam tanquàm per rationem agendi, & in q. 54. cit. S. Doctor quærit nedum de substantia Angeli, sed de substantia cuiuscumq; Creaturæ; & in

q. 77.

q. 77. art. 1. quærit peculiaritèr de tali forma substantiali, scilicet, anima rationali an sit immediatè operatiua, vel sit idem secundum rem quod sua potentia intellectiua, & volitiua, sensitiua, &c. Itá Caiet. loc. cit.

69. Adnotat primo Caiet. pro quæsito in sensu vniuersali in p. p. q. 54. art. 1. in Resp. ad primam rationem Scoti, quod esse principium operationis contingit tripliciter, scilicet, vel proximum tantùm, vel principale tantùm, vel proximum, & principale simul: elicere operationem, vt principium proximum tantùm, est imperfectionis, quià opportet esse de genere accidentis. Elicere verò operationem, vt proximum, & principale simul est summæ perfectionis, quià ponit in re perfectionem substantiæ, & accidentis. Elicere verò vt principale tantum, medium est, & proptereà rationabilitèr conuenit substantiæ creatæ, quæ media est intèr Deum, & accidentia. Et sic substantia debet ordinari ad finem nobilissimum, modo tamen possibili sibi. Immediatio autèm per exclusionem potentiæ mediæ, est modus impossibilis substantiæ creatæ, quià ratione nimiæ perfectionis, quam haberet, repugnat substantiæ creatæ, esse proximum principium operationis, quoniàm esset proximum, & principale simul, & si non velimus abvti vocabulis, operari mediante virtute propria vt quo, non est operari per accidens. Itá Caiet. contrà Scotum loc. cit.

70. Adnotat secundo Caiet. loc. cit. art. 3. Ad euidentiam præsentis materiæ notandæ sunt aliquæ distinctiones. Prima est de actu, quidam est adæquatus potentiæ, vt intelligere respectu intellectus, & videre respectu visus, quidam verò inadæquatus, vt tale intelligere, puta intelligere Bouem, & videre tale, puta album. In proposito est sermo de actibus adæquatis tantùm, quoniàm de talibus tantùm verificatur quod potentiæ distinguuntur per actus. Secunda distinctio est de graduatione rerum. Quædam enim res sunt, quæ primaria intentione intenduntur à natura vt actus: quædam verò vt potentiæ, quamuis contingat res intentas vt actus, habere aliquid potentiæ admistum. Et similitèr res intentas vt potentias, habere aliquid actualitatis admistum; Et illæ quidem sunt per se primò, & essentialitèr actus, & per hoc simplicitèr locantur in coordinatione actuum. Istæ verò sunt per se primo, & essentialitèr potentiæ, & consequentèr simplicitèr locantur in ordine potentiarum. Itá quod imaginandum est, quod quemadmodum in genere substantiæ est inuenire quasdam res à natura intentas per se primò, vt principia aliorum sint, itá in quolibet genere sint quædam res per se primo intentæ à natura, vt principia proxima aliorum. Et si ita est, ex hoc habetur tertia Distinctio actus, & potentiæ, quià vterque est duplex. Actuum enim quidam est per se primo actus, & secundario potentia, quidam verò è conuersò. Et similitèr potentiarum, quædam est per se primo potentia, & secundario actus, quædam verò è contra; Quàmuis in his sit latitudo quædam, quoniàm potentiæ passiuæ sunt actus tantùm modalitèr, pro quanto subiectis inhærent aliquæ earum: habent enim ex hoc quemdam actus modum. Potentiæ verò actiuæ, actus quidem sunt, sed tales, quod sunt essentialitèr intenti, & ad hoc producti in natura, vt principia operationum sint, & proptèr hoc in genere principiorum essentialitèr locantur. In proposito, ergo sermo est de actu per se primo intento in ratione actus, & de potentia per se primo intenta in ratione Potentiæ. Quod autèm dentur in natura tales res, specialem quæstionem exigeret, in promptu tamen apparet rationabilitèr eas poni posse. Quandoquidèm habitus omnes practici, vt docuit Arist. in Eth. res tales sunt, quoniàm ad nihil aliud sunt nisi ad operari. Itá Caiet. art. 3. cit. pro declaratione rationis primæ Conclusionis infrà ponendæ, & probandæ ex eodem Caiet. cum D.Th.

71. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 77. art. 1. pro confirmatione dictorum,

Re-

Recolenda sunt quæ diximus in quæst. 45. art. 3. vbi distinctum est de actu, & potentia. Dictum est enim, quod intèr purum actum, & puram potentiam, mediant entia habentia aliquid actus, & potentiæ, sic, quod quædam sunt essentialitèr in genere actuum; quædam verò essentialitèr in genere potentiarum, de quibus tantùm in præsenti est sermo. Et quià obijcientes diuertunt ab his, nec discernunt intèr per se, & per accidens, ideò falluntur, vndè ad singula veniendo, cùm in prima ratione pro secunda conclusione infrà ponenda dicitur, quod potentia, & actus sunt in eodem genere, intelligitur de potentia essentialitèr ordinata ad talem actum, siuè sit receptiua, siuè actiua, vt patet in 12. Met. tex. 26. Nec contrà hoc aliqua instantia adducitur. Non enim obstat, quod res vnius prædicamenti sit immediatum receptiuum rei alterius: quoniàm nullum prædicamentum est essentialitèr potentia respectu alterius, sed vt patet in loco allegato, in quolibet prædicamento est propria potentia illius generis. Nec sequitur processus in infinitum, quoniàm actus cuiusque generis respondet propriæ potentiæ, vt essentialitèr ad se ordinatæ: illi verò potentiæ non respondet alia præcedens potentia essentialitèr ad illam ordinata, quoniàm ipsa est essentialitèr in genere potentiæ, & si aliquid actualitatis habet, non nisi quemdam actus modum habet, putà quià inest alteri, & ad hoc sufficit, quod habeat receptiuum in quo sustentetur, absque hoc, quod essentialitèr ordinetur ad hoc: & sic est status in re alterius generis puta substantia, & nisi sic dicatur, non potest euadi, quin substantia sit reductiuè in genere accidentis. Ità Caiet. art. 1. cit.

72. Adnotat quarto Caiet. ibidem art. 1. cit. contrà Scotum qui affert permistionem actus essentialis, & potentiæ essentialitèr absque distinctione reali; quod habere permistionem actus, & potentiæ essentialitèr contingit dupliciter, scilicet, per se primo, & per accidens, seù per aliud, & quod sermo noster est de habente hæc per se ipsum, & non de habente hæc ratione alterius. Et rationabilitèr, ac merito hoc dicitur, quoniàm eius quod conuenit alicui per aliud, assignanda est ratio ex illo alio, & non ex se; & per oppositum eius quod conuenit alicui per se ipsum assignanda est in se ipso causa propria, modo constat, quod habere in se hæc duo, actum essentialitèr, & potentiam essentialitèr animæ conuenit ex propria ratione, quià ex hoc ipso, quod est actus primus quod est eius diffinitio, & consequentèr in ipsa ponenda est propria causa huius permistionis, quæ, vt ex dictis patet, est distinctio generica actus à potentia, cui coniungitur, & consequentèr distinctio realis. Habitui verò cuicumque non conuenit ex se ipso, sed ex ipsa anima. Ex hoc enim habent habitus, & reliqua, quæ in anima sunt, quod non semper vigilent, sed quandoque sint, vt somnus, quià ipsius animæ sunt. Cuius signum est, quod in solis qualitatibus animæ hæc permistio inuenitur. Et confirmatur ex diffinitione habitus 3. de anima tex. 17. habitus est, quo quis vtitur cum vult, vbi libertas animæ ponitur causa vigiliæ, & somni ipsius habitus. Nec obstat, quod leue non semper ascendat, quoniàm deductis impedimentis, & de operationibus conuenientibus rei in sua naturali dispositione Philosophicus sermo est intelligendus, quando de operationibus rerùm habetur. Vndè cùm in eis non sit talis permistio actus, & potentiæ nisi ratione subiecti consequens est quod ratio pro secunda conclusione stat solida, quæ causam permistionis talis in eo, in quo ex se inuenitur, assignat distinctionem realem permistorum includere. Et in hoc gratias ago Deo meo. Ità Caiet. art. 1. q. 77. in fine Comment. Et addit cum D. Th. Caiet. in 3. p. q. 77. art. 3. ad secundum quod ità actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ, & ideò sicut diuina virtute datur speciebus Sacramentalibus, vt possint esse sine substantia, ità datur eis vt possint agere sine forma sub-

substantiali virtute Dei, à quo sicut à primo agente dependet omnis actio formæ, & substantialis, & accidentalis, quod est signum distinctionis realis in hac permistione actus, & potentiæ. Ità Caiet. loc. cit.

73. Quo ad secundum Caiet. in locis citatis recitat, & confutat opinionem Scoti, qui vult quod sola forma substantialis sit principium immediatum producendi aliam substantiam: Accidentia verò, dicit, quod nullo modo effectiuè concurrunt ad talem productionem, sed tantùm disponere ad illam. Argumenta Caiet. soluit ipsius Scoti, & in p. p. q. 54. art. 3. pro vt militant contrà conclusionem primam in sensu vniuersali positam, & probatam. Et pro vt militant contrà secundam conclusionem particularem de anima rationali tali forma substantiali soluit, in q. 77. art. 1. vt videbimus infrà in quarto loco præsentis quæstionis.

74. Quo ad tertium Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 54. art. 3. ponit in sensu vniuersali.(esto S. Doctor quærat de Angelis) hanc conclusionem responsiuam quæsiti. Nulla virtus operatiua cuiuscumque creaturæ, est eius substantia.

Probatur à Caietano cùm D. Th. sub tali forma. Nullius creaturæ est sua operatio, ergo nullius creaturæ substantia, est sua potentia operatiua. Antecedens probatur à S. Doctore art. præcedenti quæst. cit. quod nullius creaturæ actio est suum esse, quià esse agentis creati significatur intrà ipsum, & determinatur ad vnum secundum genus, & speciem. Et actio transiens significatur fluere ad extrà, & actio immanens cùm habeat speciem ab obiecto, non est determinata ad vnum tantùm genus, ac speciem. Consequentia verò deducitur quià secundum diuersitatem actuum, opportet esse diuersitatem potentiarum propriarum quià vnusquisque actus proprius respondet propriæ potentiæ: sed operatio, & esse sunt actus diuersi, quorum propriæ potentiæ sunt substantia, & vis operatiua, ergo substantia, & potentia operatiua sunt diuersæ. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

75. Secunda Conclusio particularis pro tali forma substantiali, scilicet, pro anima rationali ponitur à Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 77. art. 1. sic. Impossibile est animæ substantiam, esse suam potentiam.

Probatur à Caiet. cum D. Th. duplici ratione. Et primo sic sub tali forma. Operatio animæ non est in genere substantiæ, ergo nec potentia operatiua. Et sic non est substantia. Antecedens probatur, quià hoc est proprium Dei, quod operatio sit substantia. Consequentia probatur. Potentia est in eodem genere, in quo est actus, probatur quià actus, & potentia diuidunt ens, & quodlibet genus entis. Et quià ratio extendit se ad potentiam operatiuam cuiusque creaturæ, ideò sequitur Corrollariè, imò extensiuè, quod in solo Deo sit potentia eius essentia, sicut operatio est substantia in eo solo, & sic relinquitur probatum, concludit S. Doctor in fine art. cit. quod essentia animæ non est eius potentia: nihil enim est in potentia secundum actum, in quantùm est actus. Ità Caiet. art. 1. cit.

Secundo probatur à Caiet. cum D. Th. alia ratione ducens ad impossibile sub tali forma. Si essentia animæ esset immediatum principium suæ operationis, semper habens animam, haberet actu opera vitæ, sed hoc est falsum, ergo &c. Consequentia probatur dupliciter. Primo quià anima secundum essentiam est actus; secundo à simili, sicut semper est viuum habens animam actu. Deindè excluditur obiectio, à S. Doct. quæ posset contrà probationem consequentiæ adduci, dicendo quod anima est actus talis, id est ordinatus ad vlteriorem actum, quià est actus primus vt dicitur in 2. de anima, & hoc excudit dupliciter primo interimendo, quod hoc conueniat animæ secundum essentiam, quod probat: quià secundum essentiam est vltimus terminus generationis, ergo non ordinatur ad vlteriorem actum. Secundo osten-

ostendendo, quomodo hoc contingit animæ, scilicet, secundum quod subest suæ potentiæ. Deindè probat, S. Doctor falsitatem consequentis dupliciter primo experientia, quià inuenitur habens animam non semper esse in actu operum vitæ. Secundo ex diffinitione animæ vbi dicitur, quod est actus corporis potentia vitam habentis, quæ tamèn potentia non abijcit animam. Et hæc est radix rationis pro conclusione intenta, quæ tangitur à S. Doct. in fine art. cit. quià, scilicet, nihil est in potentia secundum actum, in quantum est actus. Ità Caiet. cum D. Th. art. 1. q. 77. cit.

76. Quo ad quartum Caiet. contrà primam rationem secundæ Conclusionis ibidem loc. cit. arguit ex Scoto sic. In 7. Met. dicitur, quod proprium est substantiæ non fieri, nisi substantia præsupposita; quantum autem, vel quale fit nullo præsupposito quanto, aut quali præexistente, nisi in potentia. Tùm quià apud te ànima est immediatum principium suarum potentiarum, quæ sunt accidentia vt dicis. Et similitèr apud te anima est immediatè receptiuum aliquarum potentiarum, puta intellectus, & voluntatis, non ergo proximum principium, actiuum, siuè passiuum, & actus sunt eiusdem generis apud te.

Resp. Caiet. ad illud 7. Met. quod fatemur substantiam esse immediatum principium quantitatis, loquendo de principio receptiuo, non autèm essentialitèr ordinato ad illam. Quamuis illa auctoritas non sit ad propositum: quià si adducitur quo ad principium passiuum, constat quod par est ratio de substantia, & quanto, quali: quià quodlibet eorum fit ex non tali actu, sed in potentia tantum. Si quo ad principium actiuum differentia non verificatur, nisi respectu emanationis rerum ab intelligentijs, quæ sunt causæ æquiuocæ, à quibus cum deriuentur, substantia, quantitas, qualitas, &c. ipsæ tamèn non sunt quantæ, nec quales nisi virtualitèr: substantiæ autèm actu. Cætera namque agentia, sicut substantiæ sunt actu, ità, & quanta, & qualia. Sermo autèm præsens est de proprijs principijs non de communibus æquiuocis. Similitèr non obstat, quod anima sit principium, suarum passionum, quas ponimus accidentia, quià nec actiuum, nec passiuum earum, est principium essentialitèr ad eas ordinatum: sed habet modum actiui per naturalem quamdam resultantiam, & rationem passiui in hoc, quod sustentat eas inhærentes sibi. Ità Caiet. loc. cit.

77. Arguit secundo Caiet. ex Scoto ibidem contrà secundam rationem secundæ Conclusionis. Si probatio esset vera, sequeretur quod calor non esset ipsa potentia calefactiua. Probatur sequela, quià calor secundum essentiam suam est actus, & vt sic terminat generationem sui, igitur si ratio facta valeret, sequeretur, quod in calore aliud esset essentia eius, & aliud potentia calefactiua, quod est ridiculum. Nec tutatur rationem si quis dicat, quod calor non generatur nisi secundum quid: nihil enim refert terminare generationem simplicitèr, vel generationem secundum quid, quo ad hoc quod est esse actum vltimum generationis. Vtrobique enim hoc conuenit per naturam, & rationem actus, in quantum actus est, & supèr hac natura sustentatur ratio quare, &c.

Resp. Caiet. quod potentia actiua sumi potest dupliciter. Primo pro proximo operationis principio effectiuo vt quo, & sic Argumentum concludit: sed non propriè sumitur potentia actiua hoc modo, quià non perfectè. Et ideò propriè loquendo, talis potentia actiua, non potentia, sed principium actiuum vocatur. Secundo pro proximo operationis principio effectiuo vt quo habente statum potentiæ, & sic sumitur in proposito, vbi propriè loquimur. Primo modo calor est potentia calefactiua, secundo modo non. Et vniuersalitèr nulla res est propriè potentia actiua,

nisi

nisi sit talis quod sibi conueniat quandoque esse in actu primo tantùm : hoc enim est habere statum potentiæ, vt patet in 9. Met. tex. 9. vel 7.

78. Arguit tertio Caiet. cum D. Th. in Resp. ad tertium art. p. cit. q. 77. contrà secundam conclusionem. Forma substantialis est simplicior, quàm accidentalis, cuius signum est, quod forma substantialis non intenditur, vel remittitur, sed in indiuisibili consistit, forma autèm accidentalis est ipsa sua virtus, ergo multo magis forma substantialis, quæ est anima.

Resp. Caiet. cum D. Th. quod actio est compositi, sicut & esse, existentis enim est agere. Compositum autèm per formam substantialem, habet esse substantialitèr, per virtutem autèm, quæ consequitur formam substantialem, operatur. Vndè sic se habet forma accidentalis actiua, ad formam substantialem agentis, vt calor ad formam ignis, sicuti se habet potentia animæ ad animam. Addit Caiet. in hac responsione ad tertium diligentèr aduerte, & accipe hinc, quod apud S.Th. cùm accidentis dicitur agere in virtute substantiæ, est constructio intransitiua, idest est ipsa virtus substantiæ, huc enim tendit tota Responsio, quod accidentalis vis non sua, sed substantiæ est virtus. Quoniàm eius est virtus cuius est agere, quod est eius cuius est esse, quod non est nisi compositi, quod per substantialem formam est, & per accidentalem virtutem operatur. Non ergo fingas intentionalem aliquam formam, qua accidens salues agere in virtute substantiæ, vt quibusdam visum fuit. Addit Caiet. in q. 54. art 3. Et cùm quæritur, quomodo alteratio, aut quodcumque accidens virtute substantiæ substantiam faciat, quid est illa virtus? breuitèr dico duplicitèr dici posse. Primo à quibusdam dicitur, quod est res quædam intentionalis, eo modo quo intentio coloris dicitur esse in aere, & quod licet sit accidens secundum esse, est tamèn causalitèr substantia non vt principalis causa, sed vt vis quodammodò instrumentalis, quam constat posse esse imperfectiorem effectu, vt patet de formis seminum, & approbatur 12. Met. tex. 40. Secundo dicitur, quod accidens ipsum ex hoc ipso, quod est coniunctum substantiæ tali est eius organum coniunctum, & est ipsius virtus, nec opportet aliam superaddere virtutem. Et hoc puto verum in his, quæ non sunt vera instrumenta, sed ipsum, & substantia sunt vna causa. Ità Caiet. in p. p. q. 77. art. 1. in Resp. ad 3. & q. 54. art. 3.

79. Arguit Caiet. in p. p. q. 54. art. 3. contrà primam Conclusionem sic. Conclusio aut vniuersalitèr intelligit de principio tàm actiuo, quàm passiuo, aut de actiuo tantùm. Si de vtroque sequitur, quod substantia nullius transmutationis subiectum proximum esse potest, hoc autèm est inconueniens. Tùm quià oppositum apparet in materia prima. Tùm quià hoc saluari non potest, nisi ponendo in omni substantia quædam accidentia potentialia congenita ipsi substantiæ: quibus mediantibus esset transmutabilis diuersis transmutationibus: hoc autèm est voluntarium, & irrationabile, quià pluralitas non est ponenda sine necessitate. Natura enim facit ex paucioribus quantùm potest vt patet p. Phys. Si autèm est sermo de principio actiuo tantùm, sequitur, quod supponatur hic, omnes potentias partis sensitiuæ, & intellectiuæ esse actiuas, eo quod sunt potentiæ operatiuæ. Et tamèn in 2. de anima manifestè dicitur sensus esse potentias passiuas, & similitèr intellectum possibilem in 3. de anima ibidem. Resp. ad hoc Argumentum videatur infrà immediatè post hanc.

Resp. Caiet. primo ad ea quæ possunt obijci contrà rationem conclusionis, vide illas in principio Comment. quod præsens sermo est de diuersitate reali non quacumque, sed formali, non quorumcumque actuum, sed adæquatorum, & per se primo intentorum in ratione actus: talis enim diuersitas totalis potentiarum diuersitatem exigit non à posteriori, sed à priori inferens eam, quoniam actus adæquatus est

finis potentiæ, & ex 2. Phys. patet expresè, quod ex fine assignare rationem, & conditionem eius quod est ad finem, est reddere causam à priori, imò potissimam causam in rebus naturalibus, quià naturalia sunt proptèr finem. Et propterea Argumentum illud distinctio in principiantis non arguit distinctionem in principijs, sophisma est accidentis, quoniàm actus potentiarum, non in eo quod effectus, sed in eo quod fines, potentias distinguunt. Ad id verò quod obijcitur contrà propositiones subsumptas dicitur: quod (vt patet ex verbis S. Th. in Resp. ad vltimum) esse, hic non sumitur vniuersalitèr, pro vt est commune quid ad actum primum substantialem, & accidentalem, sed pro esse substantiali tantùm. Et ratio est, quià hic sumitur vt totalitèr distinguitur contrà esse quod datur per operari. Tale autèm est esse accidentale, quià operari est quoddam accidentale esse habere. Et ideò non est mirum, si forma accidentalis proximum principium essendi, & operandi est, quià, & esse eius, & operari eiusdem, est quoddam esse accidentale. Non sicautèm se habent operari, & esse substantiale, vt de se patet, quià illud est accidens, & hoc substantia. Ità Caiet. loc. cit.

So. Resp. Caiet. deindè ad obiectiones contrà Conclusionem ordinatè dicendo, pro vt suprà obijciuntur, & primo dicitur, quod sermo præsens propriè loquendo, est tantùm de potentia operatiua, siuè actiuè siuè passiuè operari dicatur, modo ibi vera operatio sit. Et per hoc excluduntur omnes potentiæ purè receptiuæ; quæ non media aliqua operatione habent aliquid, vt actum, qualis est potentia subiecti, respectu propriæ passionis, & vniuersalitèr respectu eorum, quæ per se congenita sunt rei. Vndè non videtur inconueniens ponere potentialitates tales, congenitas substantijs rerum. Nec multiplicantur entia sine necessitate. Quoniàm vt patet 12. Met. in quolibet genere est dare propriam potentiam, & proprium actum, quæ sunt vt principia illius generis. Ex hoc enim sequitur manifestè, quod opportet alterum duorum dicere. Aut quod substantia sit reductiuè in alijs generibus, vt potentia reducitur ad genus actus, aut quod dentur istæ potentiæ congenitæ; & cum primum sit inconueniens, vt etiàm ipse Scotus fatetur, opportet dicere secundum, neque potest ad illum textum Arist. responderi, quod loquitur de potentia obiectiua, quoniàm expresè loquitur de potentia, & actu, vt principia sunt eius, quod est in genere. Constat autèm, quod potentia obiectiua principium non est rei, imò est res ipsa, vt possibilis est esse. Ad id verò, quod de potentia materiæ obijcitur patet Resp. à S. Th. intendente, quod potentia materiæ est ad esse substantiale, nulla mediante operatione, quæ sit verè operatio, ac per hoc accidens intèr ipsam materiam, & formam substantialem, quoniàm in instanti generationis, nulla res est in materia nisi forma substantialis, cùm consequentibus ad ipsam. Ità Caiet. cuius si plura vis Argumenta, quià sunt Metaphysicalia, videas, & legas quæstiones citatas.

QVÆS-

QAESTIO X. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm Causa Instrumentalis Physica constituatur per aliquam motionem propriam

EX CAIETANO

Tertia p. q. 62. art. 1. & 4. & alibi in Comment. q. 13. art. 1.

81. CAiet. loc. cit. in ly Causa circà titulum ait. Nota terminos, non enim quæritur an instrumentum Physicum dicatur causa, sed an sit causa. Et hoc ideò, quià non satisfit quæstioni notando causam id, quod est non vera causa, vndè sumitur titulus pro vt sonat, ait in art. 4. cit. de virtute causatiua effectiuè, & non de creare, quià Creator, & creatura non potest instrumentaliter creare. Nec nomine instrumenti hic intelligimus illam virtutem causæ principalis, quæ solet appellari instrumentum largè, seù impropriè, cum similitudinariè solum dicatur instrumentum, vndè potius forma illa propriè dicitur ratio agendi, seù vt principium quo agentis principalis, & ex parte compositi dicitur principium quod; nec est sermo de instrumento morali, quod est instrumentum metaphorico modo, ad cuius constitutiuum sufficit vel aliqua denominatio extrinseca, vel aliquod pactum, vel designatio, aut præsentia, ad cuius positionem postea causa Physica operatur; sed est de instrumento propriè sermo, & Physicè influente, a quo Physicè exit effectus, licet modo ministeriali, & inferiori ad causam principalem agit, supponens vtique illam virtutem principalem agentis, quod quidem aliquandò est ei coniunctum, vt Humanitas Verbo, Baculus percutienti; aliquando est separatum, vt virtus diffusa ab Agente, & Sacramenta Christi Domini, & ideò in titulo additur ly Physica, quæritur igitur de hoc an constituatur per aliquam motionem. Ità Caiet. loc. cit. & alibi, &c.

Aperitur status cōtrouersiæ à Caiet. & declaratur titulus Thomisticis Lectoribus in varijs locis cit.

82. Adnotat primo Caiet. cùm D. Th. q. 62. 3. p. art. 1. pro omni instrumento Physico, quod duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidèm operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ sed solum per motum, quo mouetur à principali agente; vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Hoc autèm propriè dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Et Caiet. cum D. Th. addit in Resp. ad secundum art. 1. cit. quod hoc instrumentum habet duas actiones, vnam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria sed in virtute principalis agentis. Aliam autèm habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam, sicuti securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autèm lectum, in quantùm est instrumentum artis: non autem perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum. Et exemplificat etiàm S. Doctor in Sacramentis, quæ adhibent corpora, quo ad causare gratiam, quod ista etiàm per propriam operationem, quam exercent circà corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuinà circà animam, vt aqua Baptismi abluendo corpus,

Doctr. 1. Caiet. in 3. p. q. 62. art. 1. in qua declaratur actio instrumenti.

pus, secundum propriam virtutem abluit animam, in quantùm est instrumentum virtutis diuinæ, nàm ex anima, & corpore vnum fit, & hoc est quod Aug. dicit, quod corpus tangit, & cor abluit. Ità Caiet. cùm D. Th. in art. 1. in corpore, & Resp. ad secundum.

Doctr. 2. Caiet. in 3 p. q. 62. a. 4. in qua declaratur motus simplex, & virtuosus ipsius instrumenti.

83. Adnotat secundo Caiet. in art. 4. q. 62. cit. non te moueat, quod auctor iungit motui instrumenti virtutem, seu vim ex ipsa adiunctione insinuans differentiam intèr instrumenti motum, & virtutem, de qua est quæstio, quoniam sermo auctoris est formalis tàm de virtute, quàm de motu, quod vt melius intelligas, distingue motum, quo instrumentum potest moueri in motum simplicem, & motum virtuosum. Est siquidem instrumenti simplex motus ille, ad quem ex parte mouentis sufficit potentia motiua, ex parte verò termini naturalis effectus instrumenti, Motus autèm virtuosus est ille, qui ex parte mouentis vltrà potentiam motiuam exigit artem, seù aliquid proportionale arti: ex parte verò termini ducit ad effectum principalis agentis puta, artis, seù alicuius proportionalitèr se habentis, sicut ars se habet ad instrumenta sua. Exemplum vtriusque motus perspice in Cythara, cuius Fidiæ si moueantur à non Musico, sonabuntur tantùm; si verò moueantur à Musico, efficient non solum sonum, sed sonum Musicum, qui est effectus proprius artis Musicæ. Vbi patet, quod simplex motus solum Cytharæ, non ducit nisi ad naturalem effectum percussionis illatum: Motus verò qui ab arte procedit, ad effectum artis ducit, vt potè vim artis in se habens, & propterea motus virtuosus appellatur. Tria ergo cum hic considerantur, scilicet, motus, & vis vel virtus, & motus virtuosus, ratione diuersitatis, quæ est intèr motum, & vim vel virtutem dispares valdè conditiones assignantur vtriusque, puta vis seù virtus est de genere qualitatis reductiuè tamen, quod habet esse intentionale, quod est spiritualis, quæ non conueniunt motui. Ratione verò coincidentiæ, seù identitatis motus, & virtutis in tertio hoc est in motu virtuoso instrumenti, dictum est, quod instrumentum agit per solum motum, quo mouetur à principali agente. Ratione autèm solius formalis distinctionis inuentæ intèr motum, & virtutem in motu virtuoso instrumenti, apponitur motui instrumenti vis, seù virtus, & non ad denotandum, quod sint duæ res, sed quod hæc duo coeuntia in instrumento inueniuntur constituentia illius motum virtuosum.

Et applicando Caiet. hæc sua ad Sacramenta, ait, quod hic motus est, quem Sacramentalia signa à Deo sortiuntur, cùm Sacramenta conferuntur. Nàm si quis aliquem ablueret aqua, &c. non animo faciendi, quod facit Ecclesia, tunc Sacramentalia signa, & verba mouerentur simplici motu tantùm, vt potè à solo homine, & nihil aliud efficerent nisi corporalem ablutionem. Cùm verò quis hominem abluit seruatis seruandis, iuxtà institutionem Christi mouentur tùnc signa Sacramentalia motu virtuoso, vt potè à Iesu Christo (ipse enim est qui Baptizat) & corpus tangendo, abluunt cor, vt Aug. dicit. Ex quibus omnibus habere potes diligens Lector, vndè, & quomodo varia, seù dissona (vt apparet) dicta de instrumentorum motu, & virtute sanè intelligere potes. Ità Ciet. in art. 4. cit.

Doctr. 3. Caiet. in art. 4. cit. in qua declaratur ista vis seù virtus instrumentalis.

84. Adnotat tertio Caiet. ibidem art. 4. in fine Comment. in Resp. ad vltimum D. Th. vbi ait S. Doct. quod sicut eadem vis principalis agentis instrumentalitèr inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum pro vt sunt quodam ordine vnum; ità etiàm eadem vis Sacramentalis inuenitur in verbis, & rebus, pro vt ex verbis, & rebus perficitur vnum Sacramentum. Addit Caiet. perspice, quàm benè definita sit vis Sacramentalis, & vniuersalitèr instrumentalis. Nàm sicut diuersa instrumenta nihil aliud habent ab arte vna, nisi suos motus virtuosos, ad effectum artis, & omnes illi motus, quià sunt motus partiales sunt vnus totalis motus, ac per hoc

vna

vna vis principalis agentis inuenta instrumentalitèr in diuersis instrumentis; ità in Ministro, verbis, & Elemento sunt passiui motus partiales virtuosi multi: nàm & ministris, operatione, puta ablutione, & verbis, & aqua vtitur Christus, mouendo singula, vt agens principale. Et sicut ex omnibus non consurgit nisi vnum numero Sacramentum, ità ex omnibus partialibus motibus virtuosis, hoc est passiuè, & actiuè sumptis, non constat nisi vna numero vis Sacramentalis; quemadmodum omnes motus singulorum trahentium Nauim, non sunt nisi vnus numero tractus, vna numero totalis actio vnam inferens passionem, vnumq; effectum. Nec opportet laborare ad inueniendum, quomodo ex diuersis formis intentionalibus fit vna forma simplex, aut composita, vel per aggregationem, vt contrà tenentes huiusmodi virtutes intentionales arguitur. Ità Caiet. art. 4. cit. in fine Comment.

85. Adnotat 4. Caiet. in 3. p. q. 13. art. 2. confirmando prædictas suas doctrinas de motione instrumenti propriè dicti, scilicet, quod sicut instrumenti est operatio duplex vt dictum est cùm S. Doct. ità etiàm est duplex quo operatur. Alterum sibi proprium, vt dentatura ferrea, & acuta serra qua scindit, & ipsa natura caloris, qua calidum calefacit. Alterum à principali agente participatum, quo extenditur, & facere dicitur principalem effectum. Et hoc est motus ipse, quo instrumentum mouetur, vt diximus suprà cùm S. Th. ex q. 62. art. 1. dicens causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à prinicipali agente. Qui quidem motus vocatur virtus instrumentalis quandoq; eo quod est, & motus rei, quæ assumitur in instrumentum, & ideò motus; & constituit ipsum in esse factiuo, & ideò vis, seù virtus. Vndè etiàm cùm lapidem baculo moueo, baculus ex hoc ipso, quod vtor eo, fit, & est motor effectiuè lapidis. Et quià diminuta quædam mediatio est intèr principale agens, & effectum, deferens ipsum principale agens ad effectum, ideò est intentionalis; & quià insensibilis est, & ad spiritualem quandoq; effectum, ideò est spiritualis. Et est sermo de illo instrumenti motu, quo mouetur ab agente principali vt sic. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 4. Caiet. in 3. p. q. 13. a. 2. in qua declaratur propriè quod motus instrumenti est illa vis, seù virtus &c.

86. Adnotat 5. Caiet. ibidem. Et vt clarius intelligas istam motionem, seù vim seù virtutem, considera in instrumentis artium duplicem potentiam, alteram ad motum localem, alteram ad cooperandum arti, exequendo operationem ipsius Artis v.g. Instrumenta artis Musicæ sunt in potentia, vt moueantur contactu digitorum, & sunt in potentia vt Musicam sonent. Et constat quod de prima potentia reduci possunt ad actum à quocumq; sinè arte potente illa commouere, sed de secunda potentia non nisi ab arte possunt reduci ad actum. Cùm autèm mouere nil aliud sit, quàm educere de potentia ad actum, & moueri sit educi de potentia ad actum, clarè constat, quod instrumentum tunc mouetur à principali agente, cùm educitur de secunda potentia ad actum, cùm sit cooperans ipsi principali agenti, cùm sit exequens operationem principalis agentis, quod fit per hoc, quod principale agens vt sic, vtitur illo ad opus ipsius principalis agentis, puta cùm ars musica vtitur instrumento musico ad sonum musicum. Ipse enim vsus est quidam ingressus artis in instrumenta est quædam actuatio instrumentorum; & propterea opportet certæ artis certa esse instrumenta; nunquàm enim musica ingredietur instrumenta artis sutoris, aut è conuersò. Et propterea habet rationem vis, & virtutis, & intentionis artis, & ad genus eius reducitur. Quæ quidem debent applicari ascendendo ad Deum, qui potens sine causis secundis cooperantibus effectiuè miracula facere, dignatur quandoq; illa efficere per causas secundas non dando illis virtutes aliquas naturales, aut gratuitas permanentes, sed vtendo illis instrumentalitèr ad opera miraculosa. Ità Caiet. art. 2. q. 13. cit.

Doctr. 5. Caiet. art. 4. cit. q. 13 in qua quod instrumentum potest reduci ad actum ex duplici potentia quàm habet.

87. Quo

Recitatur opiniones à Caiet. circà instrumēta in diuersis loc. cit. suprà.

87. Quoad 2. Caiet. in loc. cit. 3. p. q. 13. art. 2. q. 62. art. 1. & 4. declarat sententiam S. Th. de instrumentis tùm naturalibus, quæ propriè spectant ad Physicam considerationem, tùm etiàm artificialibus, & supernaturalibus, de quibus aliqua dicuntur hic in Physica Caiet. proptèr connexionem Doctrinæ. Et de naturalibus, ait, quod vt ad effectum principalis agentis instrumentalitèr concurrant, indigent ab ipso principali agente præuia aliqua motione in ipsis recepta, per quàm eleuentur, quidquid dicant Scotistæ, & Suarez qui dicunt eleuari ad producendum effectum per solam coniunctionem, aut subordinationem ad agens principale, aut per concursum simultaneum, qui est actus instrumenti, prout simul procedit à causa principali.

Quoad verò habere actionem præuiam, & dispositiuam principalis agentis Caiet. ait loc. cit. quod S. Doct. vult, quod respectu omnium effectuum omninò necessariò requiratur in instrumento propria actio, ità quod si omninò mortuum sit, seù carens omni actione, non poterit eleuari: pratèr loc. cit. Caiet. citat S. Doct. in 2. cont. gent. cap. 21. & p. p. q. 45. art. 5. Quidquid dicant Scotistæ, & Suarez, & Manca, & Lerma ex modernis, qui volunt non esse necessarium, & indispensabilitèr requisitum. Discrepant tamèn à Caiet. aliqui Thomistæ in assignando, quomodo actio instrumentalis distinguatur ab actione principalis agentis. Aliqui volunt eam omninò distinctam vt Ferr. Complut. Io. à S. Th. Caiet. vult, quod sit distinctio formalis vt patet in Adnot. 2. suprà ex q. 62. art. 4. Qui verò admittunt illam actionem, aliqui asserunt eam esse dispositiuam ad actionem principalis agentis: alij verò hoc negant.

Hæ tamèn subtilitates, esto spectent ad Met. nihilominus, quià Caiet. in loc. cit. soluit illas indistinctè: per Conclusiones suas breuitèr, quid cùm ipso, & cùm S. Doctore dicendum sit resoluemus. Opiniones etiàm Durandi in q. 13. art. 2. 3. p. maximè in ordine ad effectus supernaturales recitat, maximè si instrumentum assumptum à Deo secundum id quod est sibi proprium, operetur aliquid, quod dispositiuè se habeat ad tales effectus: cùm sint multi Thomistæ, qui hoc negant, & dicunt quod S. Doctor cùm sit aliud operari dispositiuè, & operari dispositionem, negat quod operetur aliquam dispositionem: benè tamèn operari dispositiuè ad actionem principalis agentis, quatenus, scilicet, per præuiam actionem fit capax vt participet actionem Dei; seù, quod idem est, vt eleuetur, & eliciat actionem instrumentariam, & excellentiorem in virtute Dei. Ità Caiet. 3. p. q. 13. ar. 2. & alibi in loc. cit.

Concl. responsiua quæsiti Caiet. in 3. p. q. 62. art. 4. cum sua probatione.

88. Quoad 3. Concl. Prima Caiet. ex 3. p. q. 62. art. 4. Quod in instrumentis sit aliqua virtus superaddita non solùm propriæ operationi, sed etiàm superaddita motui quo mouetur à principali agente, sensus non est verus nec intentus ab Auctore: sed dicimus quod virtus ista nihil aliud sit, quàm motus, quo instrumentum à principali agente ad proprium principalis agentis effectum inducendum mouetur.

Probatur à Caiet. sub tali forma. Moueor ad hoc dicendum, & ex communibus, & ex proprijs. Apertissimè enim Auctor in littera art. 4. ex communibus instrumentalis causæ procedit dicens, sed ponendo quod Sacramentum est causa instrumentalis Gratiæ, necesse est simul ponere, quod in Sacramento sit quædam virtus &c. Vbi patet, quod secundum eum simile est Iudiciùm de Sacramento, & alijs causis instrumentalibus, quantùm ad virtutem instrumentalem per modum transeuntis &c. At sic est quod de causa instrumentali expressit Auctor in art. 1. q. 62. cit. hæc verba, causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente. Vbi dictio exclusiua manifestat, quod ab in-

instrumento excludit Auctor omnem agendi rationem superadditam motui, quo mouetur à principali agente ergo &c. Et hoc ipsum in speciali de Sacramentis loquendo in calce Responsionis ad primum huius art. 4. replicat dicens. Et hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantùm ordinantur à Deo ad effectum spiritualem. Vbi vides vim spiritualem consistere in hoc, quod Sacramenta ordinantur à Deo ad effectum spiritualem. Ità Caiet. qui addit confirmationem huius sensus.

Confirmantur hæc omnia à Caiet. ibidem. Quià sic absq; multiplicatione entium saluantur causalitates effectiuæ instrumentorum, & dicta Auctoris. Ait enim in Resp. ad primum quod in ipsa voce sensibili est vis quædam spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantùm procedit à conceptione mentis, nihil est enim in voce sensibili in quantùm procedit à mente prætèr significationem, nisi vsus, quo mens illa vtitur significatiua voce ad excitandam mentem Auditoris. Et propterea non mouetur Græcus à Latino, quià significatiua vox qua loquens vtitur, non peruenit ad intellectum Græci; Et hoc modo, subdit Auctor vis spiritualis est in Sacramentis. Ità Caiet. in q. 62. art. 4. in 3. p. *Confir dictorum in probatione Cõclusionis.*

89. Secunda Conclusio de instrumentis supernaturalibus, in quibus est peculiaris controuersia, & difficultas ponitur à Caiet. cùm D. Th. sic in 3. p. q. 62. art. 1. Sacramenta sunt causæ agentes instrumentalitèr propriè ad Gratiam. *2. Concl. Caiet. pro Sacramentis specialis cũ sua probatione ex. 3. p. q. 62. art. 1.*

Probatur à Caiet. cùm D. Th. sub tali forma. Causa instrumentalis est, quæ non agit virtute suæ formæ, sed per solum motum, quo ab agente principali mouetur: Sed Sacramenta Deus agens principale adhibet, vt per ea causet Gratiam, ergo sunt causæ instrumentales. Maior patet ex signo, quià effectus non assimilatur instrumento, vt patet inductiuè ex dictis de lectulo respectu serræ, & artis. Minor probatur prætèr auctoritatem D. Aug. dicentis 19. contrà Faustum. Hæc omnia scilicet, Sacramentalia, fiunt, & transeunt, virtus tamèn; scilicet, Dei, quæ per ista operatur, iugitèr operatur; & prætèr Auctoritatem Apostoli ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis; Probatur, inquam, ex modo loquendi, quià hoc vocatur instrumentum, per quod principale agens operari dicitur. Ità Caiet. locis citatis.

90. Quo ad 4. contrà istam secùndam Conclusionem Caiet. ex Scoto immediatè arguit. Sinè vera causalitate Gratia potest dici causa instrumentalis, ergo &c. probatur antecedens, tùm quià meritum dicitur causa præmij, & tamèn non efficit illum; tùm quià motus dicitur causa termini, & tamèn non efficit illum; tùm quià verè dicimus quod per motum acquiritur terminus, & per meritum acquiritur præmium, & tamèn neutrum est verè causa instrumentalis, ergo malè dicitur in ratione facta quod hoc vocatur Instrumentum, per quod principale agens operari dicitur. *Arg. 1. Caiet. ex Scoto a. 1. cit. q. 62. contrà 2. Conclusionem.*

Resp. Caiet. quod licet meritum sit causa vt ratio, qua operanti est debitum præmium, & propterea dicitur causa præmij, constat tamèn meritum non efficere præmium: quoniàm aliundè est mereri, & aliud præmiare. Et propterea non obstat huic proposito, vbi de causa efficiente secundum rem est quæstio. Et ad illud de motu dicitur quod quià motus potest sumi actiuè, vel passiuè, vel absolutè; & per motionem actiuam proculdubio fit terminus, per motum autèm simplicitèr, vel passiuè, non effectiuè, sed tanquàm per viam acquiritur terminus, ideò Argumentum non obstat propositioni, qua vtitur Auctor in hoc proposito, scilicet, illud propriè dicitur instrumentum, per quod agens effectiuè operatur, & Auctor non sumit Argumentum ex ly per absolutè, sed applicato ad id per quod efficiens operatur. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg primum.*

91. Arguit 2. Caiet. ex Scoto ibidem art. 1. cit. contrà exemplum de efficientia instru- *Arg. 2. Caiet. ex Scoto loc. cit.*

instrumentorum artificum, probando serram non esse causam effectiuam instrumentalem; tùm quià, nec figura, nec quantitas, nec motus localis est forma actiua; tùm quià sicuti albedo expellit ab eodem nigredinem, non effectiuè, sed formalitèr, ità corpus expellit corpus ab eodem loco non effectiuè, sed quasi formalitèr.

Resp. Caiet. ad 2. Arg.

Resp. Caiet. Ad hæc facilè est respondere, & monstrare inopinabilem hanc Scoti nouam phantasiam esse falsam: cùm enim mouens proximum, & motum opporteat esse simul, & constet ligni partes, quæ secando mouentur localitèr, non esse simul cùm Artifice (non enim opportet se tangi artificem, & lignum, quod secatur) consequens est, quod mouens proximum partes ipsas, opportet quod sit serra, quæ est corpus mouens motum. Dicitur ergo ad primam obiectionem, quod licet motus localis absolutè non sit forma actiua, aut actio, mouere tamèn localitèr, est agere vt patet. Et sic sicut Artifex mouendo serram agit, ità serra mouendo partes ligni agit. Ad illud aliud dicitur, quod aliud est loqui de modo, quo corpus expellit corpus ab eodem loco, & aliud est loqui de modo, quo corpus mouens motum expellit aliud corpus à suo loco; sicut aliud est loqui, quo modo calor expellit frigus, & aliud quomodo corpus calefaciens calefactum expellit frigus. Ad propositum siquidem quæstionis huius non spectat primum, sed secundum, quoniàm instrumentum Artificis est mouens motum. Ex quo patet, quod exemplum Auctoris deseruit proposito; dùm Sacramentum ponitur instrumentum Diuinæ misericordiæ, motum à Deo ad mouendam animam in sanctitatem sui; & non opportet quod sit dispositio præuia aliqua ad Gratiam, vndè potest causare etiàm in instanti. Nec inconuenit Deum voluntariè vtendo motu Creaturæ agere in tempore, cùm nullus adeò dissipiat, qui negat Deum posse localitèr mouere, quod est agere in tempore. Ità Caiet. art. 1. cit. in fine.

Arg. 3. Caiet. in q. 13. a. 2. 3. p. contrà Instrumēta supernaturalia.

92. Arguit 3. Caiet. in q. 13. art. 2. 3. p. contrà id quod dicitur de instrumentis supernaturalibus, scilicet, quod Anima Christi instrumentalitèr non abusiuè, sed propriè loquendo de instrumento concurrit ad miracula facienda. Arguit, & auctoritate D. Th. & argumento Durandi. Primo sic Auctor in p. p. q. 45. art. 5. docet instrumentum opportere secundum id quod est sibi proprium aliquid operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, constat autèm, quod Anima Christi nihil operatur faciens ad effectum miraculi, puta cùm dixit, Lazare veni foras, intellectio, volitio, imaginatio, vox cùm clamore nullum effectum ex proprijs habuerunt circà cadauer, aut animam Lazari, sed Deitatis virtute anima reunita est corpori, concurrentibus illis actibus humanis Christi vt medio, seù causa sinè qua non, & sic de alijs. Durandus quoq; in 3. sent. dist. 14. quæst. vltima probare nititur, quod humanitas Christi faciebat miracula, nulla virtute supernaturali inhærente Animæ, aùt Corpori Christi, sed sola Diuina virtute assistente sibi; & propterea sicut defectus omnes fuerunt humanitatis ad testificandam suam humanitatem; ità miracula omnia sunt Diuinitatis ad testificandam Deitatem.

Resp. ad Arg. tertium.

Resp. Caiet, quod cùm semper S. Doctor loquatur de instrumento propriè, & in hoc art. 2. cit. & in 2. 2. q. 178. art. 1. ad primum, & in p. p. Resp. ad doctrinam allatam ex p. p. quod ad instrumentum exigitur, quod habeat propriam operationem vltrà illam, quàm participat à principali agente, & quod operatio propria sit præsupposita operationi participatæ, ità quod priùs intelligatur propria operatio terminari ad illud, in quod tenditur, quàm operatio participata, sicut præsuppositum priùs intelligitur, quàm iunctum illi. Et huiusmodi præuiam operationem appellauit Auctor operari dispositiuè, non quod opporteat illam operationem propriè disponere. Nec hanc ego fingo glosam, sed ex ipso Auctore in q. 62. accepi. Vbi

Baptis-

Baptismum instrumentalem causam ponens, expressè docet sufficere, vt aqua secundum propriam operationem corpus tangat, diluendo ad hoc, vt participata operatione animam abluat. Et hoc sufficit proposito, & intento in p. p. quià per hoc concluditur efficacitèr, quod nulla Creatura potest instrumentalitèr creare, quià nulla potest propriam operationem præuiam Creationi circà creandum ponere, cùm nihil sit, vt ibi dicitur. In proposito autèm cùm Deus vtitur Creatura aliqua instrumentalitèr ad opus miraculosum, opus proprium illius Creaturæ se habet vt præuium operi miraculoso, quià se habet vt præsentans, seù deferens diuinum Imperium ad Creaturam, in qua fit opus miraculosum, vt Auctor docuit in q. 6. de Potentia art. 4. Et quando D. Th. in 3. sent. dist. 16. q. 1. art. 3. dicit, quod nec Angelo, nec Animæ Christi impressa est aliqua virtus spiritualis ad facienda miracula nisi per modum orationis, aut intercessionis. Resp. vel quod Auctor doctior se ipso correxit illud, vel quod sub modo intercessionis, vel orationis comprehendit etiàm modum instrumentalem, quià conueniunt in hoc generali modo, quod non sunt de genere permanentium, sed consistentium in motu. Et per hæc patet intellectus ad infinita dicta de instrumentali efficientia attributa humanitati Christi vel Passioni, vel Sacramentis Ecclesiæ, & alijs huiusmodi.Ità Caiet. 3. p. quæst. 13. art. 2.

93. Arguit 4 Caiet. in 3. p. q. 9. art. 2. Illa propositiò reducens aliquid de potentia in actum, est in actu, quæ affertur in Adnotatione 5. suprà, quamuis sit verissima in causis principalibùs, non tamèn est vera in causis instrumentalibus, vt ex Alex. patet 12. Met. & ad sensum patet instrumenta non esse talia in actu, qualia fiunt ab ipsis, v. semina in naturalibus, & organa artificum testantur. Humanitas autèm Christi, v. g. non est efficiens principale, sed instrumentale respectu nostræ Beatitudinis, non igitur sequitur ex sua efficientia quod sit actu Beata, quamuis de facto Beata sit. *Arg. 4. Caiet. ex 3. p. q. 9. art. 2.*

Resp. Caiet. Ad hoc dicitur, quod instrumentum est duplex, quoddam purè instrumentum, vt organa artium, & semina, & huiusmodi; Et quoddam ità instrumentum, quod est etiàm causa sui, sicuti seruus est organum Domini, ità tamèn quod libero arbitrio suorum motuum causa est. Quamuis autèm primum instrumentorum genus, non habeat actu quod instrumentalitèr efficit: secundum tamèn instrumentorum genus, quatenus sui Dominium mistum habet, actu habet, quod in alijs efficit. Et quià Christus homo, sic est instrumentum Dei, vt liber sit, liberè cooperetur, & efficiat nos Beatos, ideò in litt. art. 2. cit. illatum est, quod ipse est actu Beatus. Ità Caie. in loc. cit. *Resp. ad Arg. 4.*

94. Arguit insupèr Caiet. contrà primam Conclusionem ex sua doctrina. Sacramenta, quæ sunt instrumenta Physica productiua Gratiæ non recipiunt virtutem, aut motionem aliquam ab agente principali, ergo nec instrumenta naturalia, cùm ista maiorem proportionem habeant, cùm suis effectibus, quàm illa, cùm sint eiusdem ordinis cùm illis. Antecedens probatur quià ista virtus non potest esse corporea, cùm sit ità improportionata cùm Gratia, ac sunt ipsa Sacramenta: nec potest dici Spiritualis, quià accidens spirituale non potest recipi in subiecto corporeo, quale est Sacramentum, quià proportionari debet subiecto. *Arg. contrà 1. Concl. ex Caiet. in suis Doctrinis.*

Resp. Caiet. ex sua doctrina suprà in adnotationibus, negando antecedens, ad probationem diximus in probatione primæ Conclusionis, esse solùm spiritualem, & cùm sit ex natura sua transiens, viale, & incompletum, qualis est prædicta vis, seù virtus, quæ transit cùm ipsa operatione ad quam datur, benè potest recipi in subiecto corporeo; posset etiàm dici, vt dicitur de anima rationali, quod si non est forma- *Resp. Caiet. ad 5. Arg.*

litèr illud accidens corporeum, virtualitèr saltèm est. Vtrumq; in via D. Th. potest defendi. Ità Caiet. ex suis Doctrinis in Comment.

Arg. 6. Caiet. contrà se ipsum salium ex Doct. in 3. p. q. 13. a. 2. & in 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1.

95. Arguit Caiet. in 3. p. q. 13. art. 2. contrà suam Conclusionem primam, in cuius probatione dicit, quod Deus ex hoc ipso, quod vtitur aliqua re, vt instrumento ad opus miraculosum eleuatur res illa in ordinem causæ instrumentalis, & ipse passiuus vsus, quo Deus, scilicet, vtitur illa ad hoc opus, est motus quo à principali agente instrumentum mouetur; Et ex hoc ipso est vis actuatiua, atq; constitutiua ipsius in esse instrumenti, ac per hoc in esse causæ effectiuæ instrumentalitèr operis miraculosi, reducitur enim res illa de potentia obedientiali ad actum, cùm de non instrumento fit instrumentum, quod fieri constat ex hoc solo, quod Deus vtitur illa instrumentalitèr ad opus miraculosum. Ità Caiet. in 3. p. q. 13. art. 1.

Arg. 6. Caiet.

Arguit modò Caiet. contrà hanc suam doctrinam in 2. 2. q. 178. art. 1. ad primum hoc modo. De his instrumentis loquens S. Doct. dicit ibi, quod Deus instrumentalitèr vtitur interiori actu hominis, vel eius loqutione, vel actu exteriori, vel contactu alicuius corporis etiàm mortui: at sic est, quod nos interpretati sumus oppositum ad hæc, quæ diximus suprà in q. 13. cit. ergo vel ibi verum, vel ibi falsum diximus, cùm contradictoria non possint esse simul vera. Prob. minor à Caiet. diximus enim ibi in 2. 2. q. cit. quod cùm quæstio de instrumento excedat moralia, & inferiùs Domino concedente in 3. p. de operatione humanitatis Christi, & operatione Sacramentali, vbi subtilia magis tractabuntur discutiendum est; ideò pro nunc in 2. 2. dicitur, quod S. Doctor sumit instrumentum pro quacumq; causa secundaria, siuè sit attingens causa effectum sua causalitate, vel sua dispositione, siuè sit causa per modum meriti, & similibus, & non accepit instrumentum propriè: sed in 3. p. dicimus, quod ibi in 2. 2. S. Doct. accipit instrumentum propriè, quod eleuatur à Deo per illam motionem diuinam qua mouetur instrumentum, & qua veluti vi actuatiua, atq; constitutiua ipsius in esse instrumenti, ergo oppositum interpretati sumus, ergo hic, vel ibi falsum dicimus. Ità Caiet. contrà se ipsum.

Resp. Caiet. ad Arg. proprium loc. cit.

Resp. Caiet. ad suum Argumentum contrà suam doctrinam in 3. parte factum q. 13. cit. Fateor, quod in 2. 2. q. cit. tunc minùs perspicacitèr textum illum exposui, non enim illuxerat mihi, quod modo trado in 3. p. q. 13. dicendum est ergo in præsenti quæstione, quod de instrumento propriè loquitur Auctor, & hic in 3. p. q. 13. cit. & in 2. 2. loco allegato, quod, scilicet, ad instrumentum exigitur, quod habeat propriam operationem, vltrà illam, quàm participat à principali agente, & quod operatio propria sit præsupposita operationi participatæ, ità quod priùs intelligatur propria operatio terminari ad illud, in quod tenditur, quàm operatio participata, sicut præsuppositum priùs intelligitur, quàm iunctum illi. Et sic omnia sunt conformia, quæ diximus in 2. 2. q. cit. & in 3. p. q. 13. cit. Ijs, quæ dicuntur à S. Doct. & quæ interpretati sumus in p. p. q. 45. art. 5. de Instrumento Physico. Ità Caiet. loc. cit.

Instantia Caiet. circà Resp. suam ex Scoto in 3. p. q. 62. a. 1.

Instat Caiet. contrà prædictam Doctrinam in 3. p. q. 62. art. 1. ex Scoto. Aut instrumentum Sacramentale attingit instrumentalitèr agens ad Gratiam gratum facientem, aut agit aliquam dispositionem præuiam. Non primum quià Gratia creatur, & nulla Creatura per se potest etiàm instrumentalitèr creare. Non secundum tùm quià dispositio illa, cùm sit supernaturalis forma, est æquè creabilis sicuti Gratia; Tùm etiàm quià subiectum est æquè in potentia obedientiali ad illam dispositionem.

Resp. Caiet. ad Instantiam.

97. Resp. Caiet. quod Sacramentum instrumentalitèr attingit Gratiam Sacramentalem, & non opportet recurrere ad dispositionem præuiam Gratiæ: quià S. Doctor

ctor quidquid dixerit vt probabiliùs secundum aliquos in 4. sent. hic in 3. p. propriam sententiam longè altius sensit expressè ponens gratiam gratum facientem (qua Homo fit membrum Christi, & Diuinæ Naturæ Consors) effici à Deo principalitèr, & à Sacramento instrumentalitèr. Et ad illud de Creatione, licet primo posset responderi negando, quod Gratia propriè creetur, quod patet ex eo, quod quando desinit esse non annihilatur; attamèn pro reuerentia communis dicti sanè intelligendo de Creatione Gratiæ, distinguere potes, quod Causatio Gratiæ duplicitèr sumi potest, vel quatenus est mutatio Animæ de non grata in gratam Deo, & sic attingitur instrumentalitèr à Sacramento; Vel quatenus Creatio ibi aliquo modo immiscetur, & sic fit Gratia immediatè à Deo. Non conuenit ergo Deum per humanitatem Christi, vt instrumentum coniunctum, & per Sacramenta, vt instrumentum separatum gratiam gratum facientem in homine causare vt dicit S. Doct. in Resp. ad 3. q. 62. cit. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO XI. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm duæ causæ totales, & adæquatę eiusdem ordinis siuè principales, siuè instrumentales effectiuæ possint simul producere effectum

EX CAIETANO

1. p. q. 52. art. 3. & 3. p. q. 57. art. 5. & alibi in Comment.

98. Caiet. explicat titulum in Comment. vbi ponitur ly causæ totales, idest quod habeant totam, & sufficientem virtutem, quasi in actu primo, & sint adæquatę, idest non solùm in actu primo, sed etiàm in actu secundo se adæquent effectui, defectu cuius non sunt amplius totales, & adæquatę illæ duæ causæ, quæ si de se sufficientes sint ad totum producendum effectum, posteà modificando se, & attemperando, vniantur vt partiales, iàm non sunt adæquatę, vt patet de duobus hominibus portantibus eumdem lapidem, quem quilibet solus potest portare, & requirit quæstio, quod sint eiusdem generis, & rationis; de causis enim totalibus diuersi generis nulla est difficultas ad producendum enim ignē quatuor causæ concurrunt, scilicet, efficiens, finalis, materialis, & formalis, quià quælibet ex his in suo genere præstat id, adæquatę, quod ad rationem suam causandi requiritur. Et insuper ponitur ly eiusdem ordinis, quià de causis, & diuersi ordinis licet eiusdem generis vt de causa prima, & secunda de Cęlo, & Elementis, de vniuersalibus, & particularibus, nec est difficultas. Quæstio igitur est, an duo agentia in sensu declarato, siuè sint principalia, siuè instrumentalia possint simul producere eumdem numero effectum: quià de alijs an, scilicet, duplex forma substantialis possit simul informare eamdem numero materiam; Et an duplex materia possit simul recipere eamdem numero formam; & deniquè an operans respectu eiusdem operationis possit habere duplicem finem, quæretur infrà immediatè in sequentibus, Ità Caiet. varijs in locis. *Tituli termini à Caiet. exponuntur loc. cit.*

Cc 2 99. Ad-

Doctr. Caiet. in 3. p. q. 3. art. 6. in qua ex impossibilitate personæ creatæ, quod sit personata ab alia persona infertur proportionalitèr repugnantia effectus prouenientis à duplici causa totali.

99. Adnotat Caiet. in 3. p. q. 3. art. 6. Verùm humana natura possit terminari à pluribus personalitatibus, quod licet terminare non sit agere, proptèr tamèn dependentiam essentialem, quæ inuenitur in hac vnione, prohibentem quod non possit; Explicat impossibilitatem duarum causarum efficientium ex dependentia propria causali quàm verè habet effectus ab illis. Ideò ex diuerso modo terminandi propria vel aliena personalitate, patet, quarè natura terminata propria personalitate non potest assumi, & quarè personata aliena possit assumi, quià, scilicet, per propriam terminatur constituendo illam, per alienam non constituendo illam. Diuersa quoq; ratio est vtrobiq; terminandi: Nàm & Diuina persona terminat ex sua infinitate vt potè aliena persona subsistens in alia natura (dicitur enim, quod proprium est Diuinæ personæ ob sui infinitatem subsistere simul in diuersis naturis) & natura humana non naturali, sed obedientiali potentia personatur per alienam personam. Persona autèm sortis non ex aliqua excellentia, sed ex naturali adæquatione terminat personalitèr naturam suam, & è contrà natura sua naturalitèr est per illam adæquabilis personalitèr. Et hinc etiàm prouenit, quod cùm quælibet persona Diuina sit infinita, quælibet personare potest humanitatem hanc, non ex indigentia naturæ vt dictum est, sed ex sufficientia personæ potentis communicare illi naturæ etiàm suam personalitatem. Ex his autèm habes, quod non solùm dependentia huius humanitatis respectu diuinarum personarum singularum, quo ad assumi est diuersarum rationum intèr se, sed etiàm quod dependentia, seù terminatio huius humanitatis respectu diuinæ personæ, & respectu personæ propriæ, sunt diuersarum rationum, licet omnes conueniant in vna communi ratione termini, quià, scilicet, sunt ad personam. Ruit ergo à fundamentis vndiq; fabrica Scotica, & meritò, quoniàm hanc humanitatem personari simul à pluribus personis Diuinis, nihil aliud est, quàm communicare huic humanitati plures personalitates alienas infinitas appropriando illas illi. Et per hæc patet quare repugnant hanc humanitatem habere simul plures personalitates creatas, aut creatam, & increatam, quià, scilicet, vtrobiq; esset implicatio contradictoriorum, dùm natura hæc in propria personalitate poneretur vna persona cùm alia persona. Et non repugnat, habere simul plures personalitates increatas, quià per hoc non ponitur, vnam personam assumi in vnitatem alterius personæ personalem. Ità de repugnantia effectus prouenientis à duabus causis totalibus non vniformitèr, sed proportionalitèr Philosophandũ est, quià nullus effectus contentus in virtute vnius causæ creatæ, continetur in virtute alterius causæ creatæ, quià omnis virtus causę createę est finita, & limitata; Et effectus secũdum numerũ à determinato indiuiduo produci potest, non tamèn à quolibet contento sub eadem specie; sicuti effectùs secundum speciem à causa determinata secundum speciem produci potest, & non à qualibet specie contenta sub eodem genere, vt docet Arist. 5. Phys. tex. 43. Ità Caiet. in 3. p. art. cit. & alibi de hoc vltimo in Comment.

Sententia D. Th. explicata à Caiet. de impossibilitate Logica effectus prouenientis à duplici causa totali in p. p. q. 52. art. 3.

100. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 52. art. 3. cùm quæsitum possit intelligi, & de potentia naturali, & de potentia Logica, ait Caiet. quod illa propositio assumpta à S. Doct. ad probandum non posse esse plures Angelos in eodem loco (quià esse in loco nihil aliud est quàm perfectè, & immediatè continere illum; in genere causæ efficientis,) scilicet, Impossibile est duas causas totales, & immediatas simul esse eiusdem effectus, assumpsit ipsam de Impossibili Logico quidem, loquendo de talibus causis, vt plures sunt; De Physico autèm assumpsit eam loquendo de eisdem causis pluribus, sed non in quantùm plures. Vndè Caiet. videtur absolutè tenere cùm D. Th. quod illa propositio est sustinenda de Impossibili Logico, vt videbimus immediatè in Conclusione; quià de Impossibili Physico non est tanta difficultas, & de

Ange-

Angelis pluribus in loco, & de causis pluribus in effectu producendo, quià dicit ad tertiam Instantiam. Sicut naturalitèr fieri nequit, vt duo agentia naturalia perfecta, & eiusdem ordinis, &c. Sint æquè approximata immediatè vni, & eidem passo secundum eamdem rationem; ità naturalitèr est impossibile, vt duæ intelligentiæ sint præsentes, vni, & eidem loco secundum eamdem potentiam passiuam, & ratio vtrobique est, quià tàm natura, quàm intellectus horret superfluitates tanquàm otiosas. Ità Caiet. de sententia sua, & D. Th. in p. p. q. 52. art. 3.

In ordine ad secundam partem quæsiti de duabus causis instrumentalibus effectiuis Caiet. in 3. p. q. 67. art. 6. ait, qua ratione aut auctoritate cogente vnitas ministri excludat pluralitatem partialium comministrantium, in hac difficultate neutram audeo afferre partem, intellectui autèm meo magis apparet verum esse, quod perfectus Minister Baptismi, potest ex duabus personis partialitèr concurrentibus integrari, ea ratione, quià ad Christum principalitèr Baptizantem, non refert pluribus partialibus instrumentis vti ad vnum Baptisma dummodò forma, materia, & intentio debitè seruentur. Et infrà in fine Comment. art. cit. ait. Ad penultimam demum quæstionem magis Physicam, quàm Theologicam dicitur, quod Christus ex suæ potestatis excellentia potest simul vti duobus instrumentis totalibus vt vno. Maximè secundum nos qui tenemus virtutem Sacramenti nil aliud esse, quàm vsus verborum Christi. Quomodo autèm soluenda sit quæstio hæc à ponentibus in Sacramento supradictam qualitatis virtutem, ipsi viderint, imò hic perpendant, se procul à veritate esse si non potuerant intellectui satisfacere in hac quæstione absque miraculis. Ità Caiet. loc. cit.

Sent. S. Th. explicata à Caiet. in 3. p. q. 67. art. 6. de possibilitate effectus prouenientis à duplici causa instrumentali.

101. Quoad tertium Conclus. responsiua quæsiti pro impossibili logico ponitur à Caiet. in 3. p. q. 67. art. 6. hoc modo. Si est sermo de causis agentibus eiusdem rationis simul concurrentibus virtutibus proprijs, dico, quod impossibile est à duabus eiusdem rationis totalibus causis omninò vnum, & eumdem per se prouenire effectum. In p. p. verò q. 52. art. 3. ponit hanc eamdem conclusionem sub his verbis. Impossibile est duas causas totales, & immediatas simul esse eiusdem effectus.

Prima Conclusio Caiet. ex D. Th. responsiua primæ partis quæsiti ex p. p. q. 52. ar. 3. & ex 3 p q. 67. a. 6.

Probatur Conclusio de impossibili Logico in 3. p. loc. cit. sub hac forma à Caiet. Vnitas effectus, sequitur vnitatem virtutis, à qua causatur, ergo effectus ille esset per se ab vtraque, & à neutra: sed hec sunt contradictoria, ergo &c. Antecedens patet ex fine adnotationis suprà factæ. Consequentia de se constat rectè consideranti. Et Caiet. addit loc. cit. in Resp. ad primum dubium ex Durando, quod ratio prima Auctoris, scilicet, actus multiplicatur à multiplicatione agentis perfecti, est vera, & solida per se loquendo. Impossibile est enim à pluribus perfectis agentibus eiusdem rationis non prouenire diuersos actus, in tantùm quod infrà limites naturalis rationis loquendo, si duo talia agentia æquè approximarentur eidem omninò patienti, nulla omnino inferreretur per se passio, quià multiplicarentur simul duo contradictoria. Ità Caiet. art. 6. cit. 3. p.

Prima probatio Caiet. ex 3. p. loc. cit.

Probatur eadem Conclusio de impossibili Logico à Caiet. in p. p. q. 52. art. 3. sub tali forma. Conclusio prædicta debet verificari de impossibili Logico, quoniàm fundatur super hoc, quod sequerentur alitèr duo contradictoria, ergo &c. Probatur sequela, scilicet, quod idem simul dependeret, & non dependeret à sua per se causa. Probatur hoc, quià stante dualitate causarum per se, ex vna parte sequitur, quod effectus dependet ab vtraque, quià ponuntur illius per se causæ in esse, vel fieri: ex altera parte verò sequitur, ergo effectus à neutra dependet: Probatur hoc, quià ab illa non dependet, qua seclusa nihilominus esset, vel fieret: sed quamuis altera earum seclusa, effectus esset, vel fieret, ergo à neutra pendet, ergo implicat contradictionem.

Secunda probatio Caiet. ex p. p. loc. cit.

Resp. Caiet. ad suam rationem pro Conclusione prima ibi facta.

102. Caiet. Respondet ad hanc suam rationem ibidem loc. cit. quod hæc ratio non infert contradictoria, sed tantùm impossibilitatem Physicam, quià tales duæ causæ se habent vt causæ eiusdem rationis solo numero distinctæ, vt patet; tùm etiàm, quià non ab omibus videtur concedi, quod hic effectùs sit ab hac per se causa, propterea quià posset esset hic, & non ab hac causa, vt dicitur; tùm etiàm quià concessa perseitate, non sequitur contradictio, sed superfluitas. Nàm non sequitur, quod dependeat ab vtraque, & neutra: sed quod dependeat ab vtraque in quantùm vniuntur, cum quo stat, quod ambæ istæ sint falsæ ab vtraque dependet, & à neutra dependet. Et declarat hæc Caiet. Inductiuè de duobùs luminosis eiusdem rationis, & virtutis, æquè proximis alicui secundum se totum medio, primo illuminabili perfectè, idest in summo à quouis eorum, vt infrà in quarto loco primo Argumento ponemus.

Caiet. elidit, & fugat suã Resp. factam.

Resp. Caiet. ad hanc suam instantiam contrà se factam applicando ad plures Angelos quantùm ad esse in vno loco sic. Secundo dicitur quod aliud est plures Angelos esse simul in eodem loco, & aliud est plures Angelos esse naturalitèr simul in eodem loco. Primum enim non implicat contradictionem, dato quod secundum implicaret contradictionem, proptèr rationem adductam pro probatione Conclusionis, & sic posset sustineri: iuxtà istam distinctionem vtraque pars. Proptèr hoc S. Th. Conclusionem infert, quidem de inesse, & non de modali possibili; Maiorem autèm assumpsit de impossibili Logico quidem loquendo de talibus causis vt plures sunt: Physico autèm loquendo de eisdem causis pluribus, sed non in quantum plures. Ità Caiet. qui de impossibili Logico approbat suam rationem.

Secunda Conclusio Caiet. responsiua secundæ partis quæsiti cũ sua probatione in 3.p.q.67.a.6.

103. Secunda Conclusio pro secunda parte quæsiti ponitur à Caiet. in 3.p. q.67. art. 6. circà finem Comment. sub his verbis. Duæ causæ instrumentales, quæ agunt virtutetertij, possunt vnum. & omninò eumdem effectum producere, vel rectiùs loquendo, per vtramque potest effectus ille à tertio prouenire.

Probatur à Caiet. sub tali forma. Vnitas effectus sequitur vnitatem virtutis, à qua causatur, sed in tali casu posito, quod, scilicet, duæ causæ totales instrumentales concurrerent ad vnum effectum simul, scilicet, ad Baptismum esset, & vnitas effectus, vt patet; & vnitas causæ, ergo &c. Probatur hoc secundum quià Sacramenta non agunt virtutibus proprijs, sed virtute Christi, qui per illa operatur, ideò quotcumque causæ instrumentales eiusdem rationis perfectæ, seù totales concurrere inueniantur simul in vnum operatum, certè quod vnica virtus Christi est ibi, qui per illas vnum operatur effectum, quamuis illæ instrumentales causæ, quantùm in se est, duos sortirentur effectus. Nec obstat huic rationi doctrina superiùs habita de virtute existente in Sacramentis, opportet enim esse memorem, virtutem illam, nihil aliud esse, quàm vsum verborum, & rerum Sacramentalium ad producendum Sacramenti effectum. Vsum autèm dico, non cuiuscumque vtentis, sed Christi, vt superius declaratum est. Ità Caiet. art. 6. cit.

Arg. 1. Caiet. ex p p.q.62. art. 3. cõtrà primam Conclusionem.

104. Quoad quartum Arguit Caiet. in p. p. q. 62. art. 3. contrà primam Conclusionem ex proprijs. Ponantur per Dei potentiam duo luminosa in eodem loco eiusdem rationis, & virtutis, æquè proxima alicui secundum se totum medio primò illuminabili perfectè, idest in summo à quouis eorum: tùnc quæratur, aut medium illuminatum erit ab altero aut àb vtroque, &c. Est enim iste præcisè casus de quo disputamus. Vndè cum talis fictio non implicet contradictionem, sed de potentia Dei absoluta posset poni in esse, sequitur quod ponere duas totales, &c. non sit impossibile Logicum, sed Physicum. Quocircà in tali casu, illa duo luminosa se haberent vt partes vnius luminosi, super excedentis in duplo, vel ampliùs sua actiuitate per-

potentiam passiuam, cui applicatur, à quo constat, quod non secundum partes diuisim, sed vt vniuntur in vno, effectus dependeret; & sic in proposito à duobus agentibus, non vt duo sunt, dependeret, sed vt vniuntur; duo tamen essent.

Resp. Caiet. ibidem loc. cit. quod loquendo de talibus luminosis, vt plura sunt, est impossibilitas logica intenta à S. Doct. vt diximus: loquendo verò de talibus luminosis pluribus, sed non in quantum plura nulla est impossibilitas Logica, imò nec Physica. Sic etiàm declarant, & intelligunt Caiet. alij Thomistæ dicentes, quod in tali casu illa duo luminosa proptèr simultaneum concursum attemperant suas actiones, ità vt partialitèr concurrant, quæ attemperatio fit ex necessitate naturæ supposito simultaneo concursu vtriusque, quià agentia naturalia non possunt sic pro libito suam virtutem modificare, & continere, vt de facto continent, & modificant duo portantes vnum lapidem, quod est simile in isto casu, esto differant in modificando, quià illa ex necessitate naturæ; isti ex libito modificant virtutem. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. suum primum.*

Arguit secundo Caiet. ex Durando in 3. p. q. 67. art. 6. contrà secundam Conclusionem. Sic. Actus quod multiplicentur secundum D. Th. ad mpltiplicationem agentium perfectorum, & totalium, &c. non concludit in agentibus per voluntatem; imò hoc militat contrà auctorem ponentem plures Sacerdotes posse simul consecrare eamdem hostiam: par enim est vtrobique iudicium, quo ad multiplicationem actus ab agente. *Arg. 2. Caiet. ex Durando contrà 2. Conclusionem ex 3. p. q. 67. art. 6.*

Resp. Caiet. Instantia Durandi de agentibus voluntarijs se ipsam interim, ponendo neutrum eorum concurrere vt agens perfectum. Paria enim sunt quo ad propositum, esse agentia imperfecta, seù partialia, & concurrere vt agentia partialia. Ad illud verò, quod duo Sacerdotes eamdem possint consecrare Hostiam, dicitur quod in tali casu essent, duæ consecrationes, quantùm in se est; sicut etiàm quando duo perfectè vnum Baptizarent, vterque quantùm in se est conferret diuersum Baptisma, sed per accidens (scilicet, vnitatem Hostiæ, seù hominis, qui Baptizatur) vnum fit Sacramentum, proptèr excellentiam principalis agentis, scilicet, Christi, qui solus potest duobus totalibus instrumentis eiusdem rationis simul vti, vt vno. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 2.*

106. Arguit Caiet. contrà eamdem secundam Conclusionem sic. Vnitas Ministri vel exigitur ad Baptismum secundum rem, aut secundum expressionem, puta quod quilibet Minister exprimat se vt vnum. Non potest dici primum, quià tumet dicis, quod duo simul possint Baptizare eumdem, si vterque dicat ego te Baptizo. Secundum non est rationabile tùm quià expressio Ministri non est de necessitate Sacramenti, tùm quià si oportet ministrum exprimi secundum congruentiam ad principale agens, vt tu assumis, cum principale agens sit ipsa Trinitas, congruentius exprimi deberet Minister in numero plurali; tùm quià modus exprimendi ministrum nihil videtur facere ad Sacramentum, sufficit enim agens principale, & actum exprimere. *Arg. 3. Caiet. ibidem loc. cit. 3. p. contrà 2. Conclusionem.*

Resp. Caiet. ibidem art. 6. cit. ad vtramque partem disiunctiuæ, quod vtraque sanè intellecta est vera. Ad Baptismùm enim omninò vnum, seù vnum secundum formam, ex igitur vnitas Ministri secundum rem. Nec oppositum dixit auctor, quoniam duobus simul Baptizantibus, vtroque totum dicente, & faciente non est Baptismus vnus secundum formam, sed secundum effectum, quem etiàm non haberet, nisi potestas Christi suppleret, vtens duobus totalibus instrumentis vt vno, quemadmodùm priùs dictum est. Altera quoque pars disiunctiuæ vera est negatiuè, oportet enim exprimi ministrum vt vnum ad hunc sensum, hoc est non exprimi vt plures, *Resp. Caiet. ad Arg. 3.*

quià pluralitas ministri expressa contrariatur veritati Ministri. Vndè ad obiectionem de non necessaria expressione Ministri, iàm patet Responsio. Ità Caiet. in 3. p. q. 77. art. 6.

QVÆSTIO XII. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrum ex vi suarum Causalitatum duæ formæ possint actuare vnam materiam, & duæ Materiæ recipere vnam formam

EX CAIETANO

Pluribus in locis suorum Commentariorum.

Aperitur Titulus à Caiet. in varijs locis Comment. circà causalitates materiæ, & formæ.

107. CAiet. iàm suprà in primo libro Physicorum explicauit causalitates materiæ, & formæ dicendo in p. p. q. 50. art. 2. in Resp. ad secundum, & in q. 76. art. 1. in Resp. ad sextum, & in 3. p. q. q. 2. art. 7. & 10. quod Causalitas Materiæ per modum actus secundi consistit in receptione actuali ipsius esse formæ, non distincta intrinsecè ab illa, & quando causat, causat vt subiectum, & vt potentia receptiua, & sustentatiua, & huius est capax à se ipsa nullo mediante; Et sic illa passio illata ab agente prout in Materia, & ex materia se habet vti concomitans ad ipsam receptionem, & prout est ab agente, se habet per modum connotati, aut conditionis ad plus. Ità distinguitur causalitas materiæ à causalitate formæ, & stante hac causalitate, quærimus in præsenti an ipsa possit recipere cùm alia materia vnam formam. Ità Caiet. qui de causalitate formæ etiàm in primo libro Physicorum superius dixit loc. cit. quod consistit in illa vnione fundamentali, quæ est veluti operatio sua per modum actus secundi nihil instrinsecum addens suprà se ipsam, connotando solummodo extrinsecas conditiones, scilicet, existentiam, quià est existens vt quo, suppositum verò vt quod; connotat etiàm approximationem, seù indistantiam materiæ, includentem concursum effectiuum Dei, & agentis secundi mouentis formam, & transmutantis materiam; & connotat etiàm proportionem materiæ, quæ naturalitèr fit per dispositiones eiusdem ordinis. Stantibus his Caietanus quærit an formæ duæ possint actuare materiam vnam. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. in p. p. q. 76. & p. p. q. 85. art. 4 in qua discurritur de impossibilitate plurium formarum accidentalium respectu subiecti.

108. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 76. per totum, quod effectus primarius formæ est sui ipsius communicatio, quàm præbet ipsi materiæ, connotando conditiones vt suprà, sic exercendo suam causalitatem actuando, & informando illam, & compositum constituendo. Effectus verò secundarius est expellere aliam formam ab eodem subiecto expulsione, in quam, non effectiua, sed priuatiua, quæ priuatio fundatur in vna forma respectu alterius. Et in p. p. q. 85. art. 4. circà plures formas accidentales sensibiles, vel intelligibiles in posse actuare vnum subiectum seù receptiuum puta aerem, vel intellectum notat quod tàm sensum, quàm intellectum contingit dupliciter pati à sensibili, aut intelligibili, scilicet, vt quandam rem, & vt sensum vel intellectum; patitur autèm, vt res est, recipiendo realitèr, seù inhæsiuè similitudinem rei sensibilis, aut intelligibilis; patitur verò vt sensus, vel intellectus

cog-

recipiendo obiectum, non vt causam, sed vt obiectum est obiectiuè specificans ipsum, quià sic, inquam, est; Ideò species intelligibilis potest dupliciter considerari, scilicet, vt res, & vt intelligibilis, seù vt est in genere rei vt sic, & in genere intelligibili vt sic. Et si de eis, vt res sunt sermo est, in actu suo sunt, quando actualitèr informant intellectum vt res est; si verò in genere intelligibili considerentur actu, tunc simplicitèr sunt, quando intellectum, vt intellectus est actualitèr informant, quod patet non accidere, nisi cum actu intellectus intelligit. In tali enim pati consistit sentire, & intelligere, & quià formalis est sermo omnis Philosophicus, id circo in genere intelligibilis in illo art. 4. cit. omnia sumenda sunt, vbi intelligendi modus venatur. Dicitur ergo cum S. Doct. quod impossibile est quod idem subiectum simul perficiatur pluribus formis eiusdem generis. Et stante hac impossibilitate de formis accidentalibus respectu vnius subiecti, quærit quæstio, an eadem impossibilitas currat in formis substantialibus, an plures possint actuare eamdem materiam. Ità Caiet. loc. cit.

109. Adnotat secundo Caiet. in 3. p. q. 35. art. 5. quod ordo Doctrinæ exigit, vt priùs, scilicet, communiora, quàm minus communia tractentur, vt ex notis generibus ad species cognoscendas transeatur, & propterea circà dictum S. Doct. in art. 5. cit. scilicet, impossibile est in eodem subiecto esse duas formas eiusdem rationis, prænotamus, quod ratio, quarè formas vnius speciei multiplicari in eodem dicimus impossibile, est illa radicalis propositio peripatetica. Omnis distinctio aut est secundum formam, aut secundum quantitatem, de qua propositione, cùm de principio indiuiduationis tractaretur diffusè dictum est: hinc enim oritur, quod implicat dicere formas vnius speciei duas apponere in eodem subiecto, quià si in eodem subiecto sunt: Ergo non distinguuntur secundum quantitatem, ac per hoc cùm non distinguantur, etiàm formalitèr, non sunt. Obiectiones Scoti contrà hoc dictum soluemus infrà in quarto loco proprio huius quæsiti. Ità Caiet. art. 5. cit. 3. p.

Doctr. 2. Caiet. ex 3. p. q. 35. art. 5. in qua eadem materia de accidentibus explicatur fundamentalitèr.

110. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 76. art. 2. circà plura Phantasmata in eodem subiecto, quod duo Phantasmata esse eiusdem speciei contingit dupliciter vel in representando tantùm, vel in essendo, & representando, & quod prima possunt esse simul in eodem, alia verò non. Exemplum primorum, Phantasmata huius lapidis, & Phantasmata illius. Exemplum secundorum, duo Phantasmata vnius, & eiusdem speciei. Et quoniàm à Phantasmatibus secundum representatam naturam fit abstractio speciei: ideo S. Th. vtens Phantasmate ex parte representatæ naturæ, simplicitèr vocauit Phantasmata eiusdem speciei, quæ sunt eiusdem speciei representatiua, & posuit ea simul in eodem, vt Phantasmata duorum lapidum. Loquitur ergo de eis in art. 2. cit. in representando, non in essendo. Non enim videtur eiusdem rationis esse sufficere ad representandum hanc proprietatem indiuidualem, & illam, nisi quis dicat, quod indiuiduatio Phantasmatis est representatiua indiuiduationis obiecti. Ex impossibilitate igitur iudicata à S. Th. de pluribus formis accidentalibus in eodem subiecto venamur impossibilitatem plurium formarum substantialium in eadem materia substantiali vna. Ità Caiet. loc. cit. art. 2. p. p.

Doctr. 3. Caiet. ex p. p. q. 76. art. 2. de duobus Phantasmatibus.

111. Quo ad secundum Caiet. pluribus in locis tractat de pluralitate formarum in eadem materia sed præcipuè in p. p. q. 76. art. 3. & 4. vbi cùm S. Doct. expressè ait, non esse nec naturalitèr, nec supernaturalitèr possibile duas formas substantiales informare simul eamdem numero materiam. Et S. Doct. opusc. 33. & quolib. p. art. 3. ait. Impossibile est in vno, & eodem esse plures formas substantiales. Et quod dicitur de pluribus formis, idem sensit Caiet. cum S. Doct de duabus materijs quod non possint recipere vnam formam substantialem, vel quod est idem, quod

Sententia S. Th. explicata à Caiet. in varijs locis Comment.

Vna forma substantialis non potest informare simul duas numero materias. Ità Caiet. loc. cit. qui vbique vindicat obiectiones aduersariorum contrà Conclusiones citatas, vt videbimus in quarto loco.

Conclusio responsiua quæsiti Caiet. cum sua probatione ex p. p. q. 85. art. 4. & ex 3 p. q 35. a. 5.

112. Quo ad tertium. Est vnica Conclusio Caiet. cùm S. Doct. Sicuti impossibile est, & naturalitèr, & supernaturalitèr, quod plures formæ accidentales eiusdem speciei, & rationis actuent, & informent vnum, & idem subiectum; Ità impossibile est, quod plures formæ, seù duæ formæ substantiales actuent, & informent vnam materiam; & quod vna forma actuet, & informet duas materias.

Probatur quo ad omnes eius partes hæc Conclusio à Caiet. & in p. p. q. 85. art. 4. & in 3. p. q. 35. art. 5. vnica ratione sic. Impossibile est, quod idem corpus secundum idem, simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris, & quod idem intellectus simul perficiatur diuersis speciebus intelligibilibus, ad intelligendum diuersa in actu, ergo multo magis impossibile erit quod duæ formæ substantiales, & actuent, & informent vnam materiam, & quod vna forma, &c. actuet duas materias, ergo &c.

Antecedens est manifestum, ait Caiet. in tota doctrina D. Th. & in 3. p. q. 35. art. 5. fundat illud in illa propositione peripatetica, scilicet, omnis distinctio, aut est secundum formam, aut secundum quantitatem vt declarata est in Adnotatione secunda suprà.

Consequens est verum immediatè deductum ex antecedenti assumpto, & ex ipsa ratione essentiali formæ, & materiæ, quod sit vnius essentia esse actum primum substantialem dantem esse simplicitèr sine addito, & vt resultet vnum compositum substantiale; & alterius essentia est, quod cum vna sit numero materia, sit tantùm capacitas ad vnam formam in actu secundo receptiuo, vt ex esse simplicitèr, quod sine addito immediatè recipit ab illa forma vna, resultet vnum compositum substantiale, vndè sicut ex duabus formis, & vna materia, non potest fieri neque vnum, nec duplex compositum substantiale, nec ex duabus materijs, & vna forma; quià impediunt se ad inuicem duæ formæ totales in dare illud esse simplicitèr sine addito, ex quo sequitur compositum substantiale; sicuti impediunt se ad inuicem duæ causæ totales effectiuæ in producendo vnum numero effectum, vt diximus in præcedenti quæstione, ità sequitur quod duæ formæ non possunt esse simul in eadem materia, nec quod duæ materiæ possunt recipere simul eamdem formam, quià in quàm in materia est tantùm capacitas ad recipiendam vnam formam, & in forma est tantùm capacitas ad actuandam vnam materiam. Ità Caiet. in loc. cit.

Fugatur Resp. ad rationem, & ex Caiet. defenditur vt efficax nostra ratio.

113. Nec est quod inficiat cum alijs Botti in sua nouissima Physica rationem Caiet. per ly dare esse simplicitèr respectu formæ substantialis, dicendo quod est inefficax, quià cùm quælibet illarum formarum actuaret materiam immediatè, non verò vt materiam actuatam ab alia, quælibet iàm tribueret materiæ esse simplicitèr, per quod sine addito dici esse posset. Non valet inquam, quià inefficax est obiectio, vt potè proueniens ab inconsideratione rationis Caiet. in p. p. q. 76. art. 3. & 4. & alibi, quæ ponitur vt fundamentum rationis existimatæ efficacissimæ ab ipsis, quià probant quod data hypotesi de duabus formis non resultarent nec duo distincta composita, nec vnum; quià, ait Caiet. pendet ex hoc, quod non ibi esset tale esse simplicitèr sine addito, ex quo pendet compositum, quià non esset ab vlla ex illis duabus; vndè sequerentur contradictoria, quod resultaret, & non resultaret, &c. Ità ex Caiet.

Arg. 1. Caiet. ... p.

114. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà assumptum medium probatiuum, & primo in 3. p. q. 35. art. 5. ex Scoto sic, In omni ordine essentiali cum vnitate prio-

ris

ris essentialitèr, potest stare pluralitas posterioris naturalitèr, non per se, nec adæquatè inhærentis prioris: sed subiectum est essentialitèr prius illa dispositione quæ ponitur sibi inhærens, nec per se ei inhæret, nec adæquatè, ergo &c. Maior probatur per simile in causa, & in effectu, quià nec subiectum est causa intrinseca dispositionis.

115. Secundo Arguit ex Scoto ibidem, quià plures species phantasticæ eiusdem speciei sunt simul in eodem organo Phantasiæ secundum eamdem partem organi, ergo &c. antecedens probatur, & primo quod plures simul sint patet ex eo, quià alitèr deleta vna specie non posset quis imaginari, nisi de nouo acquireret. Quod verò sint eiusdem speciei probatur ex obiecto, quià obiecta sunt eiusdem speciei. Quod autèm sint in eadem parte organi probatur quià organum non potest in tot partes minimas diuidi, quot sunt species imaginabiles, quæ simul sunt in organo Phantasiæ; *Arg. 2. ex Scoto contra Conclusionem.*

Resp. Caiet. ad primam obiectionem, quod maior est vniuersalitèr falsa, & distinguenda propterea ad claritatem solutionis: potest siquidèm intelligi de vnitate formali, vel de vnitate numerali, si de vnitate formali, transeat tanquam impertinens, si de vnitate numerali falsa est vniuersalitèr. Ratio est, quià in alijs à quantitate vnitas numeralis posterioris inhærentis dependet per se ab vnitate numerali prioris, hoc est subiecti, ità quod licet albedo per accidens se habeat ad hoc quantum: hæc tamèn albedo in quantùm hæc, per se dependet ab hoc quanto, ità quod si hæc albedo, vt hæc, diffiniretur, in definitione eius poneretur hoc quantum, quod est subiectum; vndè cum vnitate numerali prioris subiecti non stat pluralitas numeralis accidentis posterioris, quod secundum suam speciem non per se inhæret, quod secundum vnitatem numeralem vendicat sibi per se, & adæquatè hoc subiectum; per se quidem, quià hoc subiectum poneretur in definitione accidentis in quantùm hoc, adæquatè autèm, quià vnitas numeralis huius accidentis subiecti, soli huic subiecto conuenit, nec extrà illud inueniri, aut intelligi potest. Vndè probatio à simili nulla est, quoniàm vnitas numeralis effectus non dependet ab vnitate numerali causæ, vt illius deffinitiua, sicut vnitas numeralis accidentis definienda est per hoc subiectum. Ità Caiet. *Resp. ad 1. Arg. Caiet.*

116. Resp. Caiet. ad secundum Scoti triplicitèr, & primo quod non probatur ab Arguente esse eiusdem speciei species simul in vna Phantasia, quod non possint esse in diuersis organi partibus, præsertim cùm huiusmodi entia intentionalia videantur quasi in puncto saluari, vt apparet videntibus per minimum foramen: tot, & multa sunt similia in Phantasia non per propria species, sed per species aliquorum totorum quorum illa occurrerunt vt partes. *Resp. Caiet. ad 2. Scoti Arg. 1.*

Secundo Resp. Caiet. negando in eadem Phantasia inueniri plures species eiusdem rationis, & ad probationem, obiecta sunt eiusdem rationis, ergo species eorum. Resp. quod obiecta sumuntur duplicitèr, scilicet, in esse naturæ, & sic duo alba sunt eiusdem rationis; vel in esse sensibili, & sic duo alba sunt diuersarum rationum, quod sic manifestatur ab ipsis repræsentantibus, nàm sicut in esse naturæ illa tantùm dicuntur vnius speciei quorum quidquid habet essentialitèr vnum, habet essentialitèr aliud, ità in repræsentando illa dicuntur tantùm vnius speciei, quorum quidquid repræsentat vnum illud totum, idem repræsentat reliquum; sicut si vnum album videatur à duobus, vel pluribus, omnes illæ species sunt vnius speciei, non enim differunt in repræsentando quià idem repræsentant, sed solo numero differunt, quià hæc in isto, & illa in illo est, sed duorum aliorum species non sunt vnius speciei, quià species vnius non repræsentat aliud, vt patet; vndè cum in vna Phantasia negemus plures species eiusdem obiecti, consequentèr negamus plures species eius- *Resp. 2. Caiet. ad Arg. 2. quam ipse meliorem approbat, non sic tertia ratio.*

dem rationis, quoniàm, vt dictum est, species diuersorum indiuiduorum sunt diuersarum specierum, quià ipsa indiuidua diuersa, sunt diuersarum rationum in esse sensato. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad 2. Arg.

117. Tertio Resp. Caiet. quod sicut lumen generatum in eodem Diaphano à 2. Candela non est aliud numero à lumine genito à prima, sed coincidit in idem dependens à duobus, vt partialibus agentibus, ità cùm in Phantasia organum secundum eamdem partem occurrit obiectum eiusdem rationis, non fit aliqua species: sed præexistens fit dependens à duobus partialibus, conuertente anima speciem illam ad nouum obiectum, ità quod præcedens species perficitur, & firmitate, & extensione. Hæc Resp. sustinenda est ab illis qui diuersorum indiuiduorum non admitterent, diuersarum rationum esse species, & in eadem parte organi recipi. Ego magis trahor in secundam Responsionem, quæ potest confirmari, quià alia, & maiori ratione differunt species imaginatæ ipsius sortis, & Platonis, quàm differunt duæ species imaginatæ ipsius sortis: sed duæ species sortis differunt ratione differentiæ numeralis, ergo species sortis, & Platonis, differunt differentia maiori, quàm constat esse specificam. Ità Caiet. in 3. p. q. 35. q. 5.

Arg. 3. Caiet. in p. p. q. 85. a. 4. in Scot., & Durando.

118. Arguit 3. Caiet. in p. p. q. 85. art. 4. Ista propositio est falsissima, scilicet, impossibile est idem subiectum simul perfici pluribus formis eiusdem generis, ergo, & Conclusio erit falsa suprà quàm fundatur. Antecedens patet de speciebus albedinis, & nigredinis in eadem parte aeris ex opposito constitutis, albo, & nigro secundum situm; tùm quià illius probatio, inquit Scotus, nihil valet, quià hic tollitur oppositio, quæ est ratio impossibilitatis: Rationes enim oppositorum non sunt in intellectu, vt Arist. & Auuerrois volunt. Ex hoc sequitur quod illa alia propositio, scilicet, omnes species intelligibiles sunt eiusdem generis, & eius probatio est etiàm falsa, scilicet, quià omnes sunt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ. Et probatur quod sint falsæ; tùm quià in intellectu Angelico essentia sua, & aliæ species non sunt eiusdem generis; tùm etiàm, quià tàm essentia Angeli, quàm species intelligibiles sunt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ, & tamèn non sunt eiusdem generis. Et si valeret probatio, concluderetur, quod in intellectu non conseruantur vndiq; actualitèr plures species intelligibiles, quià sunt species eiusdem generis.

Si dicatur quod quando sunt in habitu, non sunt in actu completo. Contrà inquit Durandus, formam informare, & dare esse formalitèr, est ipsam esse in actu completo, sed hoc habet species intelligibilis conseruata, ergo si quid aliud requiritur ad hoc, vt sit in actu simplicitèr exprimatur illud, & si dicatur, quod est actualitèr operari; absq; ratione, imò ridiculosè hoc dicitur, quià aliud est loqui de esse completo formæ in se, & aliud de actuali operatione, hoc enim est non distinguere intèr actum primum, & secundum non enim minus est perfectè figura, aut color in corpore si causant visionem sui actualitèr, quàm si non.

Resp. Caiet. ad Arg. tertium ibidem loc. cit.

Resp. Caiet. ex prima Adnotatione ad Argumentum. Ad obiectionem ergo de speciebus sensibilibus in medio dicitur, quod non sunt in actu completo, vt sensibiles nunquàm sunt in actu, nisi in sensu in actu. Ad Scotum dicitur ex Resp. ad primum in littera, quod non oppositio, sed vnigenitas specierum prohibet illas esse simul in actu in eodem indiuisibili. Ad obiecta autèm contrà aliam propositionem, & eius probationem dicitur, quod non est eadem ratio de speciebus intellectus nostri pro statu isto, & de speciebus Angelorum, quoniàm omnes nostræ sunt eiusdem ordinis, non autèm Angelicæ. Et cùm dicitur ergo non sumitur vnitas generica specierum ex vnitate potentiæ intellectiuæ vt in littera art. 5. cit. dicitur. Resp. negan-

gando sequelam, & dicendo, quod, & species naturales eiusdem ordinis, & subordinatæ sunt vnius generis proptèr vnitatem potentiæ, sed tamèn species subordinatas non inconueniit simul actuare, vt patet in Angelis, quià se habent vt commune, & proprium, & consequentèr non habent rationem multorum absolutè, species verò eiusdem ordinis non subordinatas est impossibile quià habent rationem multorum actuum, vnius secundum idem eodem modo, & simul, & quamuis essentia Angeli, & species sint diuersorum generum in esse reali, sunt tàmen eiusdem generis in esse intelligibili.

Ad vltima verò obiecta ex Durando iàm patet Resp. ex dictis, quià, scilicet, noster sermo est de his intentionibus rerum non in esse reali, sed in esse intelligibili in quo non esse actu eas patet ex dictis. Vndè non fugimus de actu primo ad secundum, sed naturas talium entium penetrando, quid genus intelligibile habeat, penès quid eius actualitas attendatur, discutimus, & docemus. Ità Caiet. in fine Comment. art. 4. q. 85. p. p.

Resp. ad Instantiam Durandi, eiusdem Caiet.

QVÆSTIO XIII. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm duo vltimi fines possint finalizare voluntatem, seù vnam intentionem

EX CAIETANO

P. 2. q. 1. art. 5. 6. & 4. & alibi.

119. CAiet. explicat titulum in p. 2. q. 1. art. 5. quod Titulus sub alijs verbis potest proponi, scilicet, an vnius hominis possint esse plures vltimi fines, ità quòd ambo moueant ipsam voluntatem ad appetendum, quidquid appetit nedùm proptèr vnum, sed etiàm proptèr alterum simul; Et titulum intelligo ait Caiet. de simul ferri tàm actu, quàm affectu, seù habitu. Ità Caiet.

Explicatur Titulus à Caiet.

120. Adnotat primo Caiet. in art. 5. cit. quod illæ tres rationes S. Doct. infrà ponendæ in 3. loco, quas refert in corpore art. 6. procedunt ex diuersis capitibus; nàm prima procedit ex eo, quod vltimus finis habet rationem boni perfecti respectu illius; Secunda ex eo, quod habet rationem primi boni naturalis; Tertia ex eo, quod habet rationem primi specificantis. Et licet prima ratio conuincat clarius, & propterea illa vtatur Auctor in Responsionibus ad sua Argumenta, eodem tamèn modo omnes clarificant. Nàm sicut repugnat diuitias v. g. ex vna parte, & voluptatem ex altera parte constituere, simul duo bona completa vnius, quià sequitur quod neutrum seorsum est sufficiens, ac per hoc vtriq; aliquid deficit, & vtrumq; est incompletum; Ità repugnat hæc eadem constituere simul duo prima bona naturalia, quià neutrum esset primum, à quo inciperet motus voluntatis. Et similitèr repugnat eadem constituere duo prima specificantia: quià neutrum eorum esset specificans primum; Vndè hæ rationes directè concludentes vnitatem formalem vltimi finis in vnoquoq; (quià habet rationem completi, naturalis, & spe-

Doctr. 1. Caiet. ex art. 5. q. 1. in p. 2. in qua explicatur efficacia trium rationum pro Conclusione.

cifi-

cificantis) primò simul concludunt, quod impossibile est simul poni huiusmodi rationem formalem in diuersis è regione condiuisis, ità vt distinguatur ipsa ratio formalis in eis, & fiant simul duo vltimi fines vnius hominis, cùm quo tamèn stat, vt in littera dicitur, quod ratio ista ponatur in pluribus tanquàm partibus integrantibus vnum subiectum adæquatum illius. Ità Caiet. art. 5. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex a. 4. q. cit. in qua docetur differentia intèr bonum, & finem quo ad exercere causalitatem.

121. Adnotat 2. Caiet. in art. 4. q. cit. quod intèr finem, & bonum hoc interest, quod cùm finis habeat duo, scilicet, esse obiectum appetitus (habet enim rationem appetibilis) & esse causam finalem. Finis enim est alicuius finis. Et secundum oritur ex primo: quià finis ex eo, quod appetibilis causat finalitèr bonum, exercet rationem finis quò ad primum; propterea, & in 1. Eth. dicitur bonum est quod omnia appetunt. Et Diuina essentia habet rationem boni respectu suæ naturalis voluntatis, vtpotè proprium obiectum illius, cuius constat non esse finem positiuè, sicut nec aliam causam. Secundum autèm exprimitur nomine finis, & propterea bonum exercet finem in se ipso, & in his quæ sunt ad finem, vtpotè rationem appetibilis habentia; Finis autèm distinguitur contrà ea, quæ sunt ad finem, vt causa ab effectu. Ex his autèm deducitur cùm sit duplex effluxus à bono, scilicet, in appetitu, & in re. Et primus in littera vocatur secundum ordinem intentionis, secundus executionis; Si sit sermo de effluxu in appetitu, constat quod de ratione boni est, non quod appetatur, sed quod sit appetibile; ac per hoc non quod ab eo aliquid effluat, sed quod sit tale, à quo effluet appetitus sui; Si verò sit sermo de effluxu in re, sic tantò magis constat, quod non est de ratione boni diffundere se, sed esse diffusiuum sui: quoniàm bonum ad actualem diuisionem sui in re non peruenit immediatè, sed mediante causa efficiente, voluntate, scilicet, cuius est obiectum, à qua fit, quod sit actualitèr finis alicuius, cuius erat finis aptitudinalitèr tantùm. Ità Caiet. in art. quarto cit.

Doct. 3. Caiet. ex art. 6. q. cit. in qua declaratur vltimus finis formalitèr, & materialitèr.

122. Adnotat 3. Caiet. in art. 6. q. cit. quod opportet præ oculis sempèr habere, vt non fallamur, scilicet, distinctionem intèr vltimum finem hominis formalitèr, vel materialitèr, quæ in art. 7. exprimuntur. Vltimus enim finis formalitèr, nihil aliud est, quàm bonum perfectum cuiusq; vt in art. 5. dicitur. Et de vltimo fine formalitèr in art. 6. cit. verificatur primo, de vltimo autèm fine materialitèr verificatur secundariò, vt, scilicet, induit illius rationem formalem: opportet enim homo quæcumq; vult, quod velit proptèr suam perfectionem: quoniàm vt in 8. Eth. dicitur. Amabile quidem bonum, vnicuiq; autèm proprium. Et si hæc aduertisset Scotus non dixisset, quod homo potest libero appetitu non velle proptèr Beatitudinem, tàm negatiuè, quàm contrariè. Nos enim loquimur de vltimo fine formalitèr, & dicimus, quod nihil potest appeti nisi ipse, aut proptèr ipsum. Et quod nec negatiuè, nec contrariè potest alitèr appeti. Ità Caiet. loc. cit.

Sententia S. Th. declarata à Caiet. quod voluntas vtiq; potest intendere plura, sed non vt vltimos fines ex q. 12. art. 3. in p. 2.

123. Quo ad 2. Caiet. in p. 2. q. 12. art. 3. confirmat sententiam S. Th. in art. 5. q. 1. expressam, scilicet, quod voluntas ad differentiam intellectus habet pluralitatem simul in ordine ad actum intentionis, quod quidem negatur de intellectione: quià intellectus attingit plura non nisi vt vnum, voluntas verò vt plura. Existentibus si quidem tribus tàm in intellectu, quàm in voluntate, puta locutione, gustatione, & linguas Intellectus locutionem, & gustum simul intelligit vt in vno vniuntur organo linguæ. Voluntas verò è contrà vnum linguæ organum vult proptèr duo opera, locutionem, scilicet, & gustationem; Ità quod cùm finis in operabilibus sit, vt principium in speculabilibus, Medium, seù principium in intellectu plurium est vnum: Medium verò, seù principium in intentione non opportet esse vnum, sed contingit esse plura. Hæc tamèn intelliguntur, vt non sit sensus de pluribus,

ribus,

ribus, vt vltimi fines sunt; quià S. Doct. in primo Arg. art. 3. cit. afferendo authoritatem D. Aug. in lib. de Sermone Domini in Monte, scilicet, quod non potest homo simul intendere Deum; & commodum corporale. Resp. S. Doctor quod intelligit D. Aug. non posse hominem simul Deum, & commodum temporale intendere sicut vltimos fines: quià vt suprà ostensum est, scilicet, in q. 1. art. 5. non possunt esse plures fines vltimi vnius hominis. Ità Caiet. de sent. D. Th. & Aug. loc. cit.

124. Quoad 3. Conclusio Caiet. & D. Th. Vnica in art. 5. q. p. in prima secundæ est hæc. Impossibile est, quod voluntas vnius hominis simul se habeat ad diuersa sicut ad vltimos fines. Probatur à Caietano cùm D. Th. triplici ratione, & primo sic. *Conclusio Caiet. & D. Th. respon. siua quæsiti cùm sua 1. probatione ex art. 5. cit.*

Cùm vnumquodq; appetat suam perfectionem, illud appetit aliquis vt vltimum finem, quod appetit vt bonum perfectum, & completiuum sui ipsius. Vndè Aug. dicit 19. de Ciu. Dei cap. 1. Finem hominum nunc dicimus non quod consumitur vt non sit, sed quod perficitur vt plenè sit. Opportet igitur quod vltimus finis ità impleat totum hominis appetitum, quod nihil extrà ipsum appetendum relinquatur: quod esse non potest, si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur, vndè non potest esse, quod in duo sic tendat appetitus, ac si vtrumq; sit bonum perfectiuum ipsius. Ità Caiet. loc. cit.

Probatur secundo sic. Sicut in processu rationis principium est id, quod naturalitèr cognoscitur: ità in processu rationalis appetitus, qui est voluntas opportet esse principium id, quod naturalitèr desideratur: hoc autèm opportet esse vnum, quià natura non tendit nisi ad vnum. Principium autèm in processu rationalis appetitus est vltimus finis, vndè opportet id, in quod tendit voluntas sub ratione finis, esse vnum. *Probatur 2. à Caiet. Conclusio ratione D. Th.*

Probatur 3. sic. Cùm actiones voluntariè sortiantur speciem ex fine, vt in art. 3. huius quæstionis dicitur opportet quod à fine vltimo, qui est communis sortiuntur rationem generis, sicut, & naturalia ponuntur in genere secundum formalem rationem communem. Cùm igitur omnia appetibilia voluntatis in quantùm huiusmodi sint vnius generis, opportet vltimum finem esse vnum: Et præcipuè quià in quolibet genere est vnum primum principium: Vltimus autèm finis habet rationem primi principij vt dictum est in art. 4. q. cit. Sicut autèm se habet vltimus finis hominis simplicitèr ad totum humanum genus, ità se habet vltimus finis huius hominis ad hunc hominem. Vndè opportet, quod sicut omnium hominum est naturalitèr vnus finis vltimus, ità huius hominis voluntas in vno vltimo fine statuatur. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 5. cit. *Prob. 3. à Caiet. Conclusio ratione D. Th.*

126. Quoad 4. Arguitur à Caiet. Contrà Concl. sic in art. 5. cit. Quomodo stant hæc duo simul, quod quilibet peccator constituat sibi vltimum finem in illo commutabili bono, ad quod intendit, cùm auertitur à Deo simul peccando mortalitèr, & quod non habeat simul in habitu diuersa vt vltimos fines, cùm contingat eumdem hominem simul esse in disparatis peccatis mortalibus, puta, gula, & iniustitia, ità quod neutri per alterum afficitur, sed ebrietas eum secundum se delectat, & similitèr iniustitia. *Argu. Caiet. contrà Conclusionem ex art. 5. q. 1. p. 2.*

Resp. Caiet. Ad hoc breuitèr dicitur, quod omnes fines proximi peccatorum mortalium vniuntur in vno vltimo fine, qui est ipse met peccator, quià amor sui vsquè in contemptum Dei constituit ciuitatem Babylonis, sicut Amor Dei vsq; ad contemptum sui Ierusalem. Vndè huiusmodi peccator nec in gulæ, nec in iustitiæ apparenti bono seorsim constituit vltimum finem, cuius signum est, quià neutrum *Resp. Caiet. ad Argumentum.*

sibi

sibi sufficit, sed omnia commutabilia bona, ad quæ peccator conuertitur, referuntur ad vnum communem finem, qui est simplicitèr vltimus sibi, scilicet, ipsum met, & quoniàm omnia appetit vt conferentia ad bonum proprium, ità quod huiusmodi bona non appetuntur vt vltimi fines simplicitèr, sed vt vltimi fines partiales, vt, scilicet, partes boni proprij, quod est simplicitèr vltimus finis illius, & intentum in omni peccato mortali, S. Doctor docet, impossibile esse, quod vnius simul sint plures fines vltimi simplicitèr. Et propterea nulla est contrarietas intèr proposita: Ità Caiet. in art. 5.

127. Sunt aliqui Thomistæ, qui concedunt sequentes Caiet. quod homo simul apprehendat duos vltimos fines, vnum apprehensione practica, alterum apprehensione speculatiua, quià peccans mortalitèr practicè iudicat vltimum finem esse bonum commutabile, & speculatiuè esse Deum. Ad volitionem autèm inefficacem sufficit cogitatio speculatiua; hinc est, quod homo, cùm possit habere iudicium practicum de aliquo vltimo fine, & speculatiuum de alio, sequitur quod possit habere duos vltimos fines vnum efficacitèr, alterum inefficacitèr. Ità Gonzalez, & Martinez. Hæc Doctrina non facit ad propositum sicut, & distinctio, quià Caiet. cùm D. Th. instituunt, & resoluunt quæstionem de vltimo fine simplicitèr, siuè speculatiuè, siuè practicè, &c.

QVÆSTIO XIV. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm sola bonitas à parte rei in via D. Thomæ sit virtus per quam finis finalizat, & in actu primo, & in actu secundo.

EX CAIETANO

P. p. q. 5. art. 4. & p. 2. q. 1. art. 1.

Titulus, & status controuersiæ aperitur Tyronibus Thomistis in p. p. q. 5. art. 4.

128. CAiet. in titulo supponit, quod causa finalis est vera causa realis, quià vnumquodq; verè, & realitèr pendet à fine, & influit mouendo, & alliciendo, in qua motione consistit eius causalitas. Et finis dum mouet, & allicit affectum, verè, & realitèr existit existentia ad suam causalitatem exercendam requisita, nimirùm intentionali. Et Caiet. explicat titulum in q. 5. art. 4. p. p. sic. In Titulo, habere rationem causæ finalis non sumitur hic idemticè, sed duplicitèr, scilicet, in actu signato, & in actu exercito. Si primo modo habere rationem causæ finalis intelligitur sumitur fundamentalitèr fundamento proximo. Non enim quæritur vtrùm bonum sit ratio causæ finalis, sed an sit proprium fundamentum illius. Quid autèm sit ratio causæ finalis ex 2. Phys. & 5. Met. patet, scilicet, cuius gratia aliquid fit, aut est. Vndè sensus Tituli est, an res, eo quià bona vendicet sibi hoc proprium, quod sit cuius Gratia. Si verò secundo modo intelligitur, tunc habere rationem causæ finalis sumitur formalitèr: ità quod sensus Tituli est. Vtrùm bonum formalitèr sit formalitèr ipsa ratio finis in actu exercito, idest exerceat causalitatem finalem, & ex hoc ipso reddatur causa finalis. Et hic sensus est iudicio meo intentus, quià formalis est, & tanto dignus

go

ingenio'. Et responsio quæsiti ad hoc tendit. Ità Caiet. p. p. q. 5. art. 4.

129. Adnotat primo Caiet. in art. 5. cit. Circà hanc determinationem aduertè breuitèr veritatem, quàm hinc habes de illa quæstione verùm res sit causa finalis in intentione, aut in executione; Cùm enim hic habeas, quod in secundo quoq; Physicorum habetur, quod bonum importat rationem finis in actu exercito, vt infrà probabimus, sequitur, quod habeat rationem causæ finalis, & per consequens rationem primi, cùm finis sit causa causarum; nec hoc contradicit huic, quod alibi diximus, scilicet, quod bonum non habet rationem primi, sed potiùs vltimi, quià Responsio est in promptu, quod bonum est vltimum in essendo, primum autèm in causando, cùm habeat rationem finis. Et quod primum in causando sit vltimum in essendo, patet ex testimonio sensibilium, in quibus primum in causando est vltimum in causato, vt patet in igne, & calore. Ità Caiet.

Doctr. 1. Caiet. in p.p.q.5.art.4. in qua docetur quod primum in causando est vltimum in essendo.

130. Adnotat 2. Caiet. ibidem loc. cit. quod ly primum, & vltimum denotant in proposito ordinem generationis, & supponunt pro formis, seù rationibus formalibus, quæ sunt principia causandi, & essendi; ly verò in causando sumitur vt distinguitur contrà in essendo, supponitur siquidem hic dari duplicem ordinem generationis intèr res. Alterum in causando, alterùm in essendo. Et ille quidem attenditur penès priùs, post causare; iste verò penès priùs, & post esse; ità quod illa res est vt priùs in causando, cuius causalitas non pendet à causalitate alterius, sed è conuersò; & similitèr illa res est prior in essendo, cuius esse non præsupponit esse alterius, sed è conuersò. Est ergo sensus illius propositionis, quod res prior ordine generationis quo ad causalitatem, est posterior ordine generationis quo ad esse. Et insuper aduertè, quod ordo rerum in essendo potest considerari absolutè, & potest considerari in tali genere causatorum, ità quod ab ordine in essendo intento intèr fundamenta prioris, & posterioris causæ puta caloris, & formæ ignis in causato, manuducimur ad ordinem in essendo simplicitèr: intendimus enim ostendere, quod non oportet eumdem ordinem esse intèr res in essendo, qui est in causando, nec è conuersò. Et rursùs intendimus ad intelligibilia hæc ex sensibilium testimonio eleuare nos quod satis in art. cit. fit. Ità Caiet.

Doctr. Caiet. ibidem loc. cit. quæ explicat eamdem propositionem.

131. Adnotat 3. Caiet. in p. 2. q. 1. art. 1. Ad huius quæstionis euidentiam scito primo, quod sicut in causalitate efficiente distinguendum est de ratione efficiendi, & conditione efficientis: dicimus enim cùm Medicus medetur quod ratio medendi est ars medicinæ: conditio verò medicantis est existere esse singulare quoddam subsistens &c. Ità in causalitate finali distinguendum est intèr rationem finalizandi, & conditionem finalizantis, & vt experientia in nobis testatur; Intèr agens, & finem quo ad hoc tantùm interest, quod vniuersalitèr loquendo ratio agendi est forma iuxtà illud 3. Phys. tex. 17. semper existimabitur species aliqua mouere. Conditio verò agentis est subsistere, vel in subsistente esse iuxtà illud 1. Met. Actiones sunt subsistentium. Ratio autèm finalizandi est esse rei, quæ finis dicitur. Conditio verò finalizantis est esse sic in intentione. Scito secundo quod esse in natura ab esse in executione licet non distinguatur sicut vnum esse ab alio esse, distinguitur tamèn adeò ab eo, vt esse in executione vt sic, significet esse vt pendens ab agente; esse verò in rerum natura hoc nec includit, nec excludit, imò fundare potest causalitatem ex qua dependet agens, & eius executio. Ex hac adnotatione magis, patebit Conclusio infrà probanda. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex p.2.q.1. art.1. in qua explicatur ratio formalis, & conditio causæ.

132. Adnotat 4. Caiet. ibidem. Verum aduertè hic duo. Primum est, quod ratio desiderabilis non excludit esse in rerum natura præsentialitèr: quoniàm esse sanitatis desideratur non solùm dùm non est, sed vsquequo habeatur inclusiuè, pro-

Doctr. 4. Caiet. ibidem loc. cit. explicatur ratio delectabilis.

 por-

portionalitèr tamèn, idest, quod ficut agens agit donec fanitas habeatur inclusiuè, ità fanitas femper finalizat. Et ficut illud agit vt in via, & vt in termino, ità finis proportionalis. Æquale enim opportet effe tempus finalizandi tempori agendi: alioquin agens ageret non proptèr finem. Secundum eft, quod ratio delectabilis non excludit effe in intentione, vt conditionem, vt patet in animalibus. Vndè ex hoc quod ratio finalizandi eft quandoq; effe in rerùm natura præfentialitèr, non excluditur vniuerfalitèr dictum huius art. p. fcilicet, fecundum quod eft in intentione habet rationem finis, femper enim exigitur ifta conditio, & fi in pure naturalibus illam quæris, memento quod opus naturæ eft opus intelligentiæ, & ceffabit quæftio. Ex his facile patet ratio, ac confonantia dictorum de fine. Ità Caiet. loc. cit.

Caiet. explicat fententiam S Doctor. trahendo illam ad fuum fenfum.

133. Quoad 2. Caiet. in art. 1. q. 1. in p. 2. & in p. p. q. 5. a. 4. fuftinet in via D. Thomæ, quod effe in intentione non eft ratio formalis fub qua finis terminat, & mouet, fed quod folùm fit conditio finalizantis appetitum. Et in fine art. 1. q. 1. in prima fecundæ ait. Quod totum hoc, & veritati, & doctrinæ prædictæ confonat. Auuerrois quoq; verba, quantùm ad propofitum fpectat, fcilicet, de finis ratione, nobis teftantur. Nàm de fine, quo ad rationem finis dicit, quod eft effe extrà, quod nos docuimus, quantùm verò ad effe intrà, quod fit, vel non fit conditio, nihil dicit. Quod verò dicit quod fecundum effe intrà, eft Agens; alterius negotij eft, & tractatum in primo libro, fcilicet, p. p. q. 80. art. 4. Ratio igitur formalis finalizandi, vt finis moueat voluntatem non eft apprehenfio bonitatis, fed bonitas ipfa apprehenfa. Caietanum fequuntur antiqui Thomiftæ, & multi ex modernis, fcilicet, Ferr. 1. cont. gent. c. 44. §. fciendum fecundo. Sotus 2. Phyf. q. 3. (in fequenti quæftione videbimus quid Caiet. alibi fentiat.

Concl. Caiet. ex p. p. q. 5. a. 4. cùm fua prob. 1.

134. Quo ad 3. Conclufio Caiet. refponfiua quæfiti cùm D. Th. eft in p. p. q. 5. art. 4. eft huiufmodi. Bonum habet rationem caufæ finalis, feù importat rationem finis in actu exercito. Probatur à Caiet. cùm D. Th. fub tali forma. Appetibile habet rationem finis; Bonum eft appetibile, ergo bonum habet rationem finis. Et S. Doctor pro veritate maioris, & minoris excludit tacitam obiectionem in corpore art. cit. dicens: fed tamèn ratio boni præfupponit rationem caufæ efficientis, & rationem caufæ formalis. Videmus enim quod id quod eft primum in caufando, vltimum eft in caufato. Ignis enim primo calefacit, quàm formam ignis inducat: cùm tamèn calor in igne confequatur formam fubftantialem; in caufando autèm, primum inuenitur, bonum, & finis, qui mouet efficientem: fecundo actio efficientis mouens ad formam: tertio aduenit forma, vndè è conuersò effe opportet in caufato, quod primum fit ipfa forma per quàm eft ens; fecundo confideratur in ea virtus effectiua fecundum quod eft perfectum in effe; quià vnumquodq; tunc perfectum eft, quando poteft fibi fimile facere, vt dicit Philofophus in 4. Meteorum; tertio confequitur ratio boni, per quàm in ente perfectio fundatur.

Prob. Caiet. per Inductionem.

135. Probatur 2. Conclufio à Caiet. ibidem loc. cit. Inductiuè fic. Cùm omnis ratio proptèr bonum, aut melius, finem afferat, opportet vt eadem ratione rem aliquam finem dicas, qua bonum eam afferis: ex fupradictis autèm patet, quod bonum formalitèr vnum quodquè dicitur, & eft, ratione effe. Finis igitur rationem, ipfa res habet, ratione ipfius effe: ità quod ficut forma eft ratio caufandi effectiuè: exiftere autèm eft conditio efficientis formæ; ità effe eft ratio caufandi finalitèr, effe autèm in intentione eft conditio effe caufantis finalitèr, effe autèm in executione non eft finis, fed terminus, & effectus tàm finalis, quàm efficientis. Et hoc inductione non ratione eget. Sanitas enim, fcientia Balneum &c. appetitur vt infit, vt habeatur &c, non in intentione, fed fecundum effe naturale ipfius,

ipsius, & sic esse est ratio, quod appetatur res, quod idem est quod finalizare; sed nunquam aliquod horum finalizaret trahendo appetitum ad se, nisi esset in intentione vt patet: ex hoc autem experimur sequi executionem rei, quæ vt finis mouet. Et hoc voluit Auter. 12. Met. Comm. 36. Et hoc bene penetratum soluit omnes difficultates apud intellectum abstrahentem rem, ab esse extra animam, ab esse in executione, & ab esse in intentione modo prædicto. Ità Caiet. art. 4. cit.

136. Conclusio eadem proponitur à Caiet. in p. 2. q. 1. art. 1. sub his verbis hoc modo. Vt quæstio ista non remaneat ambigua dico, quod esse in intentione non est ratio finis, sed eius conditio: esse verò in executione, nec ratio, nec conditio finis est, sed coincidens illi: esse autem in rerum natura est ratio finis.

Conclusio eadem Caiet. sub aliis verbis ex p. 2. q. 1. art. 1. cum sua probatione.

Probatur à Caiet. ibidem tota simul sic. Finis, bonum, & appetibile eiusdem sunt rationis, & conditionis, vt patet ex 2. Phys. & 1. Eth. ergo ratio appetibilis est ratio finis, & conditio appetibilis est conditio finis, & è conuersò. Et similitèr quod non est ratio vnius, non est ratio alterius, modo constat, quod ratio, quod sanitas appetatur est esse, non in anima (nàm non appetit infirmus sanitatem in anima) sed in rerum natura, ergo esse sanitatis in rerum natura est ratio finalizandi. Et rursus constat, quod sanitas nunquàm appeteretur nisi obiecta, & cognita, ergo esse in intentione est conditio finalizantis. Et rursus constat quod appetibile mouet non motum, ergo esse in executione, quod est esse in dependentia ad agens, non est ratio, nec conditio finis, sed quià finis generationis, & forma geniti coincidunt in idem num. ex 2. Phys. ideò esse in executione coincidens quoddam &c.

Et si quæras de esse sanitatis in rerum natura, an finalizandi ratio sit, quando est, aut quando futurum est. Resp. quod vtroq; tempore respectu diuersorum actuum appetitus cuius proprium obiectum est bonum, & finis. Nam esse in rerum natura sanitatis futurum mouet finalitèr appetitum secundum actum desiderij. Et idem esse postmodum præsens mouet appetitum etiàm finalitèr secundum actum delectationis. Habet enim hoc singulare genus causæ finalis, vt causalitatem suam actu exerceat etiàm habens tantùm esse in anima tanquàm conditionem causæ; nec hoc est magis mirum, quàm mirabilis sit diuersa natura causandi. Vide 4. Doctrinam suprà in primo loco quæstionis adductam. Ità Caiet. loc. cit.

137. Quo ad 4. Arguit Caiet. in p. 2. q. 1. art. 1. Ista Conclusio in via D. Th. non est ità certa sicut ponitur ergo &c. Probatur Antecedens: quià prætèr verba D. Th. in Resp. ad primum, vbi dicit quod finis, & si sit postremus in executione, est tamen primus in intentione agentis, & hoc modo habet rationem causæ; Prætèr hæc verba, difficultant Concl. diuersæ conditiones finis: Dicitur enim de fine, quod est prima causa, quod causa causarum, quod mouet agens, quod mouet non motum. Et rursus de eodem dicitur, quod est vltimum, quod optimum, quod penes defectum assecutionis ipsius dicitur agens frustrà egisse. Ex his enim videtur, quod esse finem conuenit rei secundum esse in rerum natura: nàm illud est vltimum, optimum, & quo non proueniente dicitur frustrà. Ex prioribus autèm apparet, quod esse finem conuenit rei secundum esse in intentione: nàm secundum illud est primùm, & causat omnem causalitatem cæterorum, & est mouens non motum. Verba quoq; S. Th. & Auuerr. in 12. Met. Comment. 36. non consonare videntur, dùm hic dicit, quod res prò vt est prior secundum intentionem, habet rationem finis, ibi verò dicitur, quod Balneum secundum quod est in anima, est agens desiderium, secundum verò esse extrà, est finis.

Arg. 1. Caiet. ex p. 2. q. 1. a. 1.

138. Resp. Caiet. De fine dicitur, quod est finis secundum quod est in intentione. Et verum est pro vt ly secundum, seù in quantum, denotat conditionem finis.

Resp. Caiet. ad 1. Arg.

 Et

Et quod est vltimùs, optimus, & secundum esse extrà, & perfectum &c. Vèrùm est prout denotatur ratio finis. Sed esto cautus, quod aliud est dicere. Finis ratio est vltima, optima perfecta, esse extrà &c. Et aliud est dicere finis ratio est in statu optimo, vltimo, perfecto, extrà animam &c. In primo denotatur quod ratio finalizandi sit talis secundum se formalitèr. In secundo verò, quod habeat talem statum, quasi conditionem requisitam ad finalizandum. Vndè prima concedatur; secunda autèm vtpotè falsa, neganda est. Sanitas enim desideratur secundum esse perfectissimum, quo ad rationem desiderabilis: sed cùm desideratur, non habet statum perfectissimum, imò ille desideratur, vt habeatur: Quod autèm objjcitur de frustrà non dicitur per priuationem causalitatis finalis, sed per priuationem assecutionis ex parte efficientis, præsupposita causalitate finali. Quod enim agitur proptèr finem, si non assequatur illum, frustrà laborasse dicitur. Et si instetur, quià in ipsa assecutione finis causalitas est finalis, iàm patet Responsio, quod est tunc consumatio finalizandi, sicut, & agendi. Et sic ex ratione ipsius frustrà nihil aliud habetur, nisi quod ratio finalizandi est esse in rerum natura, & quod esse in rerum natura, si futurum quidem finaliȥat: nouitèr autèm præsens consumat finalizationem desiderij, quod totum, & veritati, & doctrinæ huic consonat. Ità Caiet. loc. cit.

2. Argu. Caiet. loc. cit. 139. Arguit 2. Caiet. contrà id quod dicitur, quod ob ectum voluntatis est finis. Aut est sermo de formali, ac primo obiecto, aut non. Si sic, falsum est, nàm finis est pars subiectiua obiecti voluntatis, quià voluntas extendit se ad finem, & ad ea, quæ sunt ad finem, si non: tunc probatio Conclusionis est inualida &c.

Resp. Caiet. ad 2. Arg. Resp. Caiet. quod littera Art. loquitur de primo, & formali obiecto voluntatis, vt patet in Resp. ad secundum, & de fine in actu exercito, & propteréà addidit fini bonum dicendo finis, & bonum: hoc enim exercet finalem causalitatem. Necobstant ea, quæ sunt ad finem quoniam ea, quæ sunt ad finem vt sic non appetuntur nisi ratione finis, vnde ratio eadem semper est omnium volitorum, scilicet finis. Diuersimodè tamèn, scilicet, in se, vel in alio participata: & hoc formalitèr, vel virtualitèr, quod dico proptèr volita, vel nolita naturalitèr, seù absolutè de quibus in primo libro tractatum est. Ità Caiet. in p. 2. q. p. art. p. cit.

Arg. 3. Caiet. ex q. 5. a. 4. p. p. 140. Arguit tertio Caiet. in p. p. q. 5. art. 4. circà illam propositionem. Primum in causando, est vltimum in essendo. Instat sic. Aut est sermo de ordine in causando, & essendo absolutè, aut respectu huius, & in hoc. Si absolutè, est falsa. Tùm quià vltimus finis omnium, puta Deus, est primum in causando, & tamèn non est vltimum, sed primum quoque in essendo. Tum etiàm in exemplo litterę allato. Forma ignis non solum est primum in essendo, sed etiàm in causando, nàm prius forma ignis causat formalitèr ignem, siuè causantem, siuè causatum, quàm calor effectiuè calefaciat, & simile est in omnibus: semper enim forma præuenit in esse, & in causalitate formali. Si autèm respectu huius, aut in hoc, ergo non habet intentum, intendit enim absolutè ordinem Boni ad alia assignare, & non in hoc, vel illo.

Resp. Caiet. ad 3. Arg. Resp. Caiet. quod est sermo de ordine in causando, & in essendo absolutè. Sed obiectio peccat, tùm quià male interpretatur propositio: non enim intendimus, quod primum in causando, illud idem numero sit vltimum in essendo respectu eorum, quorum est primum in causando, hæc enim vniuersalis est impossibilis, neceam somniauimus, sed intendimus illud idem secundum rationem formalem, siuè eamdem specie, siuè eamdem genere, siuè eamdem secundum analogiam sit vltimum in essendo in ordine eorum, quorum est, primum est in causando. Et hoc modo ratio Bonitatis Diuinæ est prima in causando finalitèr, & ipsamet secundum analogiam est vltima in essendo in re quàlibet, vt patet ex art. cit. in Resp. ad primum. Tùm quià

quià testimonium in sensibilibus adductum peruertit, vt iàm dictum est, sensibilia hic adducta sunt, vt ex ordine in causando hoc, & in essendo in hoc causato, perciperemus ordinem in causando simplicitèr, & in essendo simplicitèr, non esse eumdem. Vndè licet forma substancialis ignis sit prior in essendo, & in causando simplicitèr, quàm calor, non tamen est prior in causando hoc, ideſt hunc ignem generandum. Priùs enim ordine generationis est calefactio, quàm generatio formæ ignis. Alteratio enim præuia est generationi, & tamen primum quod sortitur hic ignis genitus est forma ignis, & calor consequitur formam, sicut vniuersalitèr propria accidentia consequuntur formam. At si in sensibilibus ordinem simplicitèr cupis inspicere, aduerte quod causalitas formalis pendet necessario ex effectiua, & liquebit quæsitum, Ità Caiet. in p. p. q. 5. art. 5. in fine Comment.

QUÆSTIO XV. SECUNDI PHYSICORUM

Vtrùm Bonitas apprehensa, quatenus apprehensa, dicat totam rationem formalem et quæ, & subqua finalizandi in via D. Thomæ.

EX CAIETANO

P.p. q.80. art.2. in Resp. ad primum, & 82. art.4. & in p.2. q.22. art. 3. & 30. art. 3. in Resp. ad secundum, & 23. art. 4. & in 2.2. q. 132. art. 4. & alibi.

141. CAiet. præcedentem quæstionem resoluit potiùs ad mentem Auuerrois, quàm de mente D. Th. præsentem verò vt probabiliorem defendit pluribus in locis suorum Comment. interpretando mentem D. Th. & ait declarando titulum quod sensus est. An Bonitas à parte rei sit ratio formalis quæ, & apprehensio sit ratio formalis sub qua, ità quod istæ duæ rationes formales integrent vnum obiectum formale voluntatis, ideſt Bonum apprehensum, vndè apprehensionis diuersitas se habeat vt directè, & non per accidens, nec ex consequenti, nec indirectè, nec vt conditio, nec vt præuium requisitum, ad diuersificandas vires appetitiuas, imò sit, seù pertinent, non ad lineam manifestatiui, & cognoscibilis, sed ad lineam formalem determinatiuam Boni. Et sic verificetur sensus formalis D. Th. nedùm in illa Resp. ad primum, quando dicit, quod finis, & si sit postremus in executione, est tamen primus in intentione, & hoc modo habet rationem causæ; sed etiàm in omnibus locis cit. in titulo, semper D. Th. loquatur in sensu formali consequentèr ad prædicta verba, quod Bonum apdrehensum est obiectum formale finalizans voluntatem, & non vt conditio. Ità Caiet. loc. cit. vbique cum Medina, & alijs antiquioribus Thomistis. *Caiet. in loc. cit. aperit statum controuersiæ Tyronibus Thomistis, & declarat titulum quæsiti.*

142. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 80. art. 2. vbi examinat illam propositionem, scilicet, quod appetitus, est potentia passiua ab obiecto, quærendo an appetibile moueat appetitum in genere causæ efficientis; notat, inquam Caiet. Resp. D. Th. ad primum vbi habetur, quod appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, *Doctr. 1. Caiet. ex p.p.q.80. art. 2. quod appetibili non accidit esse apprehensum.*

sum, vel intellectum, negando per hoc S. Doct. minorem propositionem in suo Argumento primo: Sed accidit appetibili, quod sit apprehensum per sensum, vel intellectum; & hinc probat S. Doctor oppositum, quia appetibile non mouet appetitum, nisi in quantum est apprehensum. Vndè differentiæ apprehensi, sunt per se differentiæ appetibilis. Vndè potentiæ appetitiuæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicùt secundum propria obiecta. Caiet. addit. In Resp. ad primum occurrerent non dubitatio, sed argumentationes eorum, qui paralogizant appetitum posse appetere non apprehensum. Sed quoniam de appetitu animali, de quo est sermo, loquendo, fatuum est, hoc vertere in dubium, cùm continua experientia id doceat, & quolibet proferente contraria, sollicitum esse, stultum est; idcircò vide apud Capreolum hæc, si tempus vacat. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. loc. cit. quod appetibile apprehensum mouet aliquo modo effectiuè; simpliciter tamen finaliter.

143. Adnotat secundo Caiet. ibidem, quod appetibile, & appetitus possunt dupliciter comparari, scilicet, in ordine ad actum appetitionis, communem vtriusque effectum (siuè quo ad exercitium moueat effectiuè appetitus, siuè quo ad specificationem moueat etiàm effectiuè appetibile seù obiectum) & possunt comparari intèr se. Si comparentur ad communem effectum, sic appetitus inuenitur causa prior, semper enim quod est priùs in effectu respondet priori causæ, & quod est posterius posteriori causæ; constat autèm quod specificatio actus, posterius quid est, quàm substantia actus specificati, & quod specificatio respondet obiecto, & substantia actus appetitui. Igitur appetitus prior inuenitur causa efficiens in ordine ad actum. Si autèm comparantur intèr se, sic appetibile inuenitur causa prior, quià appetibile reducit appetitum de potentia ad actum specificationis, & non è conuersò; & ideò etiàm in genere causæ efficientis, appetibile obtinet primatum, & est mouens immobile, appetitus autem mouens motum ab ipso appetibili: oportet enim appetitum specificatum ab obiecto, mouere quodcumque mouet appetendo. Similitèr non obstat, quod inest appetitui: oportet enim iuxtà naturarum diuersitatem diuersimodè, & diffinitiones, & proprietates assignare. Singulare autèm hoc est in appetitu, quod ratio agendi in appetente quidem non mediante appetitu, sed apprehensiua vi esse debet. Et meritò, quoniàm appetere opus est vtriusque virtutis, nec sibi, sed appetenti animali appetitus appetit: sibi enim naturalitèr appetitus appetit, sicut, & cæteræ potentiæ. Vndè appetibile mouere appetitum in duplici genere causæ 12. Met. Comment. 75. optimè dixit Auuerroes, scilicet, effectiuè secundum quod est apprehensum, & finalitèr secundum quod est extrà animam. Et vtroque modo specificat actum. Et sic appetitus est potentia verè passiua ab obiecto, quià reducitur ab eo de potentia ad actum specificationis, recipitque ab eo actum specificatum in quantùm specificatum. Verùm quià ista reductio de potentia ad actum fit ab obiecto, vt dictum est, multiplicitèr, scilicet, in ratione finis, & termini, & rationis agendi, cautum opportet esse ad intelligendum Doctorum dicta, & singularitèr S. Doctoris: In primis enim, quià causalitas finalis manifestissimè conuenit appetibili, ideò illa sæpiùs nominatur, illa sæpiùs Philosophi vtuntur, vt patet in Arist. Ità Caiet. art. 2. q. 80. cit. qui ibi etiàm subtilissime probat, nedùm appetibile mouere finalitèr sed effectiuè quo ad actum specificandi.

Doctr. 3. Caiet. ex loc. cit. p. p. quod Bonum apprehensum mouet quidem effectiuè, sed radicaliter.

144. Adnotat tertio ibidem consequentèr ad prædicta, quod causare effectiuè contingit non vno, sed multis modis, scilicet, primo vt ipsa causa, & participatiuè vt ratio causandi, & secundario vt instrumenta causarum, &c Et medium quandoque distinguitur contrà extremum, inde est quod causare actiuè per modum rationis agendi, quandoque distinguitur contrà causare causæ efficientis, quemadmodum etiàm distinguitur contrà ipsam causam efficientem. Et hoc modo S.Th. in p. a. q. 9. distin-

distinguit causalitatem obiecti à causalitate appetitus, hac efficientis, illam formæ vocans, quià ista est primo agentis, illa non agentis, sed rationis agendi. Et confirmatur hæc interpretatio, quià alioquin opportet ponere quintum genus causæ: non enim sufficit ipsi verbo dicere, causat per modum formæ: sed cùm certùm sit, quod loquitur de forma, quæ est ratio agendi, & illam constat habere causalitatem pertinentem ad genus causæ effectiuæ, consequens est, quod illius causalitatem; non contrà totum genus causæ effectiuæ distinxit, vt male intellectus fuit, sed contrà proprijssimum, & primum illius generis modum. Proptèr hanc rationem, & vnam aliam, scilicet, quià hic efficiendi modus est annexus finali causæ, non qualitercumque, sed vt radici, nàm appetibile quià finis est, ideò ratio appetendi est ipsi appetitui; ideò ad vtrumque respiciens D. Th. scilicet, ad diminutùm modum agendi, & ad radicem illius, dixit in q. 82. quod intellectus non mouet voluntatem, eo modo quo voluntas mouet intellectum, quià hæc effectiuè, ille vt finis, idest quià hæc vt causa efficiens, ille vt causa finalis ac per hoc non vt efficiens, sed vt efficiendi ratio. Ex hac quoque radice saluatur, quod Arist. non æquiuocauit ordinem mouentium ad vnum reducens mouentem immotum, quià ad appetibile. Seruatur namque idem genus causæ hoc modo vt patet ex dictis. Et breuitèr omnia consonant. Ità Ciet. qui defendit in via D. Th. saltèm radicalitèr obiectum apprehensum quatenus apprehensum finalizare, & appetitum, & actus. Ità loc. cit.

ier vt causa finalis.

145. Adnotat quarto Caiet. in 2. 2. q. 132. art. 4. quod quià finis, & medium ad finem alitèr se habent secundum ordinem intentionis, & alitèr secundum ordinem executionis: prius enim est in intentione sanitas, quàm medicina, in executione autèm priùs adhibetur medicina, quàm acquiratur sanitas; ideò cum superbia, & inanis Gloria, se habeant vt finis, & medium, prior est in intentione excellentia, quæ est finis superbiæ, & consequentèr apparentia, quæ est finis inanis Gloriæ: sed secundum ordinem executionis primo quærimus apparere, vt manifesti iàm, & clari excellentiam consequamur. Quærunt siquidem superbi manifestare se tanquàm virtute aut potestate, aut industria præditos, vt manifesti amentur, & honorentur. Bonum enim naturalitèr amatur, & honoratur, cum manifestum est. Amati autem, & honorati clari habentur. Qui autèm gloriosi habentur, propinqui satis sunt, vt exaltentur ad dignitates, & excellentias, & sic gloria est medium ad excellentiam acquirendam. Et sic oritur inanis gloria ex superbia, sicut medium ex fine. Oritur nihilominus gloria ex excellentia, tanquàm quasi passio ex subiecto, dum excellere minus æstimamus, nisi effluat in aliorum notitiam iuxtà illud. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter. Ità Caiet. art. 4. cit. qui confirmat, quod apprehensio per se specificat, distinguit, & diuersificat cùm ipsa bonitate virtutes, & cum malitia, vitia.

Doctr. 4. Caiet. ex 2. 2. q. 132. art. 4. quod esse in intentione vitia causant vt finis.

146. Adnotat quinto Caiet. vt consequentèr loquatur in via D. Th. de præsenti quæstione Resp. ad secundum art. 3. q. 30. in p. 2. vbi dicitur, quod diuersitas concupiscentiarum naturalium, à non naturalibus non est materialis tantùm, sed etiàm quodammodo formalis, in quantùm procedit ex diuersitate obiecti actiui: Obiectum autèm appetitus est bonum apprehensum, vndè ad diuersitatem actiui pertinet diuersitas apprehensionis pro vt, scilicet, apprehenditur aliquid vt conueniens absoluta apprehensione, ex qua causantur concupiscentiæ naturales, quas Philosophus vocat in lib. Reth. c. 11. irrationales: & pro vt apprehenditur aliquid cum deliberatione, ex qua causantur concupiscentiæ non naturales, quæ proptèr hoc dicuntur cum ratione.

Doctr. 5. Caiet. ex p. 2. q. 30. art. 3. quod apprehensio non est conditio, sed vt ratio obiectiua.

Addit Caiet. ad hanc Resp. D. Th. quod Auctor indefessè dispositionem specificam ex obiecto sequens (quià in obiecto appetitus duo sunt, res, & apprehensio, &

ex doctrina præcedentis art. 2. cit. constat quod distinctio rei materialitèr concurrit) ad distinctionem apprehensionis confugit: apprehensio autèm prima distinctione diuiditur in absolutam, & discursiuam. Intellectus enim, & ratio primo distinguunt aprehensionem intellectuum, & his proportionalitèr respondentia distinguunt apprehensionem. Igitur auctor illa, quæ absolutè apprehensa delectant, naturalitèr concupisci; & illa quæ ratiocinatione apprehensa delectant, rationalitèr concupisci, ac per hoc specie distingui infert, vt patet in littera. Absoluta autèm apprehensio hoc in loco excludit non solum actualem discursum, sed omnem collationem tàm formalitèr, quàm virtualitèr communitèr requisitam. Dico autem hoc proptèr persuasos ex consuetudine, vel lenitate, qui & si absoluta apprehensione formalitèr ad concupiscentiam rationalem moueantur, videtur tamèn ibi esse apprehensio discursiua virtualitèr, vel ex præcedentium efficacia, vel ex dispositione subiecti. Ex hac autèm responsione maximè liquet, quod apprehensio respectu obiecti appetitus non se habet vt approximatio actiui, vel passiui, sed vt ratio obiectiua. Et hoc sinè dubio opportet omnes fateri ex eo, quod nihil differt Bonum, vel apparens Bonum, & ex eo quod appetitus est malus tendens in verè bonum, apprehensum vt malum. Et hæc benè notabis contrà Scotum, & quoscumque ponentes apprehensionem, vt præuium quid ad appetitum, quasi approximationem actiui ad passiuum, & appetitum ad cognitionem, quasi solo ordine præsuppositionis consequi, quod longè est à Philosophia. Ità Caiet. art. 3. cit. q. 30. qui cùm D. Th. respuens apprehensionem finis vt conditionem, & statuens illam cum D. Th. per se diuersificatiuum cum Bonitate, decidit illam quæstionem, an cognitio finis requiratur ad hoc vt finis moueat volutatem, an pura apprehensio; an iudicium; an sufficiat aliquando simplex apprehensio, aliquando non, sed requiratur iudicium vt voluntas operetur proptèr finem, non autèm quando agitur. Quid sentiat Caiet. habes ex præsenti Doctrina.

Doctr. 7. Caiet. ex p. 2. q. 22. art. 3. quod causalitas finalis est etiàm effectiua, & Bonum apprehensum finalizat voluntatem.

147. Adnotat 7. Caiet. in p. 2. q. 22. art. 3. quod Auerrois in de substantia Orbis reprehendit dicentes finem non esse agens, dicendo quod finis significat agens significatione necessaria. Quià verò causalitas ista non est, nec potest esse purè effectiua, sed est effectiua, & finalis, connumerata est contrà finalem à S. Th. in p. p. & alibi, quià autèm in veritate interuenit causalitas effectiua, ideò hic, & alibi, quandoq; exprimitur, quod bonum apprehensum est actiuum, & appetitus est passiuus ab obiecto. Est ergo differentia intèr intellectum, & voluntatem in mouendo, in hoc quod voluntas mouet effectiuè intellectum, & alias: animæ vires quo ad exercitium actus; Intellectus autèm mouet illam finalitèr, & cùm hoc effectiuè ad specificationem actus, & illa efficientia, quæ necessàriò jungitur fini, finalis tantùm causalitas expressa est. Quod autèm hæc sit Auctoris mens, non solùm ex dictis nunc haberi potest, sed ex superius dictis, scilicet, quod intellectus ratione obiecti mouet appetitum in genere causæ formalis, de quo tamèn nulla in p. p. q. 82. art. 4. fit mentio. Ex hoc enim habeo, quod si etiàm cùm dictione exclusiua Auctor dixisset intellectum mouere voluntatem finalitèr solùm: ad hoc starent, quæ diximus, eo quod exclusio non fit à concomitantibus. Et vt dictum est causam finalem concomitatur efficiens supradicto modo, & formalis respectu actuum, vt superius explanatum fuit. Ità Caiet. art. 3. cit. q. 22.

Doctr. 8. Caiet. ex p. 2. q. 23. art. 4. quod differentiæ virtutum, & passionum spe-

148. Adnotat 8. Caiet. in p. 2. q. 23. art. 4. Actiua dupliciter inueniuntur, scilicet, in esse naturæ, & in esse apprehenso. In agentibus in esse naturæ manifestum est, quod distinctio eorum secundum naturas, alia est à distinctione eorum secundum virtutes: Elementa enim, & animalia alia distinctione distinguuntur secundum naturas eorum, & alia secundum virtutes eorum, licet istæ oriantur ex illis. In agen-

agentibus autèm quià apprehensa, distinctio naturarum patet, cùm cibus talis differens ab illo alio secundum speciem apprehensus mouet appetitum. Distinctio autèm secundum virtutem est secundum diuersam rationem apprehensionis, ità quod eadem res secundum naturam diuersimodè apprehensa non qualicumq; diuersitate, sed diuersitate Bonitatis, vel malitiæ præsentis, vel futuræ, vel absolutè, vt patet in tractatu passionum. Alia enim ratione mouet malum præsens apprehensum, & alia futurum, illud enim mouet ad tristitiam, hoc ad timorem: vndè ostenditur quod illud habet virtutem actiuam ad inferendam illam passionem, hoc ad inferendam istam: ità quod ex ipsa diuersa ratione, qua apprehenditur eadem res habet diuersam virtutem mouendi appetitum. Et vult S. Doctor quod istæ differentiæ virtutum, & passionum ad differentias apprehensionis spectent. Obiectum namque appetitus non est res, sed res apprehensa. Et propterea differentia formalis passionum, non solùm ex distinctione rei, sed ex distinctione rei vt apprehensa constat. Et hinc habes, quod passio odij & iræ, similium non diuersificantur specie ex diuersitate malorum, puta mortis, verberis, carceris, &c. Differentia enim naturarum materialitèr, & non formalitèr concurrit. Verùm autèm diuersitas naturarum diuersificet habitus harum passionum, seù ipsas in genere moris inferius in p. 2. & in 2. 2. tractabitur. Ità Caiet. art. 4. cit.

stant per se ad diuersitatem apprehensionis.

149. Adnotat vltimò Caiet. ibidem art. 4. cit. quod in Agentibus in alia quatenus apprehensa, sunt, agere, & attrahere simul concurrunt, ità quod bonum apprehensum absolutè infert passionem amoris, & sic trahit per amorem. Et apprehensum vt futurum infert passionem desiderij, qui est motus ad se, & sic trahit per motum; & apprehensum vt præsens infert passionem delectationis, & sic trahit per quietem. Si hæc cum prædictis notaueris videbis, quomodo est eadem, & quomodo diuersa ratio appetibilis, seù finis, vt tendatur in ipsum, & quiescatur in eo, est enim eadem secundum naturam, & diuersa secundam virtutem, quod est esse eamdem materialitèr, & diuersam formalitèr respectu passionum. Et hoc non potest esse ex obiecti natura, nec ex obiecti conditionibus, puta præsentia, vel absentia, & huiusmodi. Si hæc perspicacitèr Scotus considerasset, hanc improbatam nunc Phantasiam non dixisset. Ità Caiet. art. 4. q. 23. in p. 2.

Doctr. 9. Caiet. ex loc. cit. art. 4. quod in Bono apprehensio concurrit simul agere, & attrahere.

150. Quo ad secundum Caiet. quid tenendum sit in via D. Th. de apprehensione, seù de esse finem in intentione pro sua causalitate an concurrat vt ratio formalis sub qua, & non vt conditio, in p. p. q. 80. art. 2. dicit sic. Opiniones sunt tres. Alij tenent solum appetitum esse causam actiuam volitionis, & in his sunt Scotus in 2. sent. dist. 25. Henricus, & Capreolus, quamuis fortè de causalitate obiecti differant, quià aut ponitur causa sine qua non vel remouens prohibens, scilicet, puta ignorantiam, aut etiàm causa formalis, & finalis. Alij verò tenent solum obiectum esse causam actiuam, & in his dicitur Godofredus. Alij autèm tenent vtrumque obiectum, scilicet, & appetitum actiuè concurrere. Et in his Heruæus Gregorius, & Adam videntur. Opiniones verò in via S. Th. sunt duæ. Capreolus enim Berardum de Gandauo sequens tenet apud S. Th. Obiectum non actiuè, sed formalitèr, & finalitèr tantùm concurrere. Alijs autèm videtur, quod etiàm apud S. Th. actiuè concurrat, particularitèr tamen. Et quod hæc sit mens S. Th. teneo ego, & doctrina eius, hic, & in p. 2, diligentèr perspecta testatur, & ponderandæ potissimè sunt duæ rationes ipsius, quas infrà in conclusione adducemus. Ità Caiet. in art. 2. q. 80. In art. verò 4. q. 82. ait sic. Distinctio D. Th. est ista mouere dupliciter, finalitèr, & effectiuè. Conclusio iuxtà primum membrum est, quod intellectus mouet voluntatem finalitèr. Probatur quià bonum intellectum est obiectum voluntatis mouens

Opiniones recitatæ à Caiet. in p. p. q. 80. art. 2. & q. 82. art. 4. & alibi in p. 2. circà apprehensionem, siù esse in intentione sit conditio finis, vel ratio formalis obiectiua in via D. Th. & non in via Auerrois.

 ipsam

ipsam vt finis. Circà hoc, ea quæ dicenda essent non opportet repetere, quoniàm in q. 80. art. 2. dicta sunt, vbi declaratum est, quomodo bonum intellectum mouet vt finis, & actiuè quo ad specificationem actus voluntatis. Ità Caiet. art. 4. cit.

Quid Thomistæ antiquiores, & moderni sentiant de Caietani sent. in præsenti quæst. iuxta viã D. Th. & non Auerrois.

151. Caiet. igitur in tota p. 2. & 22. vult interpretando D. Th. quod in via S. Th. Bonitas apprehensa, vt ly apprehensa dicit rationem formalem sub quã, & non conditionem sit tota ratio finalizandi: cùm non sit nouum in via D. Th. quod res diuersæ intèr se, puta bonum à parte rei, & in intentione intèr se coalescant in vnam rationem formalem obiectiuam, vt patet etiàm in obiectis scientiarum. Et si Caiet. in p. 2. q. 1. art. 1. in Resp. ad primum gloset dictum D. Th. de ly in quantum quod denotet conditionem, hoc facit quià, & ibi, & in q. 5. vt vidimus in præcedenti quæstione sequitur viam Auuerrois, quod, scilicet, bonum in esse rei, & extrà animam, habeat tantùm causalitatem finalem, & esse in intentione sit, conditio, & in hoc constans est Caiet. vbique quando sequitur Auuerroim. Cæterùm in interpretatione D. Th. & in p. p. loc. cit. & in p. 2. & in 2. 2. sequendo viam D. Th. firmitèr tenet quod bonum apprehensum est totum obiectum formale finalizans voluntatem, & eius actus, esto diminuto modo actiuè concurrat ad specificationem illorum. Ità interpretatus, & sequutus sum Caiet. in omnibus Cathedris Philosophicis, & Theologicis, quas moderatus sum Cremonæ, Genuæ, Placentiæ, & postremò Bononiæ per viginti, & duos annos. Sic intelligo Caiet. & idem dicunt antiquiores Thomistæ, scilicet, Capreolus. Ferr. p. cont. gent. c. 19. Flandria B. Albertus Magnus, &c. Et ex modernis Io: Martinez de Prado, & Magister Franciscus de la Cruz Ord. Præd. qui in suo opusculo Propositionis Theologicæ citat cum alijs modernis Caiet. pro hac sent. in p. p. q. 80. & q. 82. Et p. 2. q. 22. & q. 30. & q. 67. art. 6. ad secundum, vt adnotationes suprà Caiet. demonstrant.

Conclus. Caiet. in p. p. q. 80. art. 2. & in p. 2. locis cit. & alibi cum sua probatione quo ad primam partem.

152. Quo ad 3. Conclusio Caiet. in p. p. q. 80. art. 2. & in p. 2. loc. cit. est huiusmodi pro vt est responsiua quæsiti. Bonum apprehensum, esto aliquo modo diminuto actiuè, & effectiuè concurrat quod ad specificationem respectu actus voluntatis; est nihilominus totum obiectum formale finalizans voluntatem, & eius actus, & apprehensum non est conditio. Prob. a Caiet. prima pars sic. In art. 2. q. 80. cit. Appetitus est in potentia secundum se ad huiusmodi specificationem, & non reducitur in actum talem à se ipso: ex hoc enim sequitur, ergo aut à nullo effectiuè, quod est stultum, aut ab obiecto quod est intentum. Altera ratio probat primam partem ex parte obiecti, quod verbum producit amorem in genere causæ efficientis. Et ex hoc, arguitur sic. Subsistentia adiuncta alicui causæ, non variat causalitatem illius de vno genere causandi in aliud, quamuis variet modum causandi, sicut & modum essendi, quià dat illi esse, & causare vt quod, quæ absque subsistentia causabat vt quo, quià erat vt quo, ergo subsistentia adiuncta verbo cordis, non variat genus causalitatis respectu appetitus, sed modum causandi tantùm, ergo eodem genere causæ; esto non eodem modo causet amorem verbum cordis absolutè, & verbum subsistens: sed verbum subsistens apud S. Th. causat actiuè amorem, ergo, & verbum absolutè, sed illud vt quod, hoc vt quo. Constat autèm verbum cordis nihil aliud esse, quàm obiectum apprehensum, ergo &c. Et sic Benedictus Deus. Ità Caiet. art. 2. q. 80. cit.

Probatio Caiet. ex suis Doctrinis pro 2. p. Conclus. quæ est iuxtà viã D. Th. responsiua quæsiti.

153. Probatur secunda pars Conclusionis, vt potè principalitèr respondens huic quæsito à Caiet. ex suis Doctrinis allatis suprà in tali forma. Quod directè, & per se, & non ex consequenti, nec per accidens indicat distinctionem virium appetitiuarum, & est intrà eamdem lineam appetibilitatis vt ratio formalis sub qua, hoc verè est obiectum formale in via D. Th. Sed bonitas apprehensa vt apprehensa ità se habet in via D. Th. ergo in via D. Th. Bonum apprehensum, vt apprehensum erit

verè

verè per se finalizans voluntatem, & suos actus, seù suas vires appetitiuas distinguendo illas, & determinando illas. Maior de se constat, & est ratio, seù medium aduersariorum ad probandum quod apprehensio non sit ratio formalis sub qua. Minor est D. Th. in omnibus locis suæ Doctrinæ, vt euidentèr Caiet. demonstrat in Doctrinis suprà allatis in prima parte quæsiti. Apprehensio enim se habet vt lux in ipsa bonitate, sicuti lux est ratio formalis sub qua determinatiua coloris, idest in eadem linea visibilitatis; Imò de apprehensione, & bonitate in esse rei extrà animam, sæpè ac sæpiùs Caiet. cum D. Th. habet, vt vidimus suprà, quod ista se habet vt concurrens materialitèr ad distinguendas, diuersificandas, & determinandas vires appetitiuas; illa verò formalitèr, ergo erit ratio formalis sub qua; cum semper dicat Caiet. cum D. Th. quod licet ratio quæ, sit formalis, ingrediens formalitèr intrà lineam obiecti formalis; attamèn comparatiuè ad rationem sub qua formalem, videtur vt quid materiale vt potè minùs formalis. Ità Caiet. in interpretatione, & Comment. dictorum D. Th. in hac materia de bono, in esse apprehensiuo, seù in intentione.

154. Quo ad 4. Arguit Caiet. immediatè contrà hanc secundam partem Conclusionis ex Thomistis qui pro se ipsis, ex sua parte afferunt D. Th. auctoritatem ex q. disp. q. 25. de verit. art. 1. ad sextum, quasi quod D. Th. teneat ibi diuersitatem apprehensionis, se habere per accidens. Auctoritas est hæc. Sola apprehensionis diuersitas per accidens se habet ad variandos appetitus, nisi coniungatur diuersitati apprehensorum, ergo in via D. Th. sentiendum est alitèr. *Arg. 1. Caiet. contra 2. partem Conclusionis ex D. Th. auctoritate.*

Resp. Caiet. mirum esse, tot illustres Doctores mutilasse hunc textum D. Th. cum apertè videant alibi in tota sua summa Sanctum Doctorem docere apprehensionem concurrere per se, & directè ad diuersificandas vires appetitiuas. Si textus esset, vt ipsi referunt, vtique haberent pro se D. Th. in illo loco. Textus loquitur conditionalitèr, & dicit sic. *Sola apprehensionis diuersitas per accidens se haberet, nisi coniugeretur diuersitati apprehensorum.* Non ergo textus loquitur absolutè, sed conditionatè; & conditio non ponit in esse, dicens ly *se haberet*, & non dicit ly se habet. Nulla est ergo auctoritas in via D. Th. pro Godoy, & Io: à S. Th. & aliorum pro contraria sententia ipsorum, qui ponunt, ly apprehensio, seù intentio, esse conditionem non rationem formalem. Sic notat Io: Martinus de Prado ad fauorem D. Th. & Caiet. sui fidelissimi interpretis in sua Metaphysica. *Resp. ad Arg. 1.*

155. Arguit secundo Caiet. in prima secundæ q. 22. art. 3. ex D. Th. contrà eamdem secundam partem Conclusionis suprà sic ad hominem. S. Th. in p. p. q. 82. art. 4. ponit differentiam intèr motionem intellectus à voluntate, & è conuersò in hoc, quod intellectus finalitèr, voluntas verò effectiuè mouet. Et hic vult, quod bonum intellectum, & actiuum in voluntatem, scilicet, in p. 2. ergo iuxtà viam D. Th. ly apprehensum non potest dicere causalitatem finalem, sed effectiuam. *Arg. 2. Caiet. ex p. 2. q. 22. art. 3. ex auctoritate D. Th.*

Resp. Caiet. ibidem. Ad hoc dicitur, quod bonum apprehensum mouet appetitum dupliciter effectiuè, scilicet, & finalitèr. Effectiuè quidèm causando ipsum appetitus actum; finalitèr verò, quoniàm ipse actus in appetitu causatus tendit in bonum apprehensum, vt finem: differentèr tamèn apprehensum bonum causat vtroq; modo, quià ad causandum effectiuè vtitur esse vt forma, ad causandum verò finalitèr vtitur esse, vt esse: Appetibile enim, puta sanitas, apprehensa ratione sui esse quasi forma, facit in appetitu desiderium sui, vt fit in esse reali; iuxtà illud Auerrois in p. Met. comm. 36. Balneum in anima agit desiderium, &c. *Resp. Caiet. ad Arg. 2. ad hominem.*

Vndè intèr cæteras causalitates effectiuas, & hanc, qua appetibile mouet appetitum duplex est differentia, vna occulta, quià reliquis forma est ratio agendi; altera manifesta, quià in cæteris causa effectiua non per se est nisi effectiua; in hac verò

 ne-

necessariò ipsa effectiua est finalis, non per accidens sed per se; de qua manifesta differentia vide suprà Adnotationem septima. Ità Caiet. art. 3. cit.

Arg. 3. Caiet. ex p. 2. q. 23. art. 4. quod Bonum, & Malum apprehensum pariformitèr se habeant in causando finalitèr cum sua Resp.

156. Arguit tertio Caiet. in q. 23. art. 4. prima secundæ in quarto dubio. Quomodo malum causet depulsiuè; cùm omne agens producat sibi simile: ac per hoc trahat patiens ad sui participationem, vndè sicut bonum causat ad se, ità malum.

Resp. Caiet. ad quartum Dubium dicitur, quod differentia intèr actiua quià sunt, & actiua quià apprehensa, soluit argumentum: actiua enim quià sunt, cùm sint determinata ex natura propria ad producendum illi simile, non possunt nisi ad se trahendo per viam assimilationis agere, siuè bona, siuè mala sint illis, in quæ agunt. Actiua verò quià apprehensa, quià apprehensio ad bonum animalis ordinatur (datur enim vis tàm apprehensiua, quam appetitiua animali) proptèr bonum ipsius animalis: actiua sunt non ad se, sed ad animal ipsum trahendo: vndè causant in animali id quod conuenit animali in ordine ad tale obiectum, & non id quod conuenit tali obiecto; vndè malum apprehensum non causat in animali motum ad se, sed à se: hoc enim est causare conueniens animali in proportione ad tale obiectum: proptèr quod sicut bonum apprehensum diuersimodi agit in animal, attrahendo per consonantiam, vel motum, vel quietem: ità malum apprehensum depellendo dissonantiam, fugam, & inquietudinem. Ità Caiet. art. 4. cit.

QVÆSTIO XVI. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm malo competat aliqua causalitas Physica, & cuius effectus sit causa

EX CAIETANO

P. p. q. 48. art. 1. 2. & 3. & q. 49. art. 1. 2. & 3. & alibi in suis Comment.

157. CAiet. in q. 49. art. 3. p. p. circà Titulum ait. Titulus directè quærit de causa efficiente. Et in q. 48. p. p. art. 2. ait. In Tit. Malum inueniri in rebus non significat esse reale, quoniam hoc iàm exclusum est, sed significat esse communitèr in rebus. In rebus autèm dicitur proptèr ea, quæ solum inueniuntur in anima, vt secundæ intentiones. Et est quæstio pro vt sic inuenitur in rebus, an habeat aliquam causalitatem effectiuam, & loquimur de inuentione formali, ità quod non intendimus quærere, vtrum malum pro vt habet fundamentum in rebus, habeat aliquam causalitatem, sed an habeat illam pro vt inuenitur formalitèr in rebus. Ità Caiet. loc. cit.

Aperitur Titulus à Caiet. in loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 48. art. 1. in qua dicitur quid sit malum.

158. Adnotat primo Caiet. cum D. Th. quod cum malum sit negatio boni notat Caiet. in Resp. ad quartum art. p. q. 48. p. p. declarationem D. Th. circà quoddam dictum D. Dyon. cap. 4. de Diuinis nominibus. Malum non agit, neque desideratur nisi virtute boni adiuncti, per se autèm est infinitum, & pratèr voluntatem, & intentionem. Et Caiet. addit quo ad tertium quià malum negatione boni stabilitum est, & Dyonisius, malum negatione non solum boni, sed entis diffiniuit; Ideò Auctor dicit hoc dictum esse secundario, quoniàm ens vt sic est bonum: negatio igitur

vnius

vnius est negatio alterius, & è conuersò; & ideò malum negatio vtriusq; à Dyonisio ponitur, sed quià boni est primò, ideò per bonum est diffinitum à nobis. Ità Caiet. loc. cit.

159. Adnotat 2. Caiet. cùm D. Th. in art. 3. q. 48. cit. quod malum licet importet remotionem boni, non tamèn quælibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni, & priuatiuè, & negatiuè. Remotio igitur negatiuè accepta mali rationem non habet. Alioquin sequeretur, quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent. Et iterùm quod quælibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei, vtporè quod homo esset malus, quià non habet velocitatem Capreæ, vel fortitudinem Leonis; sed remotio boni priuatiuè accepta, malum dicitur, sicut priuatio visus, cæcitas dicitur. Subiectum autèm priuationis, & formæ est vnum, & idem, siuè sit ens in potentia simplicitèr, sicut materia prima, quæ est subiectum formæ substantialis, & priuationis oppositæ; siuè sit ens in potentia secundum quid, & in actu simplicitèr, vt corpus Diaphanum, quod est subiectum tenebrarum, & lucis: manifestum est autèm, quod forma, per quàm aliquid est actu, perfectio quædam est, & bonum quoddam, & sic omne ens in actu bonum quoddam est. Et similitèr omne ens in potentia in quantùm huiusmodi, bonum quoddam est, secundum quod habet ordinem ad bonum sicut enim est in potentia, ità, & bonum in potentia. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 3. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p. p. q. 48. art. 3. quomodo malum sit remotio boni.

160. Quo ad secundum narrantur errores, ait Caiet. in art. 3. q. 49. p. p. & confutantur à S. Doctore ibi ex vna communi radice. Errarunt ponentes duo prima principia bonum, & malum in duobus. Primum est aliqua natura est in se mala. Secundum est prima principia sunt contraria. Ratio primi erroris fuit, quià considerauerunt naturam aliquam puta ignem, vt nociuam huic. Confutatio autèm huius est, quià simplicitèr debet considerari vt pars totius vniuersi, quoniàm sic omnis res ordinatissimè suum locum obtinet, atq; bona est. Ratio verò secundi erroris fuit, quià effectus contrarios in causas tantùm contrarias reducere nouerunt. Confutatio verò eius est, quod reducenda sunt contraria in communem, & vniuersalem causam, quod probatur, quià omnia contraria conueniunt in aliquo, puta genere, & subiecto. Par enim est Iudicium de vnitate formæ, & agentis, cùm similia sint, & actiui, & passiui, cùm debeant adæquari; & manifestatur in corpore Cœlesti respectu inferiorum: sicut suprà qualitates contrarias Elementorum inuenitur virtus corporis Cœlestis, & similitèr suprà omnia, quæ quocumq; modo sunt, inuenitur vnum primum principium essendi vt ostenditur in p. p. q. 2. art. 3. quoniàm omnia in participatione esse conueniunt. Et hæc est communis radix horum, & similium errorum, quià, scilicet, particulares causas, & non vniuersalem causam entium in eo, quod entia, attigerunt. Ità Caiet. art. 3. q. 49. cit. Modus igitur sciendi hoc quæsitum consistit in hoc quod opportet ex ratione boni accipere quid sit malum; cùm vnum oppositorum cognoscatur per reliquum, vt tenebra per lucem. Ità Caiet. in art. 1. q. 48.

Opiniones erroneæ recit. à Caiet. in p. p. q. 49. art. 3. & confutatæ ibi.

161. Quo ad 3. Caiet. cùm D. Th. ponit hanc suam Conclusionem primam vt præambulam ad Responsiuam quæsiti in art. 1. q. 48. p. p. sic. Malum est quædam absentia boni. Probatur à Caiet. cùm D. Th. sub tali forma. Omne appetibile est bonum, ergo esse, & perfectio cuiusq; naturæ est bonitas: ergo malum non significat esse, aut formam, aut naturam aliquam, ergo est quædam boni absentia. Prima consequentia probatur quià omnis natura appetit suum esse, & suam perfectionem. Addit Caiet. ibidem post hanc probationem, quod in Conclusione ponitur ly quædam absentia, quià non omnis negatio boni est malum, sed negatio boni de-

1. Concl. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 48. art. 1. cùm sua probatione.

debiti vt in 3. cont. gent. cap. 6. patet. Absentia ergo debitæ præsentiæ boni, malum est; debita autèm præsentia est, quando, sicut, vbi, in quo &c. debet. Probatio Conclusionis ideò de hoc non curat, quià præsenti intentioni sufficit genus mali inuenire: per hoc enim scitur, an natura sit aliqua. Meritò igitur, inuento quòd est absentia, quàm negationem constat esse, stat processus. Ità Caiet.

2. Concl. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 49. art. 3. cùm sua probatione.

162. Secunda Conclusio ponitur à Caiet. in p. p. q. 49. art. 3. sic cùm D. Th. non datur vnum summum malum, primum principium omnium malorum, sicut è contrà datur vnum summum bonum. Probatur à Caiet. cùm D. Th. tripliciter. Primo sic, quià non datur malum per essentiam, idest aliquid per essentiam malum. Secundo quià non datur malum summum, idest integrum. Tertio quià hæc duo repugnant primum principium, & malum. Prima propositio manifestatur, quià ostensum est in p. p. quod omne ens in quantum ens bonum est, & quod primum principium bonorum est bonum per essentiam. Et secunda manifestatur, quià primum bonorum principium est summum, & perfectum bonum, quod præhabet in se omnem bonitatem. Summum autèm malum esse non potest, quià sicut ostensum est, & si malum semper diminuat bonum, nunquàm tamèn illud potest totalitèr consumere, & sic semper remanente bono non potest esse aliquid integrè, & perfectè malum proptèr quod Philosophus dicit in 4. Eth. quod si malum integrum sit, se ipsum destruet, quià destructo omni bono, quod requiritur ad integritatem mali subtrahitur etiàm ipsum malum, cuius subiectum est bonum. Tertia manifestatur quià ratio mali repugnat rationi primi principij, quià malum causatur ex bono, vt ostenditur in art. 1. & 2. q. cit. 49. tùm quià malum non potest esse causa nisi per accidens, & sic non potest esse prima causa, quià causa per accidens, est posterior ea, quæ est per se vt patet in 2. Phys. tex. 66. Ità Caiet. loc. cit. cùm D. Th.

3 Concl. Caiet. & D. Th. cùm sua probatione quo ad primam partem ex p. p. q. 48. art. 2.

163. Tertia Conclusio ponitur à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 48. art. 2. & 3. Malum inuenitur in rebus, sicut, & corruptio; & est in bono, vt in subiecto.

Probatur prima pars à Caiet. cùm D. Th. in art. 2. cit. sub tali forma. Perfectio vniuersi requirit inæqualitatem in rebus, vt omnis bonitatis gradus impleatur: ergo sicut requirit vt sint entia incorruptibilia, & corruptibilia; ità requirit vt sint indefectiblia à bono, ergo quædam in vniuerso deficiunt quandoq; ergo malum inuenitur in rebus vt corruptio. Antecedens habetur ex dictis. Prima consequentia probatur, quià isti sunt duo gradus bonitatis inuenti in vniuerso iuxtà illos duos gradus entis, vt de se patet; Secunda verò consequentia relinquitur per se nota. Et verè sic est, quoniàm impossibile est seclusis miraculis, possibilia nunquàm deficere; Tertia autèm probatur quià ratio mali consistit in defectu à bono, sub intellige, debito. Et confirmatur illa modificatio, & expressio ly sicut, quià corruptio ipsa quoddam malum est, quià est malum corrupti. Ità Caiet.

Prob. Caiet. pro secunda parte Concl. 3. ex art. 3. q. cit.

164. Probatur à Caiet. cùm D. Th. secunda pars in art. 3. q. 48. cit. sub tali forma. Malum est boni remotio non negatiuè, sed priuatiuè: ergo malum, & bonum priuatum sunt in eodem subiecto, scilicet, ente in potentia simplicitèr, vel secundum quid, ergo malum est in bono sicut in subiecto. Antecedens quo ad secundam partem ducendo ad impossibile duplex. Primum est, quod ea quæ nullo modo sunt, essent mala; Secundum est, quod omnia essent mala. Prima consequentia probatur quià priuationis, & formæ idem est subiectum, scilicet, ens in potentia simplicitèr, vel secundùm quid. Secunda verò, quià vtrumq; est bonum, & de ente quidem in potentia secundum quid: probatur quià est ens in actu, actus autèm bonitas quædam est: de ente verò in potentia simplicitèr, quià bonum dicitur sicut, & ens, ac per hoc, sicut ens in potentia ens quoddam est, ità bonum in potentia bonum quoddam est,

vt

vt diximus in Adnotatione secunda. Itâ Caiet. articulo tertio citato.

165. Quarta Conclusio probatur à Caiet. cùm D. Th. in art. 1. q. 49. sub tali forma sic. Et Conclusio est huiusmodi. Malum habet solummodo causam efficientem non per se, sed per accidens. Probatur primo quidem, quando causatur ex virtute agentis, quià agens per se intendens inducere formam propriam, per accidens intendit nocere oppositæ. Secundo reducit S. Doctor cæteros modos in vnum, quod est agens in esse deficiens, & probat intentum sic. Esse deficiens accidit bono, ergo malum secundum nullum modum habet causam nisi per accidens. Et tenet sequela, quià bono per se competit agere. Reductio autèm fit sic. Reliqui modi continent malum, aut effectus proprij, aut actionis: sed defectus effectus proprij est, vel ex defectu passionis, & hoc quidem ex materia, ille verò ex defectu actiui principij procedit, & vtrq; rursus constituit causam deficere: ergo omnis modus, quo malùm prouenit, ad deficere agentis reducitur vndecumq; oriatur defectus. Et sic breuitèr Auctor omnia membra totius diuisionis perlustrauit ad duo reducta, scilicet, malum effectus extranei, & malum effectus proprij: In hoc enim etiàm malum actionis comprehendit quo ad causam. Itâ Caiet. loc. cit.

4. Concl. Caiet. & D. Th. cùm sua probatione ex q. 49. art. 1.

166. Quo ad 4. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà hanc Conclusionem immediatè in art. 1. q. 49. sic. Effectus deficiens non procedit nisi à causa deficiente: sed malum si causam habeat, est effectus deficiens ergo habet causam deficientem: sed omne deficiens malum est: ergo causa mali non est nisi malùm.

Arg. Caiet. contrà 4. Concl cùm sua Resp. ex p. p. q. 49. art. 1.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod malum habet causam deficientem, alitèr in rebus voluntarijs, & naturalibus. Agens enim naturale producit effectum suum talem, quale ipsum est: nisi impediatur ab aliquo extrinseco, & hoc ipsum est quidem defectus eius. Vndè nunquàm sequitur malum in effectu, nisi præexistat aliquod aliud malum in agente, vel materia: sed in rebus voluntarijs defectus actionis à voluntate actu deficiente procedit, in quantùm non subijcit se actu suæ regulæ. Qui tamèn defectus non est culpa, sed eum sequitur culpa, ex hoc, quod cùm tali defectu operatur.

Addit Caiet. ad hæc. In Resp. ad tertium aduerte, quod cùm dicitur, quod defectus subiectionis regulæ non est culpa: sed eum sequitur culpa potest benè, & malè intelligi. Si intelligatur de defectu tali absolutè verum dicitur; si autèm de defectu hic, idest applicato ad hunc operantem sinè regula, falsum est, quoniàm ex ipsa applicatione ad hunc, nunc sic operantem, culpæ rationem sortitur. Itâ Caiet.

167. Arguit secundo Caiet. cùm D. Th. contrà primam Conclusionem in q. 48. art. 1. cit. sic. Quod non est, non agit: sed malum agit, quià corrumpit bonum, ergo malum est quoddam ens, & natura quædam habens causalitatem Physicam.

Arg. Caiet. contrà 1. Concl. ex p. p. q. 48. a. 1. cùm sua Responsione.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod aliquid agere dicitur triplicitèr. Vno modo formalitèr eo modo loquendi, quo albedo dicitur facere album. Et sic malum etiàm ratione ipsius priuationis dicitur corrumpere bonum, quià est ipsa corruptio, vel priuatio boni. Alio modo dicitur aliquid agere effectiuè: sicut Pictor dicitur facere album parietem. Tertio modo per modum causæ finàlis, sicut finis dicitur efficere mouendo efficientem. His autèm duobus modis, malum non agit aliquid per se, idest secundùm quod est priuatio quædam, sed secundùm quod ei bonum adiungitur. Nàm omnis actio est ab aliqua forma, & omne quod desideratur vt finis, est perfectio aliqua vt dicit D. Dionysius. Vide primam Adnotationem. Itâ Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

168. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà secundam Conclusionem in art. 3. q. 49. Si vnum contrariorum est in rerum natura, & reliquum, vt dicitur in secundo de Cœ-

Arg. Caiet. contrà 2. Concl. cùm sua Responsione ex q. 49. art. 3.

Cœlo, & Mundo tex. 18. Sed summum bonum est in rerum natura quod est causa omnis boni: ergo, & est summum malum ei oppositum causa omnis mali.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod priuatio, & habitus nata sunt fieri circà idem. Subiectum autèm priuationis est ens in potentia. Vndè cùm malum sit priuatio boni, illi bono opponitur cui adiungitur potentia, non autèm summo bono, quod est actus púrus.

Addit Caiet. quod cùm à S. Doctore dictum sit alibi quod malum culpæ opponitur propriè bono increato, ideò nota quod hoc potest intelligi dupliciter, scilicet, formaliter, vel obiectiuè; formaliter quidem est impossibile malum aliquod opponi bono Diuino proptér rationem hic dictam, scilicet, bonum habens malum formaliter oppositum exigit potentiam circà quàm habet fieri malum: Deus autèm est actus purus. Obiectiuè autèm malum causæ opponitur bono Diuino in se ipso, quod optimè probatur in art. vltimo q. 48. ex obiecto Charitatis. Vult enim explicitè, vel interpretatiuè quilibet peccans quantùm in se est, Deum non esse vltimum finem, quod est opponi ei obiectiuè secundum id quod in se est; sicuti è contrà amans ex charitate, vult Deo quidquid est, & ei debetur. Et sic non repugnant dicta hic, & alibi. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. Caiet. contrà 3. Concl. quo ad primam partem cùm sua Resp. ex p. p. q. 48. art. 2.

169. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà primam partem tertiæ Conclusionis sic. In art. 2. q. 48. Ens, & res conuertuntur. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur quod malum sit res quædam, quod est contrà primam Conclusionem.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod sicut dicitur in 5. Met. ens dupliciter dicitur. Vno modo secundum quod significat entitatem rei pro vt diuiditur per decem Prædicamenta. Et sic conuertitur cùm re. Et hoc modo nulla priuatio est ens, vndè nec malum. Alio modo dicitur ens, quod significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum, est; Et hoc est ens, quo Resp. ad quæstionem an est. Et sic cæcitatem dicimus esse in oculo, vel quamcumq; aliam priuationem. Et hoc modo etiàm malum dicitur ens. Proptèr huius autèm distinctionis ignorantiam, aliqui considerantes, quod aliquæ res dicuntur malæ, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt, quod malum esset res quædam. Addit Caiet. Igitur, quando nouitius incidit in hanc propositionem, quod malum formaliter est in rebus, habes solutionem hic, quià non verificatur, quod est in rebus vt ens, sed in rebus vt corruptio in actu exercito, idest vt rei remotio formalis, ipsa namq; absentia boni formaliter malum est, vt in Resp. ad quartum art. 1. dicitur; Malum formaliter corrumpit bonum oppositum, quià est ipsa priuatio boni in subiecto apto nato &c. Dicuntur ergo mala esse in rebus non positiuè, sed remotiuè, idest non ponendo, sed remouendo formaliter aliquid à rebus. Et sic mala formaliter inueniuntur in rebus vt mala, sunt enim rerum mala; In anima autèm per compositionem, & quamcumq; aliam intellectus operationem. Et ideò nihil obstat, imò prodest proposito, quod malum nullum esse ponat in re, quoniàm de malo vt malum est in actu exercito loquimur, quod constat, quod vt malum in actu exercito non inuenitur, vbi ponit aliquid, sed tantùm vbi remouet bonum debitum, hic est enim eius actus formalis, vt patet ex dictis. Nihil ergo valet consequentia malum vel priuatio nullum esse ponit in re, sed est ens tantùm in anima: ergo non inuenitur formaliter in rebus. Quoniàm stat quod inueniatur formaliter, vt remotio rei in actu exercito; imò sequitur oppositum. Remouet esse in subiecto, ergo inuenitur in re vt exercens negationis, non positionis actum. Sic autèm hæc inueniri in rebus, est simpliciter ipsa inueniri, quià formaliter inueniuntur, & secundum modum proprium sui generis, puta non entis, vel priuationis. Ità Caiet. art. 2. q. 48. cit.

170. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà secundam partem tertiæ Conclusionis sic. Vnum contrariorum non est subiectum alterius: sed bonum, & malum sunt contraria: ergo malum non est in bono sicut est in subiecto. *Arg. Caiet. ex 2. partem Concl. tertiæ cùm sua Resp. ex p. p. q. 48. art. 3.*

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod malum non est sicut in subiecto in bono, quod ei opponitur, sed in quodam alio bono. Subiectum enim cæcitatis non est visus, sed animal. Videtur tamèn, vt Aug. dicit in Enchir. c. 13. hic fallere Dialecticorum regula, quæ dicit contraria simul esse non posse: hoc tamèn intelligendum est secundum communem acceptionem boni, & mali, non autèm secundum quod specialitèr accipitur hoc bonum, & hoc malum. Album autèm, & nigrum, dulce, & amarum, & huiusmodi contraria non accipiuntur nisi specialitèr, quià sunt in quibusdam generibus determinatis, sed bonum circuit omnia genera. Vndè vnum bonum potest simul esse cùm priuatione alterius boni. Malum igitur non est in existentibus sicut pars, aut sicut proprietas naturalis alicuius existentis; nec est non ens negatiuè acceptum, quod non requirit subiectum, sed est priuatio, quæ est negatio in subiecto, vt dicitur in 4. Met. tex. 4. & 5. tex. 27. & lib. 10. tex. 15. Et tale non ens, est propriè malum, de quo in præsenti quæstione concluditur, quod nullam habet causalitatem, sed est effectus in rerum natura alicuius causæ, non formalis, nec finalis, nec efficientis per se, sed efficientis per accidens. Ità Caiet. cùm D. Th. per totam quæstionem 48. & 49. in p. p. & alibi.

QVÆSTIO XVII. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm causa per accidens, quæ est fortuna, & casus detur respectu primæ causæ, an potius respectu secundæ

EX CAIETANO

P. p. q. 82. art. 4. & q. 103. per totam quæstionem, & alibi in Comment.

171. CAiet. ex diffinitione data ab Arist. in hoc 2. lib. Phys. tex. 52. de Fortuna, & Casu, scilicet, Fortuna, & Casu est causa secundum accidens in his quæ fiunt secundum electionem eorum, quæ proptèr aliquid sunt, sumit occasionem proponendi præfatam quæstionem. Et in p. p. q. 103. art. 1. 5. 7. & 8. agit vbiq; cùm D. Th. de fortuitis, & casualibus an dentur respectu cuiuslibet causæ creatæ, & etiàm respectu Dei, qui est prima causa increata: De Fato enim quæretur in quæstione sequenti. Et in p. p. q. 82. art. 4. extendit quæstionem etiàm ad primos motus animi nostri. An, scilicet, Fortuna, seù Casus, vel potius natura ipsa cùm influxu generali, seù prima motione Dei sint causæ primæ intellectionis nostræ, occasione Responsionis quàm dat S. Doctor ad tertium Argumentum illius art. 4. Et in q. 103. art. 8. declarat titulum respectu primæ causæ quid, ait, idem est, ac quærere an possit aliquid contingere prætèr Diuinam gubernationem, & hoc quæsitum differt ab alio, quod quærit, an aliquid possit facere contrà Diuinam gubernationem, quod est idem, ac quærere vtrùm aliquid sit *Aperitur quæstio à Caiet. locis cit.*

ex doctrina præcedentis art. 2. cit. constat quod distinctio rei materialitèr concurrit) ad distinctionem apprehensionis confugit: apprehensio autèm prima distinctione diuiditur in absolutam, & discursiuam. Intellectus enim, & ratio primo distinguunt aprehensionem intellectuum, & his proportionalitèr respondentia distinguunt apprehensionem. Igitur auctor illa, quæ absolutè apprehensa delectant, naturalitèr concupisci; & illa quæ ratiocinatione apprehensa delectant, rationalitèr concupisci, ac per hoc specie distingui infert, vt patet in littera. Absoluta autèm apprehensio hoc in loco excludit non solum actualem discursum, sed omnem collationem tàm formalitèr, quàm virtualitèr communitèr requisitam. Dico autem hoc proptèr persuasos ex consuetudine, vel lenitate, qui & si absoluta apprehensione formalitèr ad concupiscentiam rationalem moueantur, videtur tamèn ibi esse apprehensio discursiua virtualitèr, vel ex præcedentium efficacia, vel ex dispositione subiecti. Ex hac autèm responsione maximè liquet, quod apprehensio respectu obiecti appetitus non se habet vt approximatio actiui, vel passiui, sed vt ratio obiectiua. Et hoc sinè dubio opportet omnes fateri ex eo, quod nihil differt Bonum, vel apparens Bonum, & ex eo quod appetitus est malus tendens in verè bonum, apprehensum vt malum. Et hæc benè notabis contrà Scotum, & quoscumque ponentes apprehensionem, vt præuium quid ad appetitum, quasi approximationem actiui ad passiuum, & appetitum ad cognitionem, quasi solo ordine præsuppositionis consequi, quod longè est à Philosophia. Ità Caiet. art. 3. cit. q. 30. qui cùm D. Th. respuens apprehensionem finis vt conditionem, & statuens illam cum D. Th. per se diuersificatiuum cum Bonitate, decidit illam quæstionem, an cognitio finis requiratur ad hoc vt finis moueat volutatem, an pura apprehensio; an iudicium; an sufficiat aliquando simplex apprehensio, aliquando non; sed requiratur iudicium vt voluntas operetur proptèr finem, non autèm quando agitur. Quid sentiat Caiet. habes ex præsenti Doctrina.

Doctr. 7. Caiet. ex p. 2. q. 22. art. 3. quod causalitas finalis est etiàm effectiua, & Bonum apprehensum finalizat voluntatem.

147. Adnotat 7. Caiet. in p. 2. q. 22. art. 3. quod Auuerrois in de substantia Orbis reprehendit dicentes finem non esse agens, dicendo quod finis significat agens significatione necessaria. Quià verò causalitas ista non est, nec potest esse purè effectiua, sed est effectiua, & finalis, connumerata est contrà finalem à S. Th. in p. p. & alibi, quià autèm in veritate interuenit causalitas effectiua, ideò hic, & alibi, quandoq; exprimitur, quod bonum apprehensum est actiuum; & appetitus est passiuus ab obiecto. Est ergo differentia intèr intellectum, & voluntatem in mouendo, in hoc quod voluntas mouet effectiuè intellectum, & alias: animæ vires quo ad exercitium actus; Intellectus autèm mouet illam finalitèr, & cùm hoc effectiuè ad specificationem actus, & illa efficientia, quæ necessariò jungitur fini, finalis tantùm causalitas expressa est. Quod autèm hæc sit Auctoris mens, non solùm ex dictis nunc haberi potest, sed ex superius dictis, scilicet, quod intellectus ratione obiecti mouet appetitum in genere causæ formalis, de quo tamèn nulla in p. p. q. 82. art. 4. fit mentio. Ex hoc enim habeo, quod si etiàm cùm dictione exclusiua Auctor dixisset intellectum mouere voluntatem finalitèr solùm: ad hoc starent, quæ diximus, eo quod exclusio non fit à concomitantibus. Et vt dictum est causam finalem concomitatur efficiens supradicto modo, & formalis respectu actuum, vt superius explanatum fuit. Ità Caiet. art. 3. cit. q. 22.

Doctr. 8. Caiet. ex p. 2. q. 23. art. 4. quod differentiæ virtutum, & passionum spe-

148. Adnotat 8. Caiet. in p. 2. q. 23. art. 4. Actiua dupliciter inueniuntur, scilicet, in esse naturæ, & in esse apprehenso. In agentibus in esse naturæ manifestum est, quod distinctio eorum secundum naturas, alia est à distinctione eorum secundum virtutes: Elementa enim, & animalia alia distinctione distinguuntur secundum naturas eorum, & alia secundum virtutes eorum, licet istæ oriantur ex illis. In agen-

agentibus autèm quià apprehensa, distinctio naturarum patet, cùm cibus talis differens ab illo alio secundum speciem apprehensus mouet appetitum. Distinctio autèm secundum virtutem est secundum diuersam rationem apprehensionis, ità quod eadem res secundum naturam diuersimodè apprehensa non qualicumq; diuersitate, sed diuersitate Bonitatis, vel malitiæ præsentis, vel futuræ, vel absolutè, vt patet in tractatu passionum. Alia enim ratione mouet malum præsens apprehensum, & alia futurum, illud enim mouet ad tristitiam, hoc ad timorem: vndè ostenditur quod illud habet virtutem actiuam ad inferendam illam passionem, hoc ad inferendam istam: ità quod ex ipsa diuersa ratione, qua apprehenditur eadem res habet diuersam virtutem mouendi appetitum. Et vult S. Doctor quod istæ differentiæ virtutum, & passionum ad differentias apprehensionis spectent. Obiectum namque appetitus non est res, sed res apprehensa. Et propterea differentia formalis passionum, non solùm ex distinctione rei, sed ex distinctione rei vt apprehensa constat. Et hinc habes, quod passio odij & iræ, similium non diuersificantur specie ex diuersitate malorum, puta mortis, verberis, carceris, &c. Differentia enim naturarum materialitèr, & non formalitèr concurrit. Verùm autèm diuersitas naturarum diuersificet habitus harum passionum, seù ipsas in genere moris inferius in p. 2. & in 2. 2. tractabitur. Ità Caiet. art. 4. cit. *stant per se ad diuersitatem apprehensionis.*

149. Adnotat vltimò Caiet. ibidem art. 4. cit. quod in Agentibus in alia quatenus apprehensa, sunt, agere, & attrahere simul concurrunt, ità quod bonum apprehensum absolutè infert passionem amoris, & sic trahit per amorem. Et apprehensum vt futurum infert passionem desiderij, qui est motus ad se, & sic trahit per motum; & apprehensum vt præsens infert passionem delectationis, & sic trahit per quietem. Si hæc cum prædictis notaueris videbis, quomodo est eadem, & quomodo diuersa ratio appetibilis, seù finis, vt tendatur in ipsum, & quiescatur in eo, est enim eadem secundum naturam, & diuersa secundum virtutem, quod est esse eamdem materialitèr, & diuersam formalitèr respectu passionum. Et hoc non potest esse ex obiecti natura, nec ex obiecti conditionibus, puta præsentia, vel absentia, & huiusmodi. Si hæc perspicacitèr Scotus considerasset, hanc improbatam nunc Phantasiam non dixisset. Ità Caiet. art. 4. q. 23. in p. 2.

Doctr. 9. Caiet. ex loc. cit. art. 4. quod in Bono apprehensio concurrit simul agere, & attrahere.

150. Quo ad secundum Caiet. quid tenendum sit in via D. Th. de apprehensione, seù de esse finem in intentione pro sua causalitate an concurrat vt ratio formalis sub qua, & non vt conditio, in p. p. q. 80. art. 2. dicit sic. Opiniones sunt tres. Alij tenent solum appetitum esse causam actiuam volitionis, & in his sunt Scotus in 2. sent. dist. 25. Henricus, & Capreolus, quamuis fortè de causalitate obiecti differant, quià aut ponitur causa sine qua non vel remouens prohibens, scilicet, puta ignorantiam, aut etiàm causa formalis, & finalis. Alij verò tenent solum obiectum esse causam actiuam, & in his dicitur Godofredus. Alij autèm tenent vtrumque obiectum, scilicet, & appetitum actiuè concurrere. Et in his Heruæus Gregorius, & Adam videntur. Opiniones verò in via S. Th. sunt duæ. Capreolus enim Berardum de Gandauo sequens tenet apud S. Th. Obiectum non actiuè, sed formalitèr, & finalitèr tantùm concurrere. Alijs autèm videtur, quod etiàm apud S. Th. actiuè concurrat, particularitèr tamen. Et quod hæc sit mens S. Th. teneo ego, & doctrina eius, hic, & in p. 2, diligentèr perspecta testatur, & ponderandæ potissimè sunt duę rationes ipsius, quas infrà in conclusione adducemus. Ità Caiet. in art. 2. q. 80. In art. verò 4. q. 82. ait sic. Distinctio D. Th. est ista mouere dupliciter, finalitèr, & effectiuè. Conclusio iuxtà primum membrum est, quod intellectus mouet voluntatem finalitèr. Probatur quià bonum intellectum est obiectum voluntatis mouens

Opiniones recitatæ à Caiet. in p. p. q. 80. art. 2. & q. 82. art. 4. & alibi in p. 2. circà apprehensionem, siu esse in intentione sit conditio finis, vel ratio formalis obiectiua in via D. Th. & non in via Auerrois.

 ipsam

ipsam vt finis. Circà hoc, ea quæ dicenda essent non opportet repetere, quoniàm in q. 80. art. 2. dicta sunt, vbi declaratum est, quomodo bonum intellectum mouet vt finis, & actiuè quo ad specificationem actus voluntatis. Ità Caiet. art. 4. cit.

Quid Thomistæ antiquiores, & moderni sentiant de Caietani sent. in præsenti quæst. iuxta viã D. Th & non Auerrois.

151. Caiet. igitur in tota p. 2. & 22. vult interpretando D. Th. quod in via S. Th. Bonitas apprehensa, vt ly apprehensa dicit rationem formalem sub quã, & non conditionem sit tota ratio finalizandi: cùm non sit nouum in via D. Th. quod res diuersæ intèr se, puta bonum à parte rei, & in intentione intèr se coalescant in vnam rationem formalem obiectiuam, vt patet etiàm in obiectis scientiarum. Et si Caiet. in p.2. q.1. art.1. in Resp. ad primum gloset dictum D. Th. de ly in quantum quod denotet conditionem, hoc facit quià, & ibi, & in q. 5. vt vidimus in præcedenti quæstione sequitur viam Auerrois, quod, scilicet, bonum in esse rei, & extrà animam, habeat tantùm causalitatem finalem, & esse in intentione sit, conditio, & in hoc constans est Caiet. vbique quando sequitur Auuerroim. Cæterùm in interpretatione D. Th. & in p. p. loc. cit. & in p. 2. & in 2. 2. sequendo viam D. Th. firmitèr tenet quod bonum apprehensum est totum obiectum formale finalizans voluntatem, & eius actus, esto diminuto modo actiuè concurrat ad specificationem illorum. Ità interpretatus, & sequutus sum Caiet. in omnibus Cathedris Philosophicis, & Theologicis, quas moderatus sum Cremonæ, Genuæ, Placentiæ, & postremò Bononiæ per viginti, & duos annos. Sic intelligo Caiet. & idem dicunt antiquiores Thomistæ, scilicet, Capreolus. Ferr. p. cont. gent. c. 19. Flandria B. Albertus Magnus, &c. Et ex modernis Io: Martinez de Prado, & Magister Franciscus de la Cruz Ord. Præd. qui in suo opusculo Propositionis Theologicæ citat cum alijs modernis Caiet. pro hac sent. in p. p. q. 80. & q. 82. Et p. 2. q. 22. & q. 30. & q. 67. art. 6. ad secundum, vt adnotationes suprà Caiet. demonstrant.

Conclus. Caiet. in p.p.q. 80. art. 2. & in p. 2. locis cit. & alibi cum sua probatione quo ad primam partem.

152. Quo ad 3. Conclusio Caiet. in p.p.q.80.art.2.& in p.2. loc.cit. est huiusmodi pro vt est responsiua quæsiti. Bonum apprehensum, esto aliquo modo diminuto actiuè, & effectiuè concurrat quod ad specificationem respectu actus voluntatis; est nihilominus totum obiectum formale finalizans voluntatem, & eius actus, & apprehensum non est conditio. Prob. a Caiet. prima pars sic. In art. 2. q. 80. cit. Appetitus est in potentia secundum se ad huiusmodi specificationem, & non reducitur in actum talem à se ipso: ex hoc enim sequitur, ergo aut à nullo effectiuè, quod est stultum, aut ab obiecto quod est intentum. Altera ratio probat primam partem ex parte obiecti, quod verbum producit amorem in genere causæ efficientis. Et ex hoc, arguitur sic. Subsistentia adiuncta alicui causæ, non variat causalitatem illius de vno genere causandi in aliud, quamuis variet modum causandi, sicut & modum essendi, quià dat illi esse, & causare vt quod, quæ absque subsistentia causabat vt quo, quià erat vt quo, ergo subsistentia adiuncta verbo cordis, non variat genus causalitatis respectu appetitus, sed modum causandi tantùm, ergo eodem genere causæ; esto non eodem modo causet amorem verbum cordis absolutè, & verbum subsistens: sed verbum subsistens apud S.Th. causat actiuè amorem, ergo, & verbum absolutè, sed illud vt quod, hoc vt quo. Constat autèm verbum cordis nihil aliud esse, quàm obiectum apprehensum, ergo &c. Et sic Benedictus Deus. Ità Caiet. art. 2. q. 80. cit.

Probatio Caiet. ex suis Doctrinis pro 2. p. Conclus. quæ est iuxtà viã D. Th. responsiua quæsiti.

153. Probatur secunda pars Conclusionis, vt potè principalitèr respondens huic quæsito à Caiet. ex suis Doctrinis allatis suprà in tali forma. Quod directè, & per se, & non ex consequenti, nec per accidens indicat distinctionem virium appetitiuarum, & est intrà eamdem lineam appetibilitatis vt ratio formalis sub qua, hoc verè est obiectum formale in via D.Th. Sed bonitas apprehensa vt apprehensa ità se habet in via D. Th. ergo in via D. Th. Bonum apprehensum, vt apprehensum erit

verè

verè per se finalizans voluntatem, & suos actus, seù suas vires appetitiuas distinguendo illas, & determinando illes. Maior de se constat, & est ratio, seù medium aduersariorum ad probandum quod apprehensio non sit ratio formalis sub qua. Minor est D. Th. in omnibus locis suæ Doctrinæ, vt euidentèr Caiet. demonstrat in Doctrinis suprà allatis in prima parte quæsiti. Apprehensio enim se habet vt lux in ipsa bonitate, sicuti lux est ratio formalis sub qua determinatiua coloris, idest in eadem linea visibilitatis; Imò de apprehensione, & bonitate in esse rei extrà animam, sæpè ac sæpius Caiet. cum D. Th. habet, vt vidimus suprà, quod ista se habet vt concurrens materialitèr ad distinguendas, diuersificandas, & determinandas vires appetitiuas; illa verò formalitèr, ergo erit ratio formalis sub qua; cum semper dicat Caiet. cum D. Th. quod licet ratio quæ, sit formalis, ingrediens formalitèr intrà lineam obiecti formalis; attamèn comparatiuè ad rationem sub qua formalem, videtur vt quid materiale vt potè minùs formalis. Ità Caiet. in interpretatione, & Comment. dictorum D. Th. in hac materia de bono, in esse apprehensiuo, seù in intentione.

154. Quo ad 4. Arguit Caiet. immediatè contrà hanc secundam partem Conclusionis ex Thomistis qui pro se ipsis, ex sua parte afferunt D. Th. auctoritatem ex q. disp. q. 25. de verit. art. 1. ad sextum, quasi quod D. Th. teneat ibi diuersitatem apprehensionis, se habere per accidens. Auctoritas est hæc. Sola apprehensionis diuersitas per accidens se habet ad variandos appetitus, nisi coniungatur diuersitati apprehensorum, ergo in via D. Th. sentiendum est alitèr. *Arg. 1. Caiet. contra 2. partem Conclusionis ex D. Th. auctoritate.*

Resp. Caiet. mirum esse, tot illustres Doctores mutilasse hunc textum D. Th. cum apertè videant alibi in tota sua summa Sanctum Doctorem docere apprehensionem concurrere per se, & directè ad diuersificandas vires appetitiuas. Si textus esset, vt ipsi referunt, vtique haberent pro se D. Th. in illo loco. Textus loquitur conditionalitèr, & dicit sic. *Sola apprehensionis diuersitas per accidens se haberet, nisi coniugeretur diuersitati apprehensorum.* Non ergo textus loquitur absolutè, sed conditionatè, & conditio non ponit in esse, dicens ly *se haberet*, & non dicit ly se habet. Nulla est ergo auctoritas in via D. Th. pro Godoy, & Io: à S. Th. & aliorum pro contraria sententia ipsorum, qui ponunt, ly apprehensio, seù intentio, esse conditionem non rationem formalem. Sic notat Io: Martinus de Prado ad fauorem D. Th. & Caiet. sui fidelissimi interpretis in sua Metaphysica. *Resp. ad Arg. 1.*

155. Arguit secundo Caiet. in prima secundæ q. 22. art. 3. ex D. Th. contrà eamdem secundam partem Conclusionis suprà sic ad hominem. S. Th. in p. p. q. 82. art. 4. ponit differentiam intèr motionem intellectus à voluntate, & è conuersò in hoc, quod intellectus finalitèr, voluntas verò effectiuè mouet. Et hic vult, quod bonum intellectum, & actiuum in voluntatem, scilicet, in p. 2. ergo iuxtà viam D. Th. ly apprehensum non potest dicere causalitatem finalem, sed effectiuam. *Arg. 2. Caiet. ex p. 2. q. 22. art. 3. ex auctoritate D. Th.*

Resp. Caiet. ibidem. Ad hoc dicitur, quod bonum apprehensum mouet appetitum dupliciter effectiuè, scilicet, & finalitèr. Effectiuè quidèm causando ipsum appetitus actum; finalitèr verò, quoniàm ipse actus in appetitu causatus tendit in bonum apprehensum, vt finem: differentèr tamèn apprehensum bonum causat vtroq; modo, quià ad causandum effectiuè vtitur esse vt forma, ad causandum verò finalitèr vtitur esse, vt esse: Appetibile enim, puta sanitas, apprehensa ratione sui esse quasi forma, facit in appetitu desiderium sui, vt sit in esse reali; iuxtà illud Auuerrois in p. Met. comm. 36. Balneum in anima agit desiderium, &c. *Resp. Caiet. ad Arg. 2. ad hominem.*

Vndè intèr cæteras causalitates effectiuas, & hanc, qua appetibile mouet appetitum duplex est differentia, vna occulta, quià reliquis forma est ratio agendi; altera manifesta, quià in cæteris causa effectiua non per se est nisi effectiua; in hac verò ne-

necessariò ipsa effectiua est finalis, non per accidens sed per se; de qua manifesta differentia vide suprà Adnotatione septima. Ità Caiet. art. 3. cit.

Arg. 3. Caiet. ex p. 2. q. 23. art. 4. quod Bonum, & Malum apprehensum pari formitèr se habeant in causando finalitèr cum sua Resp.

156. Arguit tertio Caiet. in q. 23. art. 4. prima secundæ in quarto dubio. Quomodo malum causet depulsiuè; cùm omne agens producat sibi simile: ac per hoc trahat patiens ad sui participationem, vndè sicut bonum causat ad se, ità malum.

Resp. Caiet. ad quartum Dubium dicitur, quod differentia intèr actiua quià sunt, & actiua quià apprehensa, soluit argumentum: actiua enim quià sunt, cùm sint determinata ex natura propria ad producendum illi simile, non possunt nisi ad se trahendo per viam assimilationis agere, siuè bona, siuè mala sint illis, in quæ agunt. Actiua verò quià apprehensa, quià apprehensio ad bonum animalis ordinatur (datur enim vis tàm apprehensiua, quàm appetitiua animali) proptèr bonum ipsius animalis: actiua sunt non ad se, sed ad animal ipsum trahendo: vndè causant in animali id quod conuenit animali in ordine ad tale obiectum, & non id quod conuenit tali obiecto; vndè malum apprehensum non causat in animali motum ad se, sed à se: hoc enim est causare conueniens animali in proportione ad tale obiectum: proptèr quod sicut bonum apprehensum diuersimodi agit in animal, attrahendo per consonantiam, vel motum, vel quietem: ità malum apprehensum depellendo dissonantiam, fugam, & inquietudinem. Ità Caiet. art. 4. cit.

QVÆSTIO XVI. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm malo competat aliqua causalitas Physica, & cuius effectus sit causa

EX CAIETANO

P. p. q. 48. art. 1. 2. & 3. & q. 49. art. 1. 2. & 3. & alibi in suis Comment.

Aperitur Titulus à Caiet. in loc. cit.

157. CAiet. in q. 49. art. 3. p. p. circà Titulum ait. Titulus directè quærit de causa efficiente. Et in q. 48. p. p. art. 2. ait. In Tit. Malum inueniri in rebus non significat esse reale, quoniam hoc iàm exclusum est, sed significat esse communitèr in rebus. In rebus autèm dicitur proptèr ea, quæ solum inueniuntur in anima, vt secundæ intentiones. Et est quæstio pro vt sic inuenitur in rebus, an habeat aliquam causalitatem effectiuam, & loquimur de inuentione formali, ità quod non intendimus quærere, vtrum malum pro vt habet fundamentum in rebus, habeat aliquam causalitatem, sed an habeat illam pro vt inuenitur formalitèr in rebus. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 48. art. 1. in qua dicitur quid sit malum.

158. Adnotat primo Caiet. cum D. Th. quod cum malum sit negatio boni notat Caiet. in Resp. ad quartum art. p. q. 48. p. p. declarationem D. Th. circà quoddam dictum D. Dyon. cap. 4. de Diuinis nominibus. Malum non agit, neque desideratur nisi virtùte boni adiuncti, per se autèm est infinitum, & prætèr voluntatem, & intentionem. Et Caiet. addit quo ad tertium quià malum negatione boni stabilitum est, & Dyonisius, malum negatione non solum boni, sed entis diffiniuit; Ideò Auctor dicit hoc dictum esse secundario, quoniàm ens vt sic est bonum: negatio igitur

vnius

vnius est negatio alterius, & è conuersò; & ideò malum negatio vtriusq; à Dyonisio ponitur, sed quià boni est primò, ideò per bonum est diffinitum à nobis. Ità Caiet. loc. cit.

159. Adnotat 2. Caiet. cùm D. Th. in art. 3. q. 48. cit. quod malum licet importet remotionem boni, non tamèn quælibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni, & priuatiuè, & negatiuè. Remotio igitur negatiuè accepta mali rationem non habet. Alioquin sequeretur, quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent. Et iterùm quod quælibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei, vtpotè quod homo esset malus, quià non habet velocitatem Capreæ, vel fortitudinem Leonis; sed remotio boni priuatiuè accepta, malum dicitur, sicut priuatio visus, cæcitas dicitur. Subiectum autèm priuationis, & formæ est vnum, & idem, siuè sit ens in potentia simplicitèr, sicut materia prima, quæ est subiectum formæ substantialis, & priuationis oppositæ; siuè sit ens in potentia secundum quid, & in actu simplicitèr, vt corpus Diaphanum, quod est subiectum tenebrarum, & lucis: manifestum est autèm, quod forma, per quàm aliquid est actu, perfectio quædam est, & bonum quoddam, & sic omne ens in actu bonum quoddam est. Et similitèr omne ens in potentia in quantùm huiusmodi, bonum quoddam est, secundùm quod habet ordinem ad bonum sicut enim est in potentia, ità, & bonum in potentia. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 3. cit. *Doctr. 2. Caiet. ex p. p. q. 48. art. 3. quomodo malum sit remotio boni.*

160. Quo ad secundum narrantur errores, ait Caiet. in art. 3. q. 49. p. p. & confutantur à S. Doctore ibi ex vna communi radice. Errarunt ponentes duo prima principia bonum, & malum in duobus. Primum est aliqua natura est in se mala. Secundum est prima principia sunt contraria. Ratio primi erroris fuit, quià considerauerunt naturam aliquam puta ignem, vt nociuam huic. Confutatio autèm huius est, quià simplicitèr debet considerari vt pars totius vniuersi, quoniàm sic omnis res ordinatissimè suum locum obtinet, atq; bona est. Ratio verò secundi erroris fuit, quià effectus contrarios in causas tantùm contrarias reducere nouerunt. Confutatio verò eius est, quod reducenda sunt contraria in communem, & vniuersalem causam, quod probatur, quià omnia contraria conueniunt in aliquo, puta genere, & subiecto. Par enim est Iudicium de vnitate formæ, & agentis, cùm similia sint, & actiui, & passiui, cùm debeant adæquari, & manifestatur in corpore Cœlesti respectu inferiorum: sicut suprà qualitates contrarias Elementorum inuenitur virtus corporis Cœlestis, & similitèr suprà omnia, quæ quocumq; modo sunt, inuenitur vnum primum principium essendi vt ostenditur in p. p. q. 2. art. 3. quoniàm omnia in participatione esse conueniunt. Et hæc est communis radix horum, & similium errorum, quià, scilicet, particulares causas, & non vniuersalem causam entium in eo, quod entia, attigerunt. Ità Caiet. art. 3. q. 49. cit. Modus igitur sciendi hoc quæsitum consistit in hoc quod opportet ex ratione boni accipere quid sit malum; cùm vnum oppositorum cognoscatur per reliquum, vt tenebra per lucem. Ità Caiet. in art. 1. q. 48. *Opiniones erroneæ recit. à Caiet. in p. p. q. 49. art. 3. & confutatæ ibi.*

161. Quo ad 3. Caiet. cùm D. Th. ponit hanc suam Conclusionem primam vt præambulam ad Responsiuam quæsiti in art. 1. q. 48. p. p. sic. Malum est quædam absentia boni. Probatur à Caiet. cùm D. Th. sub tali forma. Omne appetibile est bonum, ergo esse, & perfectio cuiusq; naturæ est bonitas: ergo malum non significat esse, aut formam, aut naturam aliquam, ergo est quædam boni absentia. Prima consequentia probatur quià omnis natura appetit suum esse, & suam perfectionem. Addit Caiet. ibidem post hanc probationem, quod in Conclusione ponitur ly quædam absentia, quià non omnis negatio boni est malum, sed negatio boni de- *1. Concl. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 48. art. 1. cùm sua probatione.*

debiti vt in 3. cont. gent. cap. 6. patet. Absentia ergo debitæ præsentiæ boni, malum est; debita autem præsentia est, quando, sicut, vbi, in quo &c. debet. Probatio Conclusionis ideò de hoc non curat, quià præsenti intentioni sufficit genus mali inuenire: per hoc enim scitur, an natura sit aliqua. Meritò igitur, inuento quòd est absentia, quàm negationem constat esse, stat processus. Ità Caiet.

2. Concl. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 49. art. 3. cùm sua probatione.

162. Secunda Conclusio ponitur à Caiet. in p. p. q. 49. art. 3. sic cùm D. Th. non datur vnum summum malum, primum principium omnium malorum, sicut è contrà datur vnum summum bonum. Probatur à Caiet. cùm D. Th. tripliciter. Primo sic, quià non datur malum per essentiam, idest aliquid per essentiam malum. Secundo quià non datur malum summum, idest integrum. Tertio quià hæc duo repugnant primum principium, & malum. Prima propositio manifestatur, quià ostensum est in p. p. quod omne ens in quantum ens bonum est, & quod primum principium bonorum est bonum per essentiam. Et secunda manifestatur, quià primum bonorum principium est summum, & perfectum bonum, quod præhabet in se omnem bonitatem. Summum autem malum esse non potest, quià sicut ostensum est, & si malum semper diminuat bonum, nunquàm tamen illud potest totalitèr consumere, & sic semper remanente bono non potest esse aliquid integrè, & perfectè malum propter quod Philosophus dicit in 4. Eth. quod si malum integrum sit, se ipsum destruet, quià destructo omni bono, quod requiritur ad integritatem mali subtrahitur etiàm ipsum malum, cuius subiectum est bonum. Tertia manifestatur quià ratio mali repugnat rationi primi principij, quià malum causatur ex bono, vt ostenditur in art. 1. & 2. q. cit. 49. tùm quià malum non potest esse causa nisi per accidens, & sic non potest esse prima causa, quià causa per accidens, est posterior ea, quæ est per se vt patet in 2. Phys. tex. 66. Ità Caiet. loc. cit. cùm D. Th.

3 Concl. Caiet. & D. Th. cùm sua probatione quo ad primam partem ex p. p. q. 48. art. 2.

163. Tertia Conclusio ponitur à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 48. art. 2. & 3. Malum inuenitur in rebus, sicut, & corruptio; & est in bono, vt in subiecto.

Probatur prima pars à Caiet. cùm D. Th. in art. 2. cit. sub tali forma. Perfectio vniuersi requirit inæqualitatem in rebus, vt omnis bonitatis gradus impleatur: ergo sicut requirit vt sint entia incorruptibilia, & corruptibilia; ità requirit vt sint indefectiblia à bono, ergo quædam in vniuerso deficiunt quandoq; ergo malum inuenitur in rebus vt corruptio. Antecedens habetur ex dictis. Prima consequentia probatur, quià isti sunt duo gradus bonitatis inuenti in vniuerso iuxtà illos duos gradus entis, vt de se patet; Secunda verò consequentia relinquitur per se nota. Et verè sic est, quoniàm impossibile est seclusis miraculis, possibilia nunquàm deficere; Tertia autem probatur quià ratio mali consistit in defectu à bono, sub intellige, debito. Et confirmatur illa modificatio, & expressio ly sicut, quià corruptio ipsa quoddam malum est, quià est malum corrupti. Ità Caiet.

Prob. Caiet. pro secunda parte Concl. 3. ex art. 3. q. cit.

164. Probatur à Caiet. cùm D. Th. secunda pars in art. 3. q. 48. cit. sub tali forma. Malum est boni remotio non negatiuè, sed priuatiuè: ergo malum, & bonum priuatum sunt in eodem subiecto, scilicet, ente in potentia simplicitèr, vel secundum quid, ergo malum est in bono sicut in subiecto. Antecedens quo ad secundam partem ducendo ad impossibile duplex. Primum est, quod ea quæ nullo modo sunt, essent mala; Secundum est, quod omnia essent mala. Prima consequentia probatur quià priuationis, & formæ idem est subiectum, scilicet, ens in potentia simplicitèr, vel secundum quid. Secunda verò, quià vtrumq; est bonum, & de ente quidem in potentia secundum quid: probatur quià est ens in actu, actus autem bonitas quædam est: de ente verò in potentia simplicitèr, quià bonum dicitur sicut, & ens, ac per hoc, sicut ens in potentia ens quoddam est, ità bonum in potentia bonum quoddam est, vt

vt diximus in Adnotatione secunda. Ità Caiet. articulo tertio citato.

165. Quarta Conclusio probatur à Caiet. cùm D. Th. in art. 1. q. 49. sub tali forma sic. Et Conclusio est huiusmodi. Malum habet solummodo causam efficientem non per se, sed per accidens. Probatur primo quidem, quando causatur ex virtute agentis, quià agens per se intendens inducere formam propriam, per accidens intendit nocere oppositæ. Secundo reducit S. Doctor cæteros modos in vnum, quod est agens in esse deficiens, & probat intentum sic. Esse deficiens accidit bono, ergo malum secundum nullum modum habet causam nisi per accidens. Et tenet sequela, quià bono per se competit agere. Reductio autèm fit sic. Reliqui modicontinent malum, aut effectus proprij, aut actionis: sed defectus effectus proprij est, vel ex defectu passionis, & hoc quidem ex materia, ille verò ex defectu actiui principij procedit, & vterq; rursus constituit causam deficere: ergo omnis modus, quo malum prouenit, ad deficere agentis reducitur vndecumq; oriatur defectus. Et sic breuitèr Auctor omnia membra totius diuisionis perlustrauit ad duo reducta, scilicet, malum effectus extranei, & malum effectus proprij: In hoc enim etiàm malum actionis comprehendit quo ad causam. Ità Caiet. loc. cit. *4. Concl. Caiet. & D. Th. cùm sua probatione ex q. 49. art. 1.*

166. Quo ad 4. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà hanc Conclusionem immediatè in art. 1. q. 49. sic. Effectus deficiens non procedit nisi à causa deficiente: sed malum si causam habeat, est effectus deficiens ergo habet causam deficientem: sed omne deficiens malum est: ergo causa mali non est nisi malùm. *Arg. Caiet. contrà 4. Concl. cùm sua Resp. ex p. p. q. 49. art. 1.*

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod malum habet causam deficientem, alitèr in rebus voluntarijs, & naturalibus. Agens enim naturale producit effectum suum talem, quale ipsum est: nisi impediatur ab aliquo extrinseco, & hoc ipsum est quidem defectus eius. Vndè nunquàm sequitur malum in effectu, nisi præexistat aliquod aliud malum in agente, vel materia: sed in rebus voluntarijs defectus actionis à voluntate actu deficiente procedit, in quantùm non subijcit se actu suæ regulæ. Qui tamèn defectus non est culpa, sed eum sequitur culpa, ex hoc, quod cùm tali defectu operatur.

Addit Caiet. ad hæc. In Resp. ad tertium aduerte, quod cùm dicitur, quod defectus subiectionis regulæ non est culpa: sed eum sequitur culpa potest benè, & malè intelligi. Si intelligatur de defectu tali absolutè verum dicitur; si autèm de defectu hic, idest applicato ad hunc operantem sinè regula, falsum est, quoniàm ex ipsa applicatione ad hunc, nunc sic operantem, culpæ rationem sortitur. Ità Caiet.

167. Arguit secundo Caiet. cùm D. Th. contrà primam Conclusionem in q. 48. art. 1. cit. sic. Quod non est, non agit: sed malum agit, quià corrumpit bonum, ergo malum est quoddam ens, & natura quædam habens causalitatem Physicam. *Arg. Caiet. contrà 1. Concl. ex p. p. q. 48. a. 1. cùm sua Responsione.*

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod aliquid agere dicitur triplicitèr. Vno modo formalitèr eo modo loquendi, quo albedo dicitur facere album. Et sic malum etiàm ratione ipsius priuationis dicitur corrumpere bonum, quià est ipsa corruptio, vel priuatio boni. Alio modo dicitur aliquid agere effectiuè: sicut Pictor dicitur facere album parietem. Tertio modo per modum causæ finàlis, sicut finis dicitur efficere mouendo efficientem. His autèm duobus modis, malum non agit aliquid per se, idest secundum quod est priuatio quædam, sed secundum quod ei bonum adiungitur. Nàm omnis actio est ab aliqua forma, & omne quod desideratur vt finis, est perfectio aliqua vt dicit D. Dionysius. Vide primam Adnotationem. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

168. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà secundam Conclusionem in art. 3. q. 49. Si vnum contrariorum est in rerum natura, & reliquum, vt dicitur in secundo de *Arg. Caiet. contrà 2. Concl. cùm sua Responsione ex q. 49. art. 3.*

Cœ-

170. Arguit Caiet. cùm D. Th. contrà secundam partem tertiæ Conclusionis sic. Vnum contrariorum non est subiectum alterius: sed bonum, & malum sunt contraria: ergo malum non est in bono sicut est in subiecto.

Arg. Caiet. ex 2. partem Concl. tertiæ cùm sua Resp. ex p. p. q. 48. art. 3.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod malum non est sicut in subiecto in bono, quod ei opponitur, sed in quodam alio bono. Subiectum enim cæcitatis non est visus, sed animal. Videtur tamèn, vt Aug. dicit in Enchir. c. 13. hic fallere Dialecticorum regula, quæ dicit contraria simul esse non posse: hoc tamèn intelligendum est secundùm communem acceptionem boni, & mali, non autèm secundum quod specialitèr accipitur hoc bonum, & hoc malum. Album autèm, & nigrum, dulce, & amarum, & huiusmodi contraria non accipiuntur nisi specialitèr, quià sunt in quibusdam generibus determinatis, sed bonum circuit omnia genera. Vndè vnum bonum potest simul esse cùm priuatione alterius boni. Malum igitur non est in existentibus sicut pars, aut sicut proprietas naturalis alicuius existentis; nec est non ens negatiuè acceptum, quod non requirit subiectum, sed est priuatio, quæ est negatio in subiecto, vt dicitur in 4. Met. tex. 4. & 5. tex. 27. & lib. 10. tex. 15. Et tale non ens, est propriè malum, de quo in præsenti quæstione concluditur, quod nullam habet causalitatem, sed est effectus in rerum natura alicuius causæ, non formalis, nec finalis, nec efficientis per se, sed efficientis per accidens. Ità Caiet. cùm D. Th. per totam quæstionem 48. & 49. in p. p. & alibi.

QVÆSTIO XVII. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm causa per accidens, quæ est fortuna, & casus detur respectu primæ causæ, an potius respectu secundæ

EX CAIETANO

P. p. q. 82. art. 4. & q. 103. per totam quæstionem, & alibi in Comment.

171. Caiet. ex diffinitione data ab Arist. in hoc 2. lib. Phys. tex. 52. de Fortuna, & Casu, scilicet, Fortuna, & Casu est causa secundum accidens in his quæ fiunt secundum electionem eorum, quæ proptèr aliquid sunt, sumit occasionem proponendi præfatam quæstionem. Et in p. p. q. 103. art. 1. 5. 7. & 8. agit vbiq; cùm D. Th. de fortuitis, & casualibus an dentur respectu cuiuslibet causæ creatæ, & etiàm respectu Dei, qui est prima causa increata: De Fato enim quæretur in quæstione sequenti. Et in p. p. q. 82. art. 4. extendit quæstionem etiàm ad primos motus animi nostri. An, scilicet, Fortuna, seu Casus, vel potius natura ipsa cùm influxu generali, seu prima motione Dei sint causæ primæ intellectionis nostræ, occasione Responsionis quàm dat S. Doctor ad tertium Argumentum illius art. 4. Et in q. 103. art. 8. declarat titulum respectu primæ causæ quià, ait, idem est, ac quærere an possit aliquid contingere prætèr Diuinam gubernationem, & hoc quæsitum differt ab alio, quod quærit, an aliquid possit facere contrà Diuinam gubernationem, quod est idem, ac quærere vtrùm aliquid sit

Aperitur quæstio à Caiet. locis cit.

reni-

renitens, ideſt nonobediens, vel difficile obediens Diuinæ gubernationi, hoc enim renitentia importat. Vndè ſi nihil prætèr diuinam gubernationem euenit, aut euenire poteſt. Certè, quod nihil caſuale, & fortuitum, vt dicemus infrà, eſt reſpectu primæ cauſæ quæ eſt Deus. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex ſuis Comment. in qua declaratur Diffinitio fortunæ.

172. Adnotat primo Caiet. ex D. Th. diffinitionem Fortunæ, & Caſus, quod ly Fortuna cauſa dicitur, & non effectus fortuitus, vt more Philoſophico loquamur: quià idiotæ putant fortunam eſſe effectum illum, qui per accidens ſequitur, qualis eſt inuentio Theſauri: vndè qui inuenit, à plebe dicitur fortunatus. Igitur cauſa dicitur per accidens, quià ad cauſam per ſe omnis cauſa per accidens reducitur ſicuti omne tale per accidens reducitur ad tale per ſe. Et dicitur ſecundum electionem ad differentiam ipſius Caſus, qui magis communitèr ſe habet quàm fortuna. Cùm hæc in ſolis rationalibus, qui agunt à propoſito, & agunt proptèr finem formalitèr, & in ſolis animalibus, quæ agunt proptèr finem materialitèr inueniatur fortuna, & ideò ſoli ipſi fortunati dicuntur; non verò lapis, & cætera inanimata poſſunt dici fortunata; hinc eſt quod caſus propriè loquendo in ipſis agentibus ex pura natura propriè reperitur. Quià igitur Fortuna, & Caſus poſſunt ex effectibus ſuis proprijs per accidens denominari formalitèr cauſæ non per ſe, ſed per accidens, ideò quæſtio ſe extendit ad quærendum an iſta cauſalitas competat omni cauſæ per ſe, vel poſſit competere. Ità Caiet. in ſuis Comment. & præcipuè loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p. p. q. 82. a. 4. in quem reducenda ſit prima intellectio noſtra.

173. Adnotat 2. Caiet. in p. p. q. 82. art. 4. quod intellectio prima dicitur duplicitèr quæ eſt effectus cauſæ intellectiuæ creatæ. Vno modo ſimplicitèr prima, quàm, ſcilicet, puer primo habet; alio modo prima in tali ordine, quàm ſcilicet, in aliquo negotio tractando aliquis primo habet. Et quamuis de vtraq; ſit hic ſermo, & ſecundum ſuperficiem litteræ Reſponſionis ad tertium art. 4. cit. magis de prima ſimplicitèr; ſecundum tamèn profunditatem, de ſecunda non minus intenditur, imò de ea directè loquitur Ariſt. in 8. Eth. dicens, quod principium conſiliandi, & intelligendi eſt aliquod intellectiuum principium altius intellectu noſtro, quod eſt Deus. Reducere ergo primas intellectiones in Deum, cogit ratio eadem, qua aſtringimur reducere omnes motus in primum motum. Ità quòd ſicut dicimus, quod ignis non combùreret ceſſante primo motu, ità dicimus, quod motus intellectuales, qui ſunt extrà motus corporeos, vt patet in 3. de anima, opportet quod reducantur in primum intellectualitèr motum, ideſt in primum intellectum in actu. Et cùm motus intellectuales noſtri ſic ordinati, & motus voluntatis reducantur medio motu intellectiuo, motus autèm intellectus per ſe ipſum, & quià motus intellectus, non eſt qui imperatur à voluntate, ſed qui præuenit voluntatem, qualis eſt prima intellectio ſimplicitèr, ideò prima intellectio, dicetur infrà, quod reducitur in Deum, vt vniuerſale, & primum principium intellectualium, non vt primum Cœli motorem. Nec ad hoc exigitur aliqua ſpecialis influentia, ſed generalis eſt influxus in omnes non ſolùm animas noſtras, ſed Angelicos Spiritus eadem ratione. Reduci autèm primos intellectus motus in tali ordine in Deum eadem ratio oſtendet infrà in Concluſione. Ità Caiet. art. 4. cit.

Opinio recitata à Caiet. in p. p. q. 82. art. 4. de primo motu animi noſtri.

174. Quo ad 2. Caiet. circà hæc, quæ modo dicta ſunt in hac adnotatione ibidem loc. cit. recitat quod aliquis poſſet opinari, quod motus animi noſtri à S. Doctore reducuntur in Deum, vel proptèr impotentiam intellectus, vel proptèr euitationem caſus. Proptèr primum quià intellectus eſt ſecundum ſe in potentia omninò, & cùm in principio preſentatur ſibi obiectum, nec adeſt voluntas, habet ſufficiens motiuum quo ad ſpecificationem actus, ſcilicet, obiectum, ſed nullum habet motiuum, quo ad exercitium actus, quià abeſt voluntas quæ nata eſt ipſum mouere quo ad hoc. Vndè

dè restat intellectus impotens ad exeundum in actum, nisi aliquod aliud adsit motiuum, & propterea poni oportet altius motiuum ad exercitium, quod dicimus Deum. Propter euitationem verò casus, posset etiam quis hoc opinari, quià si nec voluntas, nec aliqua superior causa ponitur mouere intellectum magis ad intelligendum, quàm non intelligendum, aut magis ad hoc, quàm illud intelligendum, à casu est omnis prima intellectio, pro vt, scilicet, contingit sic, aut alitèr offerri obiecta &c. Sed si diligentèr consideremus (concludit Caiet. ex sua sententia vt videbimus infrà in sua Conclusione) neutra harum causarum ad propositam reductionem ducit. Ità Caiet. art. 4. cit. in Resp. ad tertium.

175. Quo ad casualia, & fortuita respectu Dei, & causæ creatæ Caiet. cùm D. Th. in q. 103. art. 1. (Primo ponit opinionem, quorundam Philosophorum, qui gubernationem Mundo subtraxerunt dicentes omnia fortuito agi, contrà quàm positionem Caiet. cùm D. Th. ponit infrà suam propriam Conclusionem. Deindè addit Caiet. ibidem. Nota hic duo. Primo quod cùm sint tres opiniones, altera dicens omnia esse casualia; Altera omnia esse necessaria; Et alia media, quædam necessaria, & quædam casualia, & hæc sola sit vera. Non est allata à S. Doctore opinio dicens omnia esse necessaria, sed tantùm dicens esse casualia, quià ista negat gubernationem: illa verò ponendo omnia determinata, gubernationem affirmat vt patet ex Resp. ad secundum D. Th. Nota secundo quod ratio D. Th. prima non solùm contradictorium opinionis recitatæ probat, sed rationem illius confutat, dùm naturalia, euenire sempèr, aut frequentèr ait. Constat enim casualia extrà sempèr, & frequentèr versari ex 2. Physicorum. Ità Caiet. art. 1. cit. *Opiniones recitatæ a Caiet. in p.p. q. 103. art. 1. de casualibus, & fortuitis.*

176. Quo ad 3. Caiet. cùm D. Th. in art. 1. q. 103. p. p. ponit hanc Conclusionem. Impossibilis est illa opinio, quæ ponit omnia esse casualia, & fortuita. Probatur à Caiet. primo ex modo operandi naturalium sic. In rebus naturalibus, sempèr aut in pluribus prouenit melius, ergo non omnia sunt fortuita; sed ab aliqua prouidentia diriguntur ad bonum: ergo gubernantur ab aliquo. Antecedens patet. Consequentia verò prima probatur quià ordo manifestat ordinantem, vt patet in domo, quod si quis intraret domum benè ordinatam ex ipsa domus ordinatione ordinatoris rationem perpenderet. Et patet etiàm ex Tullii dicto, quod introducit Arist. in lib. de Natura Deorum. Secunda consequentia patet ex quid nominis gubernationis. Secundo ex parte causæ actiuæ sic. Diuinæ bonitatis est producere res, ergo ad perfectum ducere, ergo ad consecutionem finis, ergo gubernare. Antecedens supponitur. Prima consequentia probatur quià optimi est optima producere. Secunda verò quià vltima perfectio cuiusq; consistit in consecutione finis; Tertia autèm patet ex quid nominis. Ità Caiet. in art. 1. q. 103. cit. *Concl. Caiet. cũ D. Th. de fortuitis ex p.p. q. 103. art. 1. cùm sua probatione.*

177. Secunda Conclusio cùm D. Th. ponitur à Caiet. in p. p. q. 103. art. 7. hoc modo. Impossibile est quod respectu primæ causæ sit aliquid fortuitum, & casuale, quod est idem dicere, quod aliquid contingat prætèr ordinem Diuinæ gubernationis. *2. Concl. Caiet. & D. Th. de Casualibus ex a. 7. q. cit. cùm sua probatione.*

Probatur à Caiet. cùm D. Th. tali ratione. Nullus effectus potest euenire prætèr ordinem causæ vniuersalis: Diuina gubernatio est vniuersalis causa non in vno genere, sed totius entis, ergo nihil potest prætèr ipsius ordinem euenire, quod dicatur casuale, & fortuitum. Probatur maior ex differentia intèr causam particularem, & vniuersalem in hoc, quod prætèr particularem potest effectus contingere, prætèr vniuersalem non. Et probatur differentia, quià prætèr particularem est alia causa sibi non subdita, ex qua potest effectus impediri: prætèr vniuersalem verò nulla est, quià omnes causæ reducuntur in illam, & sub illius ordine cadit quid-

quid per quamcumq; causam fit. Declaratur hoc exemplo indigestionis. Sicut enim indigestio contingit prætèr ordinem virtutis nutritiuæ ex aliquo impedimento, puta ex grossitie cibi, quàm necesse est, reducere in aliam causam, & sic vsq; ad causam primam vniuersalem. Ità Caiet. cùm D. Th. in art. 7. cit.

3. Concl. Caiet. de primis motibus animi nostri ex q. 82. art. 4. cum sua probatione quo ad 1. partem.

178. Tertia Conclusio ponitur à Caiet. de primis motibus animi nostri in p. p. q. 82, art. 4. quæ potiùs est Metaphysicalis, sed quià habet connexionem cùm Casu, & Fortuna, ideò recitatur à Caiet. sic in hoc loco. Nec impotentia intellectus, nec euitatio casus reducit motus animi nostri in Deū, sed est specialis prouidentia de eis.

Probatur à Caiet. prima pars negatiua sic, & impotentia in primis falso imponitur intellectui, quoniàm, & sensus exterior, aut saltèm æstimatiua (quàm clariùs patet actiuè operari) sufficit ex se exire in actum secundum si reducitur in actum primum ab obiecto, nullo præcedente appetitu, vt patet de primis sensationibus Brutorum. Nec est minoris efficaciæ intellectus possibilis informatus specie obiecti, quàm sensus informatus specie sensibili. Vndè quemadmodùm non opportet ponere altius motiuum sensuum ad primas sensationes quo ad exercitium actus, sed ipsa sensuum natura sufficit ità nec in intellectu: Sufficit enim ad hoc naturalis vis intelligendi indita animæ, mediante intellectu agente, & possibili.

179. Casualitas deindè malè attribuitur: quoniàm quæ ex frequenti vsu prouenìunt, casu nequaquàm fiunt, constat autèm quod vniuersale, quod est proprium motiuum intellectus, ex multis rationibus, memorijs, & experientijs colligitur. Vt dicitur in secundo post. & proæmio Met. non igitur casu, sed ex frequentioribus actibus sensuum circà hoc magis, quàm circà illud prouenit, quod priùs intelligatur hoc quàm illud. Rursus quià frequentiùs sensus mouetur ab vniuersalissimis, vtpotè cùm omnibus sensatis concurrentibus non casu, sed ex ordine naturæ est, quod primo moueatur intellectus à Communissimis, iuxtà ea, quæ diximus in quæstione de primo Cognito in Comment. de Ente, & Essentia. Si igitur nec impotentia, nec casus ad talem reductionem ducunt, inquirenda est alia ratio eius, cùm temerarium videatur concordem talium tantorumq; Philosophorum Arist. & D. Th. sententiam inficiari. Ità Caiet. loc. cit. art. 4.

Prob. 2. partis 3. Concl.

Probatur secunda pars Conclusiónis à Caiet. sub tali forma sic. Motus intellectuales non sunt deterioris conditionis, quàm motus corporales: sed hi omnes reducuntur in causam aliquam per se sui ordinis, saltèm in primum motum: ergo motus intellectuales isti reducuntur in aliquam causam per se sui ordinis: sed ipsi sunt in ordine actuum secundorum, sunt enim consilium, & intellectus in actu ergo debent reduci in aliquid eminentius consilio, & intellectu in actu, tale autèm non est intellectus in anima nostra, ergo est altius mouens ad huiusmodi consilia, & intellectiones. Et hæc ratio videtur induxisse Aristotelem ad hanc sententiam in libro de bona Fortuna. Quamuis enim causam illius intellectionis magis, quàm illius poneremus præsentiam, & dispositionem huius phantasmatis magis, quàm illius, non proptèr hoc saluaretur quod hic effectus tàm nobilis haberet causam per se sui ordinis. Patet igitur quod natura non sufficit ad primos actus, nec ponimus miracula, sed generalem influxum, & non solùm in corporibus, sed in ordine intellectuum, & specialem de eis prouidentiam. Ità Caiet. art. 4. q. 82. cit.

Arg. 1. Caiet. & D. Th. contrà 1. & 2. Concl. ex p. p. q. 103. art. 5. cùm sua Resp.

180. Quo ad quartum Arguit Caiet. cùm D. Th. in q. 103. art. 5. qūod omnia sunt fortuita. Dicitur enim Eccl. 9. Vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec fortium Bellum, nec Sapientium Panem, nec Doctorum diuitias, nec Artificum Gratiam, sed Tempus, casumq; in omnibus, ergo ea quæ sunt sub Sole sunt Casualia, nec subduntur Diuinæ gubernationi.

Resp.

Resp. Caiet. cum D. Th. Ad primum ergo dicendum, quod sub Sole dicuntur ea esse, quæ secundum ortum Solis generantur, & corrumpuntur. In quibus omnibus casus inuenitur, non ità quod omnia, quæ in eis fiunt, sint casualia, sed quià in quolibet eorum aliquid casuale inueniri potest, & hoc ipsum quod aliquid casuale inuenitur in huiusmodi rebus, demonstrat ea alicuius gubernationi esse subiecta. Nisi enim huiusmodi corruptibilia ab aliquo superiori gubernentur, nihil intenderent, maximè quæ non cognoscunt, & sic non eueniret in eis aliquid prætèr intentionem, quod facit rationem casus. Vndè ad ostendendum, quod casualia secundum ordinem alicuius superioris causæ proueniunt, non dicit simplicitèr, quod vidit casum esse in omnibus, sed dicit tempus, & casum, quià, scilicet, secundum aliquem ordinem temporis casuales defectus inueniuntur in his rebus. Ità Caiet. cum D. Th. art. 5. cit. q. 103.

181. Arguit secundo Caiet. cum D. Th. ibidem in art. 7. nihil est casuale quod euenit secundum præordinationem alicuius gubernantis. Si igitur nihil accidit in rebus prætèr ordinem gubernationis Diuinæ, sequitur quod nihil in rebus respectu causæ secundæ sit fortuitum, & casuale. *Arg. 2. Caiet. ex art. 7 q. cit. cum sua Resp.*

Resp. Caiet. cum D. Th. Ad secundum dicendum quod aliqua dicuntur casualia esse in rebus per ordinem ad causas particulares, extrà quorum ordinem fiunt. Sed quantum ad Diuinam prouidentiam pertinent nihil fit casu in Mundo, vt Aug. dicit in lib. 83. quæst. q. 14. Ità Caiet. cum D. Th.

182. Arguit tertio Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 22. art. 2. sic. Nullum prouisum est fortuitum: si ergo omnia sunt prouisa à Deo, nihil erit fortuitum, & sic perit casus, & fortuna quod est contrà communem opinionem. *Arg. 3. Caiet. & D. Th. ex p. p. q. 22. art. 2. cum sua Resp.*

Resp. Caiet. cum D.Th. quod alitèr est dicendum de causa vniuersali, & de causa particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autèm ordinem causæ vniuersalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem, sicut lignum impeditur à combustione per actionem aquæ. Vndè cùm omnes causæ particulares concludantur sub vniuersali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ vniuersalis effugere. In quantùm igitur aliquis effectus ordinem alicuius causæ effugit particularis dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causæ particularis: sed respectu causæ vniuersalis, à cuius ordine substrahi non potest dicitur esse prouisum: sicut, & concursus duorum seruorum licet sit casualis in quantùm ad eos, est tamen prouisus à Domino, qui eos scientèr sic ad vnum locum misit, vt vnus de alio nesciat.

183. Addit Caiet. ibidem, quod tam fortuitum, quàm casuale relatiuum est, & propterea non opportet, id quod in se, & simplicitèr est fortuitum, esse fortuitum respectu omnis Agentis. Quià res igitur dicuntur fortuitæ vel casuales in ordine ad naturam, & intentionem creatam, non inconuenit, quod in ordine ad diuinam intentionem, non fortuitæ, sed per se intentæ sint, & dicantur: ità tamèn quod secundum se sumptæ simplicitèr casuales, seù fortuitæ, & sint, & dicantur ea ratione, quià vnaquæque res est, & iudicatur secundum proprias, & proximas causas. Ità Caiet. loc. cit. art. 2. q. 22. p. p. in Resp. ad primum Argumentum D. Thomæ.

QVAE

Ad quod genus causæ reducatur Fatum

EX CAIETANO

In p. p. q. 116. art. 1. 2. 3. & 4. & alibi.

Declaratur titulus, & simul tangitur à Caiet. radix quæstionis in art. 1. q. 116. p. p.

184. Titulus, ait Caiet. est clarus in art. 1. q. cit. ex quid nominis in communi vsu. Fati enim nomine causam quamdam occultam à qua nihil declinare potest, intelligere videmur, & duæ propositiones ponuntur à S.D. in art. cit. ex quibus præsens oritur quæstio. Prima est. In rebus inferioribus apparent quædam à casu, & fortuna. Secunda est. Aliquid relatum ad causas inferiores est casuale, vel fortuitum, quod tamen relatum ad aliquam superiorem causam est per se intentum. Prima suppositio patet ad sensum. Secunda verò declarata fuit in præcedenti quæstione, & in art. cit. exemplo Boetij de concursu seruorum à Domino destinatorum seorsim. Ex his enim nascitur quæstio an factum sit, & quid sit. Cùm enim circà contingentia tantùm fatum ponatur, si omnia, quæ contingentia sunt, relata ad inferiores causas habent aliquàm superiorem causam per se intendentem illa, fatum est, & si non, non. Et propterea variæ sunt opiniones de reductione casualium in causas superiores: Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 116. art. 3. quotuplex sit fatum,

185. Adnotat 1. Caiet. cum D.Th. in art. 3. q. 116. p. p. quod dispositio secundarum causarum, quàm fatum dicimus, potest dupliciter considerari. Vno modo secundum causas ipsas secundas, quæ sic disponuntur, seù ordinantur; alio modo per relationem ad primum principium à quo ordinantur, scilicet, Deum. Quidam ergo posuerunt ipsam seriem, seù dispositionem causarum esse secundum, se necessariam, ità quod omnia ex necessitate contingerent propter hoc, quod quilibet effectus habet causam, & causa posita, necesse est effectum poni: sed hoc patet esse falsum per ea quæ suprà dicta sunt, scilicet, in q. 115. art. 6. Alij verò è contrario posuerunt fatum esse mobile, etiàm secundum quod à Diuina prouidentia dependet. Vnde Egiptij dicebant quibusdam Sacrificijs Fatum posse mutari, vt Gregorius Nyssenus dicit, sed hoc excluditur, quià immobilitati Diuinæ prouidentiæ repugnat. Et ideò dicendum est, quod fatum secundum considerationem secundarum causarum mobile est; sed secundum quod subest Diuinæ Prouidentiæ immobilitatem sortitur non quidem absolutæ necessitatis sed conditionatæ secundum quod dicimus hanc conditionalem esse veram, vel necessariam. Si Deus præsciuit hoc futurum, erit. Et Caiet. addit notando istam duplicem necessitatem, absolutam, scilicet, & immutabilitatis. Prima non conuenit Diuinis ad extrà, sed secunda tantùm, quæ hic vocatur necessitas conditionalis, & alibi necessitas ex suppositione. Ità Caietanus art. 3. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex art. 2. q. cit. quid sit fatum.

186. Adnotat secundo Caiet. in art. 2. q. 116. cit. quod fatum nihil aliud est, quàm causa contingentium secundum ordinem Diuinæ prouidentiæ; & cùm ordo duplex esse habeat in ipso Deo, & in causis medijs, opportet quod fatum, aut sit illa vis ordinans, vt est in Deo, aut in causis medijs; sed non est, pro vt est in Deo quià sic propriè vocatur prouidentia, imò Boetius ponit fatum in rebus creatis. Et sic ex art. 1. q. 116. habemus quod fatum est Diuina prouidentia causaliter, ex hoc autèm

art.

art. 2. habemus, quod est dispositio in causis medijs, vt subsunt Diuinæ prouidentiæ, & hoc est formalitèr. Ità Caiet. in art. 2. q. 116.

Opiniones de Fato recit. à Caiet. in art. 1. q. 116. p. p.

187. Quo ad secundum opiniones de fato recitantur à Caiet. cum D.Th. in art. p. q. 116. p. p. & primo est opinio negatiua, quod huiusmodi contingentia nullam superiorem causam habent, & sic hæc opinio, & fatum, & Diuinam prouidentiam negat, quæ reprobatur à D.Th. in quæstione de Diuina prouidentia, cui hæc omnia repugnant, vt de Tullio Aug. recitat in 5. de Ciu. Dei cap. 11. Alia est opinio Auicennæ, & aliorum, qui omnia fortuita, & casualia, quæ in istis inferioribus accidunt, siuè in rebus naturalibus, siue in rebus humanis reducere voluerunt in superiorem causam, id est in Cælestia corpora. Et secundum hoc fatum nihil aliud est, quàm dispositio syderum, in qua quisque conceptus est, vel natus: sed quod hoc stare non possit videbimus immediatè infrà in conclusionibus. Ità Caiet.

Prima Conclusio Caiet. & D. Tho. præambula ad Resp. quæsiti cum probatione primæ partis in art. 1. q. 116. p. p.

188. Quo ad tertium. Prima Conclusio Caiet. est in art. 1. cum D. Th. posita sub hisce verbis. Non omnia contingentia causantur à Cælestibus: sed omnia, quæ hic per accidens fiunt, siuè naturalia, siuè humana reducuntur in regulam Diuinæ Prouidentiæ.

Probatur à Caiet. cum D.Th. prima pars, quæ est negatiua sub tali forma; & primo quo ad res humanas. Causa cælestis non directè, & per se attingit actus humanos, ergo non est causa per se ordinans eos, ergo non est causa fatalis. Antecedens patet ex dictis. Prima consequentia, probatur ex eo quod causa ordinans aliqua, directè id quod agitur respicit. Secunda verò consequentia, probatur ex eo quod causa finalis est ordinans contingentia vt de se patet, quià per se intendit ea. Secundo probatur quo ad naturalia. Causa cælestis, agit vt naturale principium determinatè ad vnum, ergo non per se ad ens per accidens. Antecedens probatur quià effectus eius in hoc mundo sunt naturales. Prima consequentia probatur quià effectus eius in hoc mundo sunt naturales. Prima consequentia probatur quià naturæ actio est determinata ad vnum. Secunda verò probatur quià ens per accidens non est propriè vnum, nec ens. Et patet exemplo fossionis sepulchri, & inuentionis thesauri, quià nulla natura per se hoc facere potest, quod intendens fodere sepulchrum, inueniat thesaurum.

Prob. 2. p. primæ Conclusionis.

Probatur secunda pars affirmatiua à Caiet. sub tali forma. Et primo quod reducantur in aliquod intellectuale agens. Intellectus potest ad quantumcumque per accidens terminari vt vnum apprehendendo, ergo si efficax est potest efficere ens per accidens, vt vnum, ergo ea, quæ per accidens hic aguntur, in causam intellectualem reducuntur. Antecedens probatur quià format hanc propositionem. Fodiens sepulcrum est inueniens thesaurum. Consequentia prima probatur quià par est ratio de intellectione, & ordinatione, si supponitur efficacia ad agendum, & ordinandum practicè. Secunda verò consequentia relinquitur pro constanti ex illa regula. Si negatio est causa negationis. Si enim non posse comparari vt vnum est causa, quod ens per accidens nullam habet causam in natura, ergo posse comparari vt vnum ad intellectum est causa, vt inueniat causam in ordine ad intellectum, quamuis possit dici, quod consequentia vltima tenet de possibili, & hoc hic sufficit, quià de facto superius ostensa est illa Conclusionis secunda pars, cùm tractaretur de prouidentia. Tertio probatur quod illud agens intellectuale est Diuina Prouidentia sub tali forma. Voluntas à solo Deo potest immutari, ergo ordinatio humanorum actuum soli Deo attribui debet. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur quià voluntas est principium humanorum actuum. Ità Caietanus art. 1. loc. cit.

189. Se-

2. Conclusio Caiet. & D. Th. ex art. 1. q. cit. cum sua probatione.

189. Secunda Conclusio Caiet. & D. Th. responsiua secundum rem est hæc. Fatum poni potest pro prouidentia Diuina præ ordinante omnia, & præ loquente. Et responsiua quo ad nomen est hæc. Sancti recusauerunt hoc vocabulo vti propter errorem vitandum. Probatur vtrumque ex auctoritate Aug. qui in 5. de Ciuit. Dei sic ait. Si propterea quisquam res humanas fato Dei tribuit, quià ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat. Et sic Gregorius fatum esse negat in homil. Epiphaniæ. Absit à fidelium cordibus, vt fatum esse aliquid dicant. Ità Caiet. art. 1. cit.

3. Conclusio Caiet. D. Th ex art. 2. cum sua probatione p. partis.

Tertia Conclusio est Caiet. & D. Th. in art. 2. & 4. esto fatum sit in rebus creatis, non omnia tamèn subduntur fato. Probatur prima pars à Caiet. sub tali forma.

Diuina Prouidentia per causas medias suos exequitur effectus, ergo ordinatio effectuum dupliciter potest considerari, in Deo, vel vt in causis medijs, sed vt in Deo est prouidentia, ergo vt in causis medijs est fatum. Quanta sit vis huius rationis, ostendit Doctrina allata in Adnotatione secunda suprà. Ità Caiet. art. 2. cit.

Probatio 2. p. 3. Conclusionis ex art. 4. q. cit.

Secunda pars probatur à Caiet. in art. 4. sub tali forma, & primo ratione. Fatum est ordinatio causarum secundarum ad effectus diuinitus prouisos, ergo omnia subdita fato, subduntur causis secundis: ergo ea, quæ à Deo immediatè fiunt non subduntur fato, ergo non omnia subduntur fato. Antecedens est ratio fati. Consequentiæ omnes sunt per se notæ, tamèn secunda probatur, quià talia non subduntur causis secundis: tertia quoque declaratur in creatione, & glorificatione spiritum, & alia huiusmodi. Secundo probatur auctoritate Boetij dicentis quod ea, quæ sunt primæ Diuinitati propinqua, stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Et ex hac probatione ponitur corrollarium, quod quanto aliquid longius sit à Deo, tanto magis fato subest. Probatur quià magis subijcitur causis secundis. Ità Caiet. art. 4. cit.

Arg. 1. Caiet. & D. Th. in art. 1. q 116. contrà 2. Conclusionem.

190. Quo ad quartum Arguit Caiet. cum D. Th. in art. 1. contrà secundam Conclusionem. Ea quæ fato aguntur non sunt improuisa, quià vt Aug. dicit. 5. de Ciuit. Dei c. 9. Fatum à fando dictum intelligimus, idest à loquendo, vt ea fato fieri dicantur, quæ ab aliquo determinante sunt antè præ locuta, quæ autèm sunt prouisa, non sunt fortuita, neque casualia. Si igitur res fato aguntur excludetur casus, & fortuna à rebus.

Resp. ad 1. Arg.

Resp. quod nihil prohibet aliquã esse fortuita, vel casualia per comparationem ad causas proximas, non tamèn per comparationem ad Diuinam prouidentiam, sic enim nihil temerè fit in Mundo, vt Aug. dicit in lib. 83. quæst.

Arg. 2. Caiet. ibidem art. 1.

Arguit Caiet. in art. 1. q. 116. contrà probationem secundæ partis primæ Conclusionis. Sic. Propositum fuit in probatione secundæ partis, & quod naturalia, & quod humana ad Diuinam referantur prouidentiam, & tamèn non est probatum nisi de humanis. De naturalibus enim probatum est tantùm, quod ad aliquum intellectualem causam referenda sunt.

Resp. ad Arg. 2. ipsius Caiet. 1.

191. Resp. Caiet. primo quod illa verba, & præcipuè intellectum Diuinum, non sunt iungenda tantum cum consequentibus in quibus ponitur probatio de humanis: sed etiàm cum antecedentibus, in quibus fuit probatio communis. Et hoc insinuat ly præcipuè, quasi diceret contingentia reducuntur in aliquam causam agentem per intellectum, & præcipuè Diuinum, quià ipse est prima causa, ex quo habet quod respiciat directè ens in quantum ens, & eius consequenter differentias, scilicet, per se, & per accidens. Non fuit autèm sollicitus ad probandum ly præcipuè, &c. quià ex superius dictis iàm constat, quod ille intellectus efficax respectu omnium naturalium non est nisi diuinus; Alij verò intellectus, scilicet, Angelici participant hanc

effi-

efficaciam respectu huius, vel illius effectus, prout ministerium eorum exigit.

Secundo Resp. quod probando intellectum dirigentem actus humanos esse Diuinum, à fortiori probauit implicitè, & virtualitèr intellectum dirigentem contingentia naturalia: quoniàm humani actus,& sunt magis contingentes,& sunt superioris ordinis: & consequentèr si actus humani à Deo solo; alia ab ipso, aut solo, aut principalitèr regulantur: quià quidquid potest virtus inferior potest, & superior. Ità Caiet. art. 1. cit. *Resp. 2. Caiet. ad 2. Arg. suum.*

192. Arguit tertio Caiet. in art. 2. q. cit. contrà primam partem tertiæ Conclusionis cum D. Th. sic. Si fatum est in creaturis, aut est substantia, aut accidens: & quodcumque horum detur, opportet, quod multiplicetur secundum creaturarum multitudinem. Cum ergo fatum videatur esse vnum tantùm, videtur, quod fatum non sit in creaturis, sed in Deo. *Arg. 3. Caiet. & D. Th. in art. 2. contrà 1. p. 3. Cõclusionis cum sua Resp.*

Resp. quod fatum dicitur dispositio, non quæ est in genere qualitatis, sed secundum quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia, sed relatio. Qui quidem ordo si consideretur per comparationem ad suum principium est vnus, & sic dicitur fatum; si autèm consideretur per relationem ad effectus, vel ad ipsas causas medias, sic multiplicatur per quem modum dixit Poeta. Te tua fata trahunt. Ità Caiet. cum D. Th. art. 2. cit.

Addas ad hæc pro intelligentia Doctrinæ Caiet. in hac quæstione ea, quæ habet D. Th. in opusc. suo 28. de fato per quinque art. completo. Vbi in quinto in principio habet hæc, scilicet, fatum in veritate causa non est sed est aliquid causæ sicut dicimus aliquando, quod aliqua non sunt verè entia, sed sunt aliquid entis. Vide ibi.

QVÆSTIO XIX. SECVNDI PHYSICORVM

Vtrùm omne quod est, scilicet, de nouo, habeat causam

EX CAIETANO

In p. p. q. 115. art. 6. §. Circà hoc examen, &c. & in fine

193. CAiet. in art. 6. loc. cit. circà titulum ait, quod examen propositionis quæsiti consistit primo in illius destructione n communi, distinguendo de eo quod est, & fit, scilicet, per se, & per accidens, & quod ens per se habet causam, ens verò per accidens non. Et probatur quià non verè ens non habet verè causam, ens per accidens est huiusmodi, probatur quià non est verè vnum vt patet. Et secundo consistit in applicatione ad propositum, distinguendo ipsas causas in productione effectus qui dicitur per accidens, quarum vna impeditur ab altera à concursu earum, & dicendo, quod licet ipsæ causæ necessariò causent, concursus tamèn earum per accidens, & consequentèr effectus ex illo concursu caret causa, ex qua necessario sequatur, & declarabitur vtrumque in secundo loco infrà exemplo noto naturali. Sed sunt hic multa dubia, quæ vtinam Deus illuminet, & dubitationes occurrunt, & simplicitèr, & ad hominem in examine istius quæstionis. Ità Caiet. loc. cit. *Declaratur Titulus à Caiet. art. 6. cit.*

Doctr. 1. Caiet. in art. 6. q. 115. cit. in qua exponitur radix casus, & fortunæ.

194. Adnotat primo Caiet. in art. 6. cit. quod manifestè patet, quod posse deficere in minori parte, quod est radix casus, & fortunæ, & omnis contingentiæ in naturalibus, consequitur posse non esse, & vt vno verbo dicatur, consequitur imperfectionem propriam corporibus inferioribus, consequens est, vt contingentia vt sic non reducantur in aliquam causam cælestem puram, nec immediatè, cùm aliquid tale fit à Cœlo, corporibus inferioribus purè passiuè concurrentibus; nec mediatè, cùm aliquid contingens fit à Cœlo, & inferiori agente. Sed vtrobique contingentia resoluitur in conditionem corporum inferiorum differentèr tamèn: quià cum Cœlum tantùm concurrit actiuè, contingentia effectus reducitur in conditionem horum corporum, vt conditionem agentis, quod tamèn comparatur ad Cœlum vt patiens, vt prædictum est. Et idcò Diuinum Arist. ingenium, & in primo Periherm; & in 6. Met. in 2. Phys. sempèr resoluit contingentiam naturalium in conditionem corporum inferiorum, quià, scilicet, possunt deficere. Sed de genere in 6. Met. relinquit sub dubio an sicut ad materiam, an sicut ad agens. In secundo autèm Phys. reducit ad agens, casum, & fortunam. In primo autèm Periherm, reducit ad materiam, seù potentiam passi. Et omnia sunt vera, si dicta considerentur, quæ inspicere poteris radicalitèr in 3. contrà gent. c. 86. Et ratio destruens fundamentum Auicennæ in hoc fundatur quod corpora inferiora sint materia, & patiens præsuppositum toti actioni cœlesti, vt probatur infrà in Conclusione. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ibidem in qua notantur impedimẽta causarum.

195. Adnotat 2. Caiet. ibidem, quod impedimentum est duplex. Alterum actiuum, alterum materiale. Actiuum enim est, quod impedit actionem ex parte agentis, seù vt exigit ab agente, materiale autèm, quod impedit actionem, vt recipitur in passo. Et rursus materiale contingit duplicitèr. Vno modo ex actione alterius agentis, sicut aquositas ligni impedit combustionem: Ea enim, quamuis materiale impedimentum sit, est tamèn effectiuè à causa pluuia, quæ madefecit lignum. Alio modo ex ipsa conditione materiæ, sicut frigiditas aquæ impedit calefactionem, cuius tamèn frigiditatis non est alia causa, nisi ipsa natura aquæ, quæ occurrit vt materia calefactionis. Ex hoc clarius patet primum, quod diximus, & quod conditio effectum inferiorum consequens impedimentum materiale, tenens se ex conditione ipsius materiæ, non ex actione ipsius agentis non causatur à Cœlo. Et hoc intendebat S. Thomas in 6. Met. Vbi contingentiam reduxit ad impedimentum materiale. Nec oppositum dicitur in art. 6. cit. dicendo, quod causæ non deficiunt in minori parte, nisi proptèr aliquam causam impedientem. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in fine Comm. in qua dicitur quid sit res, vt distinguitur contrà concursum.

196. Adnotat tertio Caiet. in fine Comment. art. 6. cit. in Resp. ad dubium an omnis res naturalis, accipiendo rem vt distinguitur contrà concursum habeat causam ex qua necessariò fiat. Quod cùm sint tria genera rerum, quæ fiunt, quædam enim fiunt semper, & de his non est quæstio, quædam vt in pluribus, de his etiàm patet, quod fiunt necessariò, non simplicitèr, sed necessitate physica: quædam verò fiunt extrà semper, & frequentèr. Et hæc non fiunt ab vna sola causa, seù à pluribus, vt in littera dicitur, scilicet, causa deficiente in minori parte, & ab alia causa deficiente illam facere in hac parte, ità quod nunquàm fit talis effectus, nisi existente plurium causarum concursu non curando modo de generibus causarum. Vndè si ambæ causæ considerentur secundum se, non habetur aliquod ens per accidens. Et si ambæ concurrant ex ea parte, quæ habent naturam necessitatis, nunquam etiàm fiet aliquid per accidens. Sed si concurrant ambæ, aut altera ex ea parte qua habent, vel habet naturam possibilitatis, iàm concursus est contingens, & sic quidquid ex causis illis vt sic, concurrentibus fiet, contingentèr fiet. Et quoniàm vt iàm pa-

tet,

ret; causæ naturales habent aliquid naturæ necessariæ, & aliquid naturæ possibilitatis, vt patet ex operibus earum, opera enim sua sunt vt in pluribus, & vt frequentèr, & hoc est ex natura possibilitatis. Vndè causæ penitus necessariæ non habent vtraque opera, sed sempèr eadem agunt. Causis igitur, & rebus naturalibus habentibus naturam possibilis, & ex ea parte, qua deficiunt in minori parte, si concursus cum alia causa ex ista parte erit, erit concursus contingens, & causa illa alia quamuis in se esset necessaria, vt coniuncta tamèn possibili vt sic, ad contingentiam declinat, & contingentèr attingit effectum illum, qui ex vtriusque concursu fit. Ità Caiet. loc. cit.

Quo ad secundum in art. 6. in fine Comment. ait Caiet. ex dictis patet primo Resp. ad quæsitum, quià non omnes res habent causam necessariam, quià non illa, quæ fiunt extrà, sempèr, & frequentèr. Patet secundo quod concursus est complementum contingentiæ, & radix possibilitatis. Patet tertio ratio verborum S. Th. & hic, & vbique, quod intendit, non quod omnis res, nec quod res, quæ fit in minori parte, sed quod effectus illarum duarum concurrentium, non vt concurrentes sunt, sed vt seorsim sumptarum reducuntur in aliquas causas necessarias: quià nulla mistio fit necessarij ad possibile, vt possibile est, quoniàm omnis talis mistio concursu fit plurium causarum. In corpore quoque art. 6. cit. nihil aliud habetur affirmatiuè, nisi quod nulla causa actualitèr deficit in minori parte, nisi proptèr aliquam causam impedientem, sed verùm effectus illius causæ impedientis etiàm seorsim sumptæ fiat necessariò, vel non, in littera non dicitur. Nec valet arguere negatiuè. Non confutauit hoc, ergo &c. Iàm enim dicta est causa, quare non examinauit hoc, ex natura possibilis, & necessarij. Ità Caiet. loc. cit. *Opinio S. Th. circà quæsitum explicatur à Caiet. ibidem ar. 6.*

197. Quo ad tertium prima Conclusio Caiet. cum D. Th. est sub his verbis posita in corpore art. 6. q. 115. p. p. Omne quod est per se habet causam; quod autèm est per accidens non habet causam. Probatur à Caiet. cum D. Th. hæc secunda pars sic, quià non est verè ens, cùm non sit verè vnum. Probatur inductiuè. Album enim causam habet, similitèr, & musicum, sed album musicum non habet causam, quià non est verè ens, cum non sit verè vnum. Manifestum est autèm, quod causa impediens actionem alicuius causæ ordinatæ ad suum effectum vt in pluribus concurrit ei interdùm per accidens, vndè talis concursus non habet causam, in quantùm est per accidens. Et proptèr hoc id, quod ex tali concursu sequitur non reducitur in aliquam causam præexistentem, ex qua ex necessitate sequatur. Sicut quod aliquod corpus ignitum terrestre in superiori parte aeris generetur, & deorsùm cadat, habet causam aliquam virtutem cælestem. Et similiter etiàm, quod in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cæleste principium; sed quod ignis cadens huic materiæ concurrat, & comburat eam, non habet causam corpus cœleste, sed est per accidens: hinc patet etiàm, quod non omnes effectus cœlestium corporum sunt ex necessitate. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 6. cit. *Prima Conclusio Caiet. cum D. Tho. responsiua quæsiti ex art. 6. cit. cum sua probatione quo ad singulas partes simul.*

Secunda Conclusio est Caiet. in art. 6. cit. Esto omnis effectus naturæ inferioris cum omni eius conditione naturali dependeat à Cœlo ratione primi motus tanquàm à causa communissima sine qua nihil fieret: non omnis tamèn conditio effectus naturalis est reducibilis in aliquam causam cœlestem purè, siuè mediatè, siuè immediatè. *2. Conclusio Caiet. contrà Auicennam cum sua probatione prima ex art. 6. cit.*

Probatur à Caiet. sub tali forma. Conditio effectus proueniens ex impedimento materiæ non reducitur in motorem seù actiuum in illam, vt patet: sed multæ sunt conditiones in effectibus inferioribus prouenientes ex dispositione materiæ, idest corporum inferiorum, quæ sunt materia, & patiens respectu cœli, ergo &c. Si dicatur cùm Auicenna, quod illæ dispositiones materiæ, idest corporum inferiorum

causantur ab aliquo corpore cœlesti,& sic redit idem. Ad excludendum hoc formetur ratio non de aliqua parte cœli, sed toto simul, vt prius subsumendo: sed respectu totius Cœli corpora inferiora sunt materia,& patiens, ergo habent proprias conditiones præsuppositas à toto Cœlo in eo vt actiuum est in hæc inferiora, & consequentèr conditiones effectum consequentes conditiones horum corporum, vt materia sunt, non resoluuntur in actiones cœlestium corporum, sed in conditiones corporum inferiorum. Probatur hoc subsumptum: quià omnes agens per motum, aut mutationem præ supponit materiam in quam agit.

2. Probatio Caiet. pro 2. Conclusione sua.

Prætèr hanc probationem allatam destruentem fundamentum Auicennæ, assero contrà proteruos rationem, quam nec ipse Auicenna poterit inficiari ex secundo Cœli tex. 17. & sequentibus. Sic. Elementa spectant ad substantialem integritatem vniuersi, igitur præsupponuntur actioni cœlesti. Antecedens patet ibidem, vbi probatur quod terra naturalitèr præcedit etiàm primum motum Cœli, cum terra sit infimum, omnia ergo elementa naturalitèr præcedunt. Nec obstat quod in primo Meteorum declaratur, quod difformitas elementorum est secundum appropinquationem, & elongationem à motu Cœli: quoniàm ibi non declaratur difformitas, quoniàm stabilita erat in secundo Cœli: sed talis difformitas, scilicet, quod supremum est callidissimum, &c. Et rursus talis difformitas consequitur conditionem materiæ, & non solam elongationem, aut approximationem vt patet. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 1. Caiet. contrà 1. Conclusionem ex art. 6. cit.

198. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. contrà primam Conclusionem. Et primo simplicitèr. Sicut effectus quasi simplex puta album, aut callidum habet in corpore cœlesti aliquam per se causam, in quam reducitur eius proxima causa, ità concursus causarum proximarum causatur à concursu illarum causarum cœlestium vt in exemplo allato. Combustibile esse in superficie terræ est tandèm ab, A, causa cœlesti,& similitèr combustiuum superiùs genitum, deorsumque cadens est à, B, Cœlesti causa, ergo concursus combustibilis cum combusto est ex concursu A, & B. Tùnc vltrà sed concursus A, &, B est per se, & non per accidens. Probatur quià in Cœlo nullus est concursus per accidens, omnia enim ibi sunt per se, ergo concursus istorum inferiorum habet per se causam secundum esse, quamuis quo ad nos sit per accidens, quià latet suæ connexionis perseitas. Et hæc ratio multo tempore me vinctum tenuisse videtur.

Resp. Caiet. ad 1. Arg.

Resp. Caiet. quod non semper concursus est ex concursu, vt ex causa necessaria quare, &c. quià ille concursus syderum, quamuis in se sit per se, & necessarius, vt applicatus tamèn ad hos effectus est contingens: quià applicatur mediantibus corporibus potentibus deficere; sicut & singula agentia cœlestia licet in se sint necessaria, relata tamèn ad hæc inferiora sunt agentia vt in pluribus, & deficientia quandoque, quià modificantur in his corporibus potentibus deficere. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. contrà eamdem Conclusionem.

199. Arguit secundo Caiet. ibidem ad idem, ad hominem. In 6. Met. S. Th. examinans hæc, videtur velle totum oppositum eius, quod hic dicit, resoluit omnia namque in hoc quod concursus non habet causam, ibi verò saluat, quod concursus potest habere causam superioris ordinis, puta concursus horum inferiorum, potest habere causam cœlestem. Et dat exemplum de concursu herbarum in florendo. Rursus hic dicit, quod impedimentum causæ reducitur in aliquam causam, ibi verò omnia resoluit in hoc, quod impedimenta non habent causam cœlestem. Et sic omnia videntur reddi ambigua.

Resp. prima ad Arg. 2.

Resp. Caiet. primo singillatim ab obiecta dicendo, quod nulla penitus est contradictio, quoniàm ibi particularitèr affirmat concursum habere causam, hic verò de-

destruit vniuersalem, omnis concursus habet causam per se. Similitèr ibi particularitèr concedit negatiuam, scilicet, impedimentum materiale non habet causam Cœlestem, vbi duæ particularizationes sunt, prima impedimenti, secunda causæ. Hic verò assumit omne impedimentum habere causam, sed non Cœlestem aut effectiuam, nec necessariam, sed absolutè habere causam, quod patet non repugnare illi.

Scito tamèn hic, quod ratio contingentiæ naturalium potest duplicitèr assignari, vno modo ex parte complementi, alio modo ex parte radicis. Radix quidem huiusmodi contingentiæ est natura potentiæ inuenta in naturalibus, qua, & possunt deficere in minori parte, & sunt in potentia contradictionis, vt dicitur in primo Perihermenias. Complementum verò contingentiæ ex concursu accidentali causarum siuè actiuè, & passiuè, siuè actiuarum intèr se &c. Et proptereà non opposita dixit, sed vtrumq; assignauit in diuersis locis D. Thomas. In 6. siquidem Met. radicem, hic verò, & in primo Perihermenias, & in lib. cont. gent. complementum tetigit, vt suprà diximus in prima Adnotatione. In tertia verò Adnotatione resoluitur an omnis res naturalis accipiendo rem vt distinguitur contrà concursum habeat causam, ex qua necessariò fiat. Ità Caiet. art. 6. q. 115. p. p. *Resp. 2. Caiet. ad Arg. 2.*

200. Arg. 3. Caiet. in p. p. q. 44. a. 1. Dantur entia necessaria in Mundo citrà Deum, quæ nullam habent causam ergo &c. Si haberent causam, esset efficiens hanc non habent: hoc probatur quià ad hoc indiget quis causa efficiente vt sit: Sed entia necessaria non possunt non esse: quià quod est necesse esse, non potest non esse ergo &c. *Arg. 3 Caiet. ex p. p. q. 44. art. 1.*

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod ex hac ratione quidam moti fuerunt ad ponendum, quod id quod est necessarium non habet causam vt dicitur in 8. Phys. sed hoc manifestè apparet falsum in scientijs demonstratiuis, in quibus in principia necessaria sunt causæ Conclusionum necessariarum, & ideò Arist. in 5. Met. tex. 6. dicit, quod sunt quædam necessaria, quæ habent causam suæ necessitatis. Non ergo proptèr hoc solum requiritur causa agens, quià effectus potest non esse, sed quià effectus non esset, si causa non esset. Hæc enim conditionalis est vera, siuè antecedens, & consequens sint possibilia, siuè impossibilia. *Resp. D. Th. ad Arg. 3.*

Addit Caiet. aduerte, quod ista Resp. formalis consistit in negatione illius maioris. Quod non potest esse non indiget causa efficiente, seù non indiget causa dante sibi quod sit, & ratio assignatur in littera, quià est fallacia consequentis à pluribus causis veritatis &c. Indigere enim causa efficiente contingit ex duobus, vel ex eo, quod potest esse, & non esse: vel ex eo, quod non esset si causa in quantum causa non esset, idest si ab alio non haberet illud esse, hunc enim sensum causæ nomen insinuat. Et hanc interpretationem diligentèr notato per eam enim soluitur dubitatio minùs penetrantium Resp. D. Th. & instantium, quod non valet, hoc non esset, ergo illud est causa huius, vt patet in correlatiuis, & etiàm in homine, & risibili: homo enim non esset, si risibile non esset, & tamèn risibile non est causa hominis. Cessant enim hæc omnia si perspectum fuerit quod Resp. de Causa in quantùm causa, & non de re, quæ est causa absolutè loquitur. Valet enim, A, non esset si causa illius non esset, idest si non causaretur ergo A eget causa. Illi autèm interpretabantur de re, quæ est causa materialitèr. Ità Caiet. q. 44. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 3. D. Th.*

IN-

INCIPIT LIBER TERTIVS Physicorum

QVAESTIO PRIMA

Quid sit Motus? Et an fiat in instanti.

EX CAIETANO

In p. p. q. 53. art. 3. & alibi in suis Comment.

1. CAiet. in p. p. q. 53. art. 3. quærit; cùm supponat tres tantùm esse motus genericè distinctos, de motu ad vbi, qui dicitur latio, seù motus localis; & non de motu ad quantitatem, qui dicitur augmentatio, aut diminutio; nec de motu ad qualitatem, qui dicitur alteratio, intensio, & remissio. Et ideò, ait, Titulus eget diligentissima adnotatione.

Aperitur status controuersiæ à Caiet. Tyronybus Thomistis in p. p. q. 53. art. 3.

Cùm enim motus sit nomen commune motui, & mutationi tripliciter intelligi potest quæstio ista. Primo de simplici acquisitione loci. Vtrùm, scilicet, quis, etiàm Angelus, in instanti acquirat locum. Talis sensus, loquendo de Angelo; non est ad propositum, & patet solutio eius: Quoniàm potest Angelus in instanti applicare se ad locum, ac si priùs nusquàm fuisset. Secundo modo potest intelligi de acquisitione loci succedente mansioni alicuius, etiàm Angeli, in altero loco. Et hoc dupliciter primo vt quæstio sit de mensura transitus de vno in alium, seù quod idem est de mensura desitionis prioris loci, & acquisitionis posterioris. Et hæc quæstio euidentem etiàm habet solutionem in Angelo, quoniàm constat talem mensuram esse instantis: nec in isto sensu quæritur à S. Th. Et propterea multa Argumenta Greg. recitata à Capr. in 6. sent. dist. 2. quià ad hunc sensum spectant, contrà S. Th. non sunt. Nihil enim aliud inferunt nisi quod in instanti acquiritur terminus ad quem, in quo etiàm deseritur terminus à quo, cuius oppositum creditur nos opinari. Alio igitur modo potest intelligi de comparatione mensuræ propriæ acquisitionis termini ad quem ad mensuram propriam termini à quo. Vtrùm, scilicet, se habeant hæ duæ mensuræ vt instans, & instans, aut vt tempus, & tempus aut vt instans, & tempus. Et hæc est quæstio præsens, quàm discutere intendimus cùm D. Th. vndè quærere vtrùm motus quilibet, etiàm Angeli sit in instanti, in proposito est quærere: Vtrùm mensura transitus etiàm Angeli de loco ad locum sic se habeat quod mensura acquisitionis termini ad quem, se habeat ad terminum à quo, vt instans ad tempus, & hoc est valdè notandum. Ità Caiet. art. 3. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex sui Comment. & 3. p. q. 2. art. 7. in qua explicatur quomodo mo-

2. Adnotat primo Caiet. in suis Comment. circà quidditatem motus, quod in 3. Phys. Arist. loquendo de motu in communi, vt in 5. loquitur de motu vt propriè est passio entis mobilis triplex diffinitio assignatur in tertio Phys. de ipso motu in communi, scilicet, prima motus est actus entis in potentia in quantùm huiusmodi, scilicet, quatenus in potentia. Et in tex. 16. Motus est actus mobilis, quatenus mobile exi-

existit. Et in tex. 23. Motus est actus eius quod potentia actiui, & passiui, quatenus huiusmodi. Primaq; est communitèr acceptata vtpotè aliæ duæ circumscribentes ipsam. Et in 3. p. q. 2. ar. 7. in fine Comment. ait. In tantùm motus generationis pro vt terminatur ad substantiam dicitur substantia, & in genere substantiæ, quià generatio ratione termini sortitur, & dat esse substantiale. Sunt igitur motus, & terminus ad quem eadem entitas sub duplici munere, altero quidèm cito transeunte, quod est reducere subiectum de potentia ad actum, altero magis durante, quod est afficere, & informare subiectum: sub primo munere vocatur motus, sub secundo terminus. Stante igitur illa diffinitione, quæritur an conueniat omni motui, & instantaneo, & successiuo, & primo quæritur, an vt sic possit fieri instanti, prout distinguitur contrà mutationem instantaneam. Ità Caiet. loc. cit.

tus, & terminus ad quem sint eadem entitas.

13. Adnotat 2. Caiet. in p. 2. Circà titulum nonæ quæstionis de motiuo voluntatis: aduerte nouitie, quod idem est actus potentiæ, & id in quod potentia reducitur ad actum à suo motiuo: cùm mouere nihil aliud sit, quàm reducere de potentia ad actum. Et in p. p. q. 18. art. 1. addit ex D. Th. in Corpore quod. primo dicimus animal viuere, quando incipit ex se motum habere, & tamdiù iudicatur animal viuere, quamdiù talis motus in eo apparet, quando verò iàm ex se non habet aliquem motum, sed mouetur tantùm ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ. Ex quo patet quod illa propriè sunt viuentia, quæ se ipsa secundum aliquam speciem motus mouent: siuè accipiatur motus propriè, sicut motus dicitur actus imperfecti, idest existentis in potentia, siuè motus accipiatur communitèr, pro vt motus dicitur actus perfecti, pro vt intelligere, & sentire dicitur moueri, vt dicitur in tertio de Anima, vt sic viuentia dicantur quæcumq; se agunt ad motum, vel operationem aliquam, ea verò, in quorum natura non est vt se agant ad aliquem motum, vel operationem, viuentia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem. Ità Caiet. in loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p. 2. q. 9. & p. p. q. 18 a. 1. quod motus indicat vitam.

14. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 53. art. 3. quod ratio S. Th. pro Conclusione infrà fundatur supèr has duas propositiones. Prima est. Impossibile est aliquid in aliquo toto tempore quiescere, & in vltimo instanti illius temporis alitèr se habere. Altera est. Omne quiescien in aliquo toto tempore, in quolibet instanti illius eodem modo se habet. Circà has sciendum est, quod quidam sub intelligi putant duas distinctiones. Vna est de ly in toto aliquo tempore, scilicet, primo, vel non primo. Altera est de ly in quolibet instanti, scilicet, intrinseco, vel extrinseco. Et dicunt quod propositio sic moderanda est, omne quiescens in aliquo toto tempore primo, idest adæquatè, in quolibet instanti intrinseco illius eodem modo se habet. Et hoc modo dicitur, quod propositio est per se nota, sicq; eam assumptam fuisse à S. Th. sed salua pace eorum dixerim vocem propriam ignorare videntur. Quoniàm apud S. Th. eorum iudicio ex ista propositione non habetùr, quod si aliquid est tale, puta homo, vel album in aliquo toto tempore, opportet quod etiàm sit tale in vltimo instanti illius. Et tamèn si ista propositio sic intelligenda esset, euidentèr constat, quod quidquid est homo in aliquo tempore adæquatè, in quolibet instanti illius est homo. Nec distinctio de instanti intrinseco, & extrinseco posset euasionem præbere. Quoniàm prima opinio quàm improbat S. Th. non dicebat aliquid quiescere in toto aliquo tempore, & in vltimo instanti intrinseco alitèr se habere, vt patet in littera art. 3. cit. Quià ergo intentio Doctoris ex proposito, in quo loquitur, colligenda est, & manifestè patet primam opinionem iudicasse, motum Angeli ad eius quietem præcedentem se habere, vt instans generationis ad tempus præuiæ alterationis: & constat, quod nec alteratio illa mensuratur toto illo tempore primo, nec

Doctr. 3. Caiet. ex p p. q. 53. art. 3. in qua explicantur duæ propositiones fundamẽtales Concl. 1.

instans

instans illud generationis est intrinsecum tempori, vt mensuranti alterationem, consequens est, quod si S. Th. efficacitèr improbare intendit positionem prædictam, quod assumat propositionem vniuocè cùm aduersario, alioquin in solis verbis esset quæstio. Ità Caiet. art. 3. cit.

Doctr. 4. Caiet. loc. cit. ibidem declarans easdem propositiones negantes motum esse in instanti.

5. Anotat 4. Caiet. consequentèr ad prædictam ibidem. Sciendum est igitur, quod in toto tempore duplicitèr distribui potest. Primo in partes tantùm, vt idem sit dicere in toto aliquo tempore, & in qualibet parte illius temporis. Secundo in partes, & in quæcumq; illius sunt; Et sic idem est dicere, in toto aliquo tempore, & in qualibet parte, & in quolibet instanti illius. Et quamuis vtroq; modo propositio sit in vsu, in proposito tamèn in primo sensu à Philosophis, & Theologis intelligitur; Alioquin esset implicatio in adiecto, dicere cùm ex aqua fit ignis, in toto illo tempore est aqua, & in vltimo instanti est ignis. Et in hoc sensu constat, primam opinionem dixisse, quod Angelus in toto aliquo tempore quiescit, & in vltimo illius instanti nouum locum acquirit; opportet ideò dicere, in eodem sensu distribui ly in toto tempore. Ità quod controuersia est: An ista propositio, A, quiescit in aliquo tempore, idest in qualibet parte alicuius temporis, & in vltimo instanti illius alitèr se habet, an sit possibilis. Prima opinio reputauit eam possibilem, & supèr ipsam fundauit suam positionem. Sanctus Thomas verò reputat eam esse impossibilem. Ità Caiet. ibidem loc. cit.

Opiniones recitæ à Caiet. & explicatæ in p. p. q. 53. art. 3.

6. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 53. art. 3. recitat cùm D. Th. vbi quærit vtrùm motus Angeli sit in instanti, opinionem quorumdam, qui dixerunt motum localem Angeli esse in instanti. Dicebant enim, quod cùm Angelus mouetur de vno loco ad alium in toto tempore præcedenti Angelus est in termino à quo, in vltimo autèm instanti illius temporis est in termino ad quem. Nec opportet esse aliquod medium intèr duos terminos, sicut non est aliquod medium intèr tempus, & terminum temporis. Intèr autèm duo nunc temporis est tempus medium. Vndè dicunt, quod non est dare vltimum nunc, in quo fuit in termino à quo, vt patet in illuminatione, & in generatione substantiali ignis. Sed Caiet. defendit cùm D. Th. hoc non habere locum in proposito, quià de ratione motus vt sic, communitèr loquendo de motu qui est actus imperfecti, & de motu, qui est actus perfecti, est quod id quod mouetur, alitèr se habeat nunc, & priùs, quod est non posse moueri in instanti, & hoc attentis naturis rerum, vt dicemus infrà. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. 1. Caiet. & D. Th. negatiua ex p. p. q. 53. art. 3. cum sua probatione.

7. Quo ad tertium prima Conclusio Caiet. & D. Th. est in q. 63. p. p. in Comment. art. 3. negatiua sic. Non est verum, quod quando quis cùm mouetur, etiàm loquendo de Angelo, sit in toto tempore præcedenti in termino à quo, in vltimo autèm instanti sit in termino ad quem, quod est idem, ac dicere, quod non mouetur instantaneè.

Probatur à Caiet. cùm D. Th. sub tali forma. Omnis mutatio instantanea est terminus alicuius motus: sed quilibet motus etiàm Angeli non est terminus alicuius motus, ergo non est mutatio instantanea. Minor est per se nota. Maior verò probatur ex conuenientia intèr motum, & quietem, quo ad mensuram, in hoc quod quidquid mouetur in aliquo toto tempore, in quolibet illius temporis alitèr, & alitèr se habet. Et similitèr quidquid quiescit in aliquo toto tempore, in quolibet illius eodem modo se habet. Ex hac enim conuenientia sequuntur duæ modales. Altera est, impossibile est aliquid toto aliquo tempore quiescere, & in vltimo illius alitèr se habere. Altera est. Possibile est aliquid toto aliquo tempore moueri, & in vltimo illius alitèr se habere. Et ex his manifestè patet maior. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

8. Se-

Concl. 2. Caiet. & D. Th. affirmatiua responsiua quæsiti cum sua probatione loc. cit.

8. Secunda Conclusio Caiet. & D. Th. est sic posita. Motus communitèr, extendendo etiàm ad motum Angeli, necessario est in tempore. Probatur à Caiet. sub tali forma. In motu etiàm Angeli sunt duo nunc, ergo ibi est tempus. Antecedens patet, quià in motu Angeli, sicut, & in quolibet alio, opportet assignare priùs, & posterius: sed in motu Angeli illud priùs non potest esse tempus, sed est vltimum nunc, in quo fuit in termino à quo, & posteriùs est alterum nunc, vt patet ex improbatione præcedentis opinionis. Consequentia verò probatur ex eo, quod vbicumq; sunt plura nunc, ibi necessario est tempus. Dicitur tamèn quod vtrumq; tempus mensurans motum Angeli, scilicet, continuum, & discontinuum aliud est à tempore mensurante motum Cœli: quià motus Angeli non dependet ex eo. Ità Caiet. loc. cit.

3. Concl. Caiet. fundamentale, 1. Concl. cùm sua probatione loc. cit.

9. Tertia Conclusio Caiet. ibidem est sic posita pro verificatione maioris in probatione primæ Conclusionis. Impossibile est secundum ordinem rerum naturalium aliquid habere esse quietum in toto aliquo tempore, & in fine illius alitèr se habere. Probatur, seu declaratur à Caiet. sic.

Quoniàm omne factum esse in ratione termini ad quem, seù omnis terminus præceditur secundum naturæ cursum ab aliquo fieri: habet enim hoc rerum ordo, experientia teste, vt nihil nouum tàm repente fiat per se, quin aliqua præcesserit via ducens ad illum terminum. Et propterea, cùm habere aliquid esse sub quiete, non sit via ad alteritatem, siuè acquisitiuam, siuè deperditiuam, sed habere illud esse in motu, quià hoc est acquirere, vel perdere, consequens est, vt quiescens in aliquo toto tempore in termino illius eodem modo se habeat: alioquin venisset ad terminum, ad quem non processisset. Quod autèm in termino alitèr se habet quàm priùs, præcedente motu, ad terminum venit. Et addit Caiet. quod in Conclusione non est sermo de possibili, aut impossibili Logico, & respectu potentiæ Diuinæ, sed de possibili Physico, in quo attenditur, quid rei ordini congruat, seclusis miraculis, non quid Deus possit. Et hoc semper est attendendum in scrutandis rerum naturis, sectantibus S. Th. doctrinam. Ità Caiet. loc. cit.

Instantiæ plures factæ à Caiet. loc. cit. contrà 1. & 3. Concl.

10. Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà illas duas propositiones in probatione maioris pro prima Conclusione. Prima instantia est de instantia transubstantiationis panis in Corpus Christi, cùm tamèn in toto tempore præcedenti, panis quieuerit. Secunda est de aere tenebroso, & subiecto illuminato, quoniàm in toto tempore præcedenti quieuit sub tenebra. Et si dicatur inquit ipse Scotus cit. à Capr. in 6. sent. dist. 2. quod illuminatio est terminus motus localis, hoc nihil facit. Tùm quià hoc est per accidens. Tùm quià Deus posset instantaneè producere corpus luminosum, præsens aeri quiescenti in tenebris toto tempore præcedenti. Tùm quià ex hoc non euaditur, quin ex parte subiecti aer quieuerit toto tempore in rei veritate: & tamèn in vltimo instanti alitèr se habet. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad 1. Instantiam.

Resp. Caiet. ad has instantias sic, facile patet ex dictis Resp. & prima de transubstantiatione duplicitèr deficit. Primo quià illud non est naturale, sed miraculosum valdè, ac per hoc ad potentiam Dei spectat. Secundo deficit in hoc, quod transubstantiatio nullam habet quietem oppositam, nisi abuti velimus vocabulis, cùm nec motus ipsa sit.

Resp. ad 2. Instantiam, 1

11. Ad secundam de Illuminatione dicitur, quod illuminatio est terminus localis motus, & ad obiectiones contrà hoc Resp. & ad primam dicitur, quod quamuis illuminatio absolutè per accidens terminet motum localem, quoniàm scimus partes propinquas corpori solari perpetui esse luminis nullo accessu, vel recessu Solis ab eis concurrente, tamèn illuminatio noua, de qua tantùm præsens potest esse sermo ad

 pro.

propositum, per se est terminus motus localis, non per se primo, sed per se secundo, secundum naturæ cursum.

Et ex hoc patet Resp. ad secundam quià, scilicet, non est ad propositum, quià de Dei potentia, non de naturæ cursu loquitur. Ad tertiam dicitur, quod quamuis aer quiescat secundum esse absolutum in toto tempore præcedente præsentiam Solis, non tamen quiescit secundum esse relatiuum, quià continuè alitèr, & alitèr se habet ad Solem secundum esse propinquum, vel distans: sed quià ad Relationem non est motus, vt dicitur in 5. Phys. sed aliquid potest alitèr se continuè habere secundum esse relatiuum, proptèr motum non in se, sed in alio ad ipsum habentem ordinem aliquem, ideò stat, quod aer non quiescat sub tenebra, nec moueatur, sed habens eam continuè alitèr se habeat proptèr motum alterius secundum esse respectiuum ducens ad exclusionem tenebræ, & acquisitionem luminis. Et vtrumq; horum ponitur satis rationabilitèr. Nàm quià ad Relationem non est motus, ergo nec quies, quoniàm circà idem habent fieri, sed loco motus est alitèr se habere, & loco quietis eodem modo se habere. Et quià priuatio luminis, scilicet, tenebra non radicatur in aliqua forma contraria lumini, sed in relatione distantiæ, seù absentiæ intèr Diaphanum, & lucens, consequens est, quod aer absq; motu in se, alitèr se habet continuè secundum esse tenebrosum consecutiuè, ex hoc quod alitèr se habet continuè secundum esse propinquum ad Solem per motum Solis.

Resp. ad 3. Instantiam.

12. Tertia deindè instantia multiplicitèr deficit, quàm facit Caiet. ex Scoto, non intelligente mentem S. Th. sed quià est de motu Angeli non affertur hic, vtpotè transcendens metas physicales: & ideò relinquitur Lectori ad legendum art. 3. cit. pro Theologiæ Cathedra; sicuti, & etiàm relinquitur eidem necessitas probandi cùm D. Th. & Caiet. tempus discretum ex natura operationum Angelicarum consequentèr se habentium, vt etiàm ostenditur in quæstione 10. p. p. sicuti, & etiàm relinquitur in hoc loco necessitas ponendi aliud tempus continuum Angelicum, à tempore communi, ex hoc quod mutabilitas alicuius non dependet à motu Cœli. Et quandò dicitur, quod tempore Iosuè stante Cœlo, motus qui facti sunt interim, tempore communi mensurabantur: Resp. Caiet. quod tempore Iosuè, primum mobile stetisse non constat, sed tantùm corpus Solare: quamuis etiàm posset etiàm dici, quod concessa cessatione primi motus, hoc miraculum non aufert, quin motus inferiores ex natura sua non dependeant à primo. Quamuis, quià ista dependentia est respectu extrinseci, Diuina virtus suspendere, aut supplere eam possit. Ità Caiet. In fine Comment. art. 3. q. 53. in p. p. Lector igitur, si vult legat illa in loc. cit. In hoc loco posita sunt, quæ spectant ad Physicalia ex ipso Caiet. collecta.

Cur non soluàtur in suo loco instantiæ Caiet. factæ còtrà motum Angelicum.

Et nota pro complemento huius quæstionis de motu in instanti Doctrinam, quàm habet Caiet. in p. 2. q. 113. in principio Comment. art. 7. vbi ait. In art. 7. nota duas radices ex Philosophia, alteram vndè prouenit, quod forma non fiat in instanti; alteram vndè prouenit, quòd agens egeat tempore ad disponendam materiam sufficientèr pro forma. Et prima in primis duobus simul iunctis consistit, scilicet, in dispositione subiecti, & indigentia temporis ad disponendum. Secunda autèm in vno, scilicet, in proportione resistentis indispositionis ad virtutem agentis disponentis. Et est sermo de forma permanente. De successiua namq; nulla est quæstio, quià implicat eam esse in instanti. Et quoniàm hæ radices causæ propriæ dictorum effectuum acceptantur; Ideò Auctor vtens posterioristica Doctrina, si affirmatio est causa affirmationis &c. ex negatione harum causarum concludit ibi art. 7. S. Doctor, Gratiam infundi in instanti. Ità Caiet. art. 7. cit.

Doctr. Caiet. ex prima secundæ q. 113. a. 7. declarans radicem huius quæsiti &c.

QVAE-

QVÆSTIO II. TERTII PHYSICORVM

Vtrùm actio sit idem quod motus, & in quo subiectetur

EX CAIETANO

P. p. q. 41. art. 1. 45. art. 2. (p. 2. pluribus in locis, & alibi.

14. CAiet. cùm Arist. in 3. Phys. cap. 3. tex. 22. & cùm D. Th. notat ordinem, quem habent ad inuicem hæc tria, scilicet, Actio, Passio, & Motus. Et de Actione, & Passione in sua Logica explicando tertiam speciem qualitatis, scilicet, passionem, & passibilem qualitatem, ait, quod sumendo passionem non communitèr pro omni receptione, nec propriè pro passiua transmutatione, nec transumptiuè pro operatione appetitus sensitiui, sed modalitèr pro qualitate sensibili existente per modum passionis in transitu, vel est motus, vel in motu consistit, fluens esse habens: Et Prædicamenta opportet impermixta esse vt dicitur in p. post. Et in explicatione modi mensurandi respectu quantitatis addit Caiet. Motus, qui in genere quantitatis collocari videtur, ab Arist. & D. Th. non est numeratùs intèr quantitates, quià non habet aliquam specialem rationem mensuræ: Albertus Magnus aliam rationem reddit, quià, scilicet, caret indiuisibili substantifico vnius generis; Substantia enim motus diuersorum generum est, scilicet, vbi fluens, quale fluens, quantum fluens; Ideò adnotanda est distinctionis qualitas intèr motum, actionem, & passionem; sicuti, & etiàm, an sit in passo, vel in agente. Ità Caiet. loc. cit. pro declaratione Tituli.

Status Controuersiæ à Caiet. aperitur Tyronibus Thomistis in sua Logica de Prædicamentis.

15. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 41. art. 1. ex corpore art. quod actio secundum primam nominis impositionem importat originem motus. Sicut enim motus pro vt est in mobili ab aliquo, dicitur passio, Ità origo ipsius motus secundum quod incipit ab alio, & terminatur in id quod mouetur, vocatur actio. Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis, secundum quod à causa aliqua, vel principio procedit in id quod est à principio. Vndè cùm in Diuinis non sit motus. Actio v. g. personalis producentis personam nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio. Quæ quidem habitudines sunt ipsæ relationes, vel notiones. Quià tamèn de Diuinis, & intelligibilibus rebus loqui non possumus, nisi secundum modum rerum sensibilium, à quibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones, & passiones, in quantùm motum implicant, aliud sunt à relationibus, quæ ex actionibus, & passionibus consequuntur, opportet seorsim significare habitudines personarum per modum actus, & seorsim per modum relationum: Et sic dicuntur esse idem secundum rem, sed differunt solùm secundum modum significandi. Et quià actio secundum quod importat originem motus infert ex se passionem; sic actio non est in Diuinis, vndè non ponuntur ibi passiones nisi Grammaticè loquendo, quantùm ad modum significandi, vt Patri attribuimus generare, & Filio generari. Addit Caiet. in Resp. ad secundum aduerte, quod in præfata Resp. duo dicit, scilicet, quod actiones istæ sunt idem in Diuinis realitèr, quod

Doctr. 1. Caiet. exp p q. 41. arte 1. quid nomin actionis importetur.

relationes; & quod differunt ratione ab eis. Et primum probatur quià actio sub stracto motu non est nisi relatio &c. Secundum verò, quià de Diuinis sensibilium more intelligimus, & loquimur &c. Et hic est locus, quo alij vtuntur dicentes actionem esse subiectiuè in passo. Sed facilè ad hoc Resp. quod ibi est sermo de actione vt actio est, & non vt accidens est, vel substantia: Et ideò nihil Iuuat Ità Caiet. art. 1. cit. in Resp. ad secundum.

Doctr. 2. Caiet. ex p.p.q.45.a.2. in Resp. ad 2. & 3. in quo differant mutatio, & creatio.

16. Adnotat 2. Caiet. ex D. Th. in Resp. ad 2. & 3. art. 2. p. p. differentiam iterùm inter actionem creatiuam Dei, & productiuam agentis creati, quod creatio non est mutatio nisi secundum modum intelligendi tantùm. Nam de ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat alitèr nunc, & priùs. Nàm quandoq; est idem ens actualitèr se habens nunc, & priùs, sicut in motibus secundum quantitatem, & qualitatem. Quandoq; verò est idem ens in potentia tantùm, sicut in mutatione secundum substantiam, cuius est subiectum materia, sed in creatione, per quàm producitur tota substantia rerum, non potest accipi aliquid idem alitèr se habens nunc, & priùs nisi secundum intellectum tantùm: sicut si intelligetur aliqua res priùs non fuisse totalitèr, & postea esse. Sed cùm actio, & passio conueniant in substantia motus, & differant solùm secundum habitudines diuersas vt dicitur in 3. Phys. tex. 29. & 21.; opportet quod sub stracto motu, non remaneant nisi diuersæ habitudines in Creante, & Creato. Sed quià modus significandi sequitur modum intelligendi, vt dictum est, creatio significatur per modum mutationis. Et proptèr hoc dicitur, quod creare est ex nihilo facere aliquid, quamuis facere, & fieri magis in hoc conueniant, quàm mutare, & mutari: quià facere, & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam: sed mutationem, ex consequenti. Et ad tertium ait D. Th. In his, quæ fiunt sinè motu; similitèr est fieri, & factum esse, siuè talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio (nàm simul aliquid illuminatur, & illuminatum est) siuè non sit terminus motus, sicut simul formatur Verbum in corde, & formatum est. Et in his quod fit, est, cùm dicitur fieri: sed significatur ab alio esse, & priùs non fuisse. Vndè cùm creatio sit sine motu, simul aliquid creatur, & creatum est. Ità Caiet. ex D. Th. art. 2. cit. q. 45.

Doctr. 3. Caiet. ex p. 2. q. 31. a. 5. actio transiens, & immanens in quo subiectatur.

17. Adnotat 3. Caiet. in p. 2. q. 31. art. 5. ex D. Th. in corpore quod in operibùs Animæ præcipuè sensitiuæ, & intellectiuæ est hoc considerandum, quod cùm non transeant in materiam exteriorem sunt actus, vel perfectiones operantis, scilicet, intelligere, sentire, velle, & huiusmodi: nàm actiones, quæ transeunt in exteriorem materiam magis sunt actiones, & perfectiones materiæ transmutatæ. Motus enim est actus mobilis à mouente. Hoc idem D. Th. repetit in eadem p. 2. q. 74. art. 1. in corpore circà subiectum actionis peccaminosæ. Peccatum quidam actus est. Actuum autem quidam transeunt in exteriorem materiam, vt vrere, & secare: & huiusmodi actùs habent pro materia, & subiecto id in quod transit actio, vt Philosophus dicit in 3. Phys. quod motus est actus mobilis à mouente. Quidam verò actus sunt non transeuntes in exteriorem materiam, sed manentes in agente, sicut appetere, & cognoscere: Et tales actus sunt omnes actus morales, siuè sint actus virtutum, siuè peccatorum: vndè opportet, quod proprium subiectum actus peccati sit potentia, quæ est principium actus.

Doctr. 4. Caiet. ex p. 2. q. 22. a. 2. quomodo motus appetitiuæ partis habeant rationem

18. Adnotat 4. Caiet. in p. 2. q. 22. art. 2. pro motibus appetitiuæ, & apprehensiuæ partis, quod D. Th. Altiùs exorsus est ad venandum, àn pars appetitiua sit magis passio, quàm apprehensiua, ex proprijs, scilicet, rationibus motuum apprehensiuæ, & appetitiuæ; ità quod seclusa transmutatione corporali inuenit appetitiuum motum habere magis rationem passionis. Cùm enim secluso corpore, pati con-

consistat in recipere ab agente, & trahi in illud: omne enim agens assimilando sibi patiens trahit illud ad se, & pars apprehensiua minus trahatur ad agens, quàm pars appetitiua: consequens est, quod passionis communitèr dictæ magis habeat rationem pars appetitiua, quàm apprehensiua, quià pars apprehensiua trahitur ab agente ad hoc vt sit ipsum secundum esse intentionale; pars verò appetitiua trahitur ab agente ad hoc, vt iungatur sibi secundum esse naturale. Et ad secundum addit D.Th. quod vis appetitiua dicitur esse magis actiua quià est principium exterioris actus, & hoc habet ex ipso, ex quo habet quod sit magis passiua, scilicet, ex hoc quod habet ordinem ad rem prout est in se ipsa: per actionem enim exteriorem venimus ad consequendas res; hinc nota ait Caiet. quod non concedit auctor, quod vis appetitiua sit magis actiua simplicitèr, sed quoad principiandum actum exteriorem. Vis enim apprehensiua, cùm moueat appetitiuam est magis in actu simplicitèr, & magis actiua quodammodò. Appetitiua autèm efficacior est ad actum exteriorem, quià ei obediunt vires executiuæ, & quià primum mouens ad exercitium actus, quod tamen totum habet ex eodem, ex quo habet quod sit magis passiua. Ità Caiet. in fine Comment. art. 2. cit.

passionis magis, quàm motus apprehensiuæ.

19. Quo ad secundum Caiet. in sua Logica declarando sex vltima prædicamenta, in quibus ponitur actio, & passio, & non motus, tenet quod modalitèr distinguuntur. Et actio, in quo subiectetur declarat in suis Comment. in pluribus locis, vbi pluries dicit cùm D. Th. quod prætèr relationem, quæ resultat in agente ex eo quod actualitèr agit, ponenda est alia formalitas modalis in ipso agente ratione cuius constituatur agens, & intrinsecè mutetur. Et sic saluando idemtitatem motus causalem cum actione, & passione dicit, quod actio vt actio est, inchoatiuè est in agente, consumatiuè est in termino seù effectu, non secundum eamdem formalitatem, cùm sit diuersum subiectum, sed diuersam, quæ quidem entitates, seù formalitates ordine quodam idem sunt, vel vnum sunt. Hoc etiàm videtur insinuare Caiet. in fine adnotationis primæ suprà in primo loco quæstionis. Ità Caiet. in suis Comment.

Opiniones à Caiet. recitantur de actione, passione, & motu in sua Logica in prædicamẽtis, & alibi.

20. Quo ad tertium Conclusio Caiet. est in suis Commentarijs vbique sic posita: Actio verè Physica, inuoluens motum physicum, essentialitèr est in agente, consumatiuè vero secundum propriam formalitatem in passo.

Conclusio Caiet. eruta cum sua prob. ex suis Doctrinis in Comment.

Probatur à Caiet. ex sua Doctrina vbique tradita sub tali forma. Illa forma inhæret intrinsecè subiectiuè in subiecto illo, cui priùs præbet suam denominationem formalem, & intrinsecam mutationem: sed actio Physica, quæ propriè est transiens, priùs denominat agens in actu secundo, & mutatur priùs intrinsecè, quam præbeat alteram formalem denominationem, & intrinsecam mutationem ipsi passo; ergo quantum ad hoc erit prius subiectiuè in agente essentialitèr, consumatiuè verò quantùm ad aliam formalitatem in passo. Ergo vera Conclusio. Maior patet inductiuè. Visio denominat potentiam videntem, & obiectum visum, & quià priùs denominat potentiam, quàm obiectum: primò, & intrinsecè illa visio, est in potentia subiectiuè. Minor probatur. Ista causalis est vera, quià agens agit, ideò passum recipit, & effectus procedit, ergo actio prius denominat agens, imò ex eo quod agit resultant cætera omnia tàm ex parte effectus, quàm ex parte passi. Quod mutatio sit priùs intrinsecè in agente probatur: si prius intrinsecè non mutaretur agens, quando operatur, & sola extrinseca mutatio esset in passo, Agens creatum eodem modo se haberet sicut Deus in operando, qui sola actione sua, quæ sine motu est, infert mutationem in creatura, seù in passo; & solam relationem in Deo: sed hoc non potest esse, ergo dicendum est, quod per actionem mutatur priùs intrinsecè agens, & deindè passum, & sic actio consumatiuè sumpta est formalitèr in passo, inchoatiuè verò, & essen-

essentialitèr, & formalitèr in agente. Ità Caiet. ex suis doctrinis allatis in primo loco huius quæsiti ex D. Th. loc. cit.

Arg. vnicum Caiet. ex p. 2. q. 22. art. 3. contra motus partis appetitiuæ, & apprehensiuæ.

21. Quo ad quartum Arguit Caiet. in p. 2. q. 22. art. 3. contrà suam Doctrinam ex D. Th. allatam in vltima adnotatione de motibus partis appetitiuæ, & apprehensiuæ. Sic. Aut ibi est sermo de passione, vt est ab agente, aut communitèr, vt est siuè ab agente, siuè à fine. Si primo modo tunc ambigua videtur doctrina tradita, quoniàm de appetibili an moueat effectiuè appetitum, magna quæstio est; Si secundo modo tunc nihil valet Doctrina tradita, quià magis patitur, qui propriè patitur, quam qui metaphorice; Finis autèm, metaphoricè agit. Ex hoc igitur, quod appetitus magis trahitur ad suum obiectum, quàm pars apprehensiua ad suum, non sequitur, quod magis patiatur, quoniàm apprehensiua patitur vere, idest à verè agente: Appetitiua autèm non patitur verè.

Resp. Caiet. ad Argumentum.

Resp. Caiet. quod sumitur passio verè, & non metaphoricè, differentia igitur consistit in hoc, quod agens in partem apprehensiuam, trahit ipsam ad se in esse intentionali, & hic sistit, ad hoc enim actio hæc, & passio ordinatur. Appetibile autem agens in partem appetitiuam trahit ipsum effectiuè ad hoc vt iungatur sibi realiter, quouis modo contingat coniunctio realis illa, sufficit enim, quod passio illa per se ordinetur ad realem coniunctionem. Quod autem à multis vertatur in dubium, an appetibile agat in appetitum, eis relinquatur hæc dubitatio: nos enim experimur incuti nobis à malis futuris apprehensis, timorem &c. etiàm si nolimus. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO III. TERTII PHYSICORVM

Vtrum aliquid aliud, quàm Deus, possit esse infinitum per essentiam

EX CAIETANO

P. p. q. 7. art. 2. & etiàm art. primo, & alibi

Aperitur sensus quæstionis à Caiet. In p. p. q. 7. art. 1. & 2. Tyronibus Thomistis.

22. CAiet. cum Arist. in hoc tertio libro Phys. cum in præcedentibus egerit de motu in communi, in præsenti quæstione agit cum eodem de infinito; & cum D. Th. art. 2. quærit pro vt suprà, &c. Et ait. In titulo aduerte ly infinitum per essentiam, non significat idem quod res infinitæ perfectionis, quià ly infinitum non arctatur hic ad infinitum tenens se ex parte formæ, quod dicit perfectionem, sed tenetur communitèr, vt continet etiàm infinitum ex parte materiæ, vt patet ex processu in corpore art. & in argumento tertio. Vndè infinitum per essentiam idem significat, quod res essentiæ omninò indeterminatæ, idest nec ad genus, nec ad speciem aliquam, & hoc per se, & etiàm reductiuè. Et est quæstio de rebus singularibus, quarum tantummodò est, inueniri posse in rerum natura, quod dico proptèr res in abstractione sumptas, quas contingit adeò abstraere, vt secundùm aliquam rationem ad nullum sint genus arctatæ: tamèn secundum rem etiàm illa ratio in hac re existens ad aliquod est genus, & speciem determinata. Ens enim in homine est in specie humana. Ità quod sensus quæstionis est,

est, an prætèr Deum aliqua res in rerum natura existens actu, vel potentia sit essentiæ indeterminatæ simplicitèr, in art. enim primo q. cit. ostendit S. Doctor de Deo, quod omnimoda negatio receptionis ipsius esse fundatur supèr infinita perfectione simplicitèr. Vnde aduerte quam formalis, & ex proprijs Doctrina sit S. Thomæ, & in primo, & in secundo art. cit. De essentiæ namque infinitate agens, essentiales terminos tantùm lustrauit, nec digressus est ad concomitantia, penes quæ attenditur infinitas potentiæ aut intellectus, aut voluntatis, vt alij minùs perspicaces faciunt. Ità Caiet. in principio art. 2. cit. q. 7. & in fine comment. art. 1. q. 7.

23. Adnotat primo Caiet. in art. 1. q. 7. in p. p. & art. 2. in Resp. ad tertium distinguendo cum D. Th. de finitate, & infinitate, quod vtraque distinguitur, quià quædam se tenet ex parte materiæ; & quædam ex parte formæ. Et differunt in hoc, quod finitas ex parte materiæ dicit perfectionem, infinitas verò imperfectionem, ex parte verò formæ è conuersò: Infinitas enim dicit perfectionem, finitas autèm imperfectionem. Et in Resp. ad tertium secundi art. addit ex D. Th. quod materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cùm non sit ens in actu, sed potentia tantùm; vndè magis est aliquid concreatum, quàm creatum. Nihilominus tamèn materia prima etiàm secundum potentiam non est infinita simplicitèr, sed secundum quid, quià eius potentia non se extendit, nisi ad formas naturales. Ità Caiet. loc. cit. *Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 7. art. 1. & 2. in Resp. ad 3. de finitate, & infinitate.*

24. Adnotat secundo Caiet. ibidem art. 1. q. 7. pro solutione Argumentorum Scoti infrà, quod S. Doctor sub distinguit infinitatem formalem in infinitatem formæ, & infinitatem esse, seù actus, qui est communior forma. Sicut enim duplex est actus, scilicet, esse, & forma, ita duplex est potentia receptiua, scilicet, essentia, & materia, & ità duplex est receptio; & irreceptio, & similitèr duplicitèr duplex est finitas, & infinitas, sempèr loquendo ex parte actus. Et sicut esse est actus alterius rationis à forma, & essentia est alterius ordinis potentia à materia vt differentia compositionis ex esse, & essentia, & ex materia, & forma ostendit, ità alterius rationis est receptio esse in essentia, & formæ in materia, & similitèr finitas esse per essentiam. Et formæ per materiam, & è conuersò, finitas essentiæ per esse, & materiæ per formam, & vt singillatim dicatur, esse secundum se perfectionem quamdam dicit, sed non potest imaginari quantam perfectionem dicat, nisi alicui naturæ intelligitur applicatum, scilicet, sapientiæ aut Gabrieli, &c. Ideò esse per hoc quod recipitur in aliqua essentia limites perfectionis, sortitur secùndum modum naturæ recipientis, ac per hoc si nulli omninò quidditati coniùngi ponitur, sed in se ipso naturalitèr subsistere, nullum essentialem terminum habebit. Forma autèm & si secundum se perfectionem dicat, limitata tamen ad tantam perfectionem intelligi potest, etiàm si nulli materiæ sit vnibilis, vt de intelligentijs patet. Vndè manifestè colligitur, quàm differens sit finitio esse per essentiam aut è conuersò, & terminatio formæ per materiam, vel è conuersò, penes illam namque attenditur finitum, vel infinitum simplicitèr: penès istam verò finitum, & infinitum secundum quid tantum. Verùm quià esse, & forma conueniunt in ratione actus, & receptibilis in alio, ideò ex finitate, & infinitate formæ ad infinitatem, & finitatem esse procedi potest. Et proptereà littera art. 1. cit. ad insinuandam identitatem proportionalem intèr vtriusque finitatem, & infinitatem ex forma ad esse ascendit, ad insinuandam verò diuersam vtriusque rationem subsumpsit non quod esse est prima forma, sed quod est formalissimum omnium. Ex his patet facile Resp. ad obiecta Scoti. Ità Caiet. art. 1. q. 7. cit. *Doctri. Caiet. ibidem art. 1. cit. de duplici finitate, & infinitate ex parte actus.*

25. Adnotat tertio Caiet. in 3. p. q. 10. art. 3. ex D. Th. in Resp. ad tertium *Doctri. 3. Caiet.*

quod

ex 3.p.q 10.art. 3. in Resp. ad 3. De infinito quod non est substantia, sed accidens.

quod id quod est infinitùm omnibus modis non potest esse nisi vnum. Vndè, & Philosophus dicit in primo de Cœlo tex. 2. quod quià corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora infinita. Si tamèn aliquid esset infinitum vno modo tantum nihil prohiberet esse plura talia infinita, sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinem. Quià igitur infinitum non est substantia quædam, sed accidit rebus, quæ dicuntur infinitæ vt dicitur in hoc tertio Phys. tex. 37. & 38. sicut infinitum multiplicatur secundum diuersa subiecta, ità necesse est, quod proprietas infiniti multiplicatur, ità quod conueniat vnicuique illorum secundum illud subiectum. Est autèm quædam proprietas infiniti quod infinito non sit aliquid maius, licet possit accipi aliquid maius extrà illum ordinem.

Addit Caiet. perspice quod tota vis responsionis consistit in hoc, quod proprietates infiniti, in quocumque ponatur infinitas, arctantur ad subiectum infinitatis: puta proprietates infiniti positi in linea arctantur ad lineam, & positi in superficiem arctantur ad superficiem, & positi in numeris paribus arctantur ad numerum parem, & positi in motibus Saturni arctantur ad circulationes Saturni, & sic de alijs. Nec hoc dicitur voluntariè, sed cùm sufficienti ratione, quià, scilicet, infinitum non est substantia sed accidens, constat autèm accidens non excedere suum subiectum, sed arctari ad illud, & si accidens arctatur ad subiectum, multo magis proprietates comitantes accidentis naturam arctantur ad idem subiectum, vt patet inductiuè. Et hanc Responsionem perspicacitèr serua, quoniàm ex illa elucescent solutiones multarum quæstionum, & quod non inconuenit vnum infinitum esse maius alio. Ità Caiet. loc. cit.

Opiniones de infinito secundũ essentiam recit. à Caiet. in p.p.q.7. art. 1.

26. Quo ad secundum Caiet. in p. p. q. 7. art. 1. cùm D. Th. recitat opinionem omnium antiquorum Philosophorum, qui attribuunt infinitum primo principio, vt dicitur in 3. Phys. tex. 30 Et hoc rationabilitèr, considerantes res effluere à primo principio in infinitum: Sed quià quidam errauerunt circà naturam primi principij, consequens fuit, vt errarent circà infinitatem ipsius, quià enim ponebant primum principium materiam, consequentèr attribuerunt primo principio infinitatem materialem, seù molis, dicentes aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum. Et sic error circà genus principij, causauit errorem circà modum infinitatis. Et in art. 2. cit. qæst. dicit Caiet. Aduerte nouitie, quod S. Doctor in fine corporis non dubitando, sed Philosophico more deferendo proprio tractatui de Angelis inferius habendo, dicit quosdam opinari Angelos esse subsistentes substantias. Ità Caiet. loc. cit.

Conclusio Caiet. & D. Th. negatiua ex art. 2. q. 7. cit. Resp. quæsiti.

Prob. vtriusq; partis Conclus.

27. Quo ad tertium Conclusio Caiet. & D.Th. est sic posita in art. 2. q. 7. in p.p. vt responsiua quæsiti. Nulla res alia à Deo est infinita simplicitèr, quamuis possit esse infinita secundum quid, hæc conclusio habet duas partes vt patet, & in littera art. 2. quo ad vtramque probatur. Verùm quià infinitum est duplex, scilicet, ex parte potentiæ, seorsim primo probat vtramque partem Conclusionis in infinito materiali, deindè in formali. De illo, quià materia sempèr finitur per formam aliquam, ac per hoc non est infinita simplicitèr, & tamèn, quià remanet in potentia ad infinitas formas, datur infinitum secundum quid. De hoc verò, quià forma creata, aut est in materia, & consequentèr est finita per eam, aut subsistens sinè materia, & recipiens esse, & hæc quià sine materia ideò infinita secundum quid, idest secundum terminos materiales; quià tamèn habet esse receptum, est finita simplicitèr. esse enim coaptatum ità huic certæ naturæ, quod non alij, limitatum opportet esse simplicitèr, alioquin omnis in se naturæ perfectionem contineret, & à partibus vniuersi

uersi

uersi sufficientèr enumeratis, conclusio vniuersalis proposita probata est,& satis clarè, si præcedentia in adnotationibus recolantur. Ità Caiet. in art. 2. q. 7. cit.

28. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. ex art 1. q. 7. contrà finitatem, & finitatem formæ pro vt in prima Adnotatione suprà. Sic. Contrà finitatem quidem quià forma Bouis, imò apud S. Th. etiàm anima intellectiua perficitur ex coniunctione ad materiam, ergo finitas formæ non dicit imperfectionem, sed perfectionem. Contrà infinitatem verò; quià negatio nullam perfectionem ponit, nec aliqua res ex sola separatione ab alia perfectionem acquirit ergo: infinitas ex parte formæ non dicit perfectionem. *Arg. 1. Caiet. contrà finitatem, & infinitatem formæ ex art. 1. q. 7. cit.*

Resp. Caiet ad illud de finitate, quod forma potest sumi dupliciter, scilicet, absolutè in eo quod forma, & secundum quod, idest, in eo quod talis, puta informatiua materiæ, forma talis perficitur ex vnione ad materiam, non autèm forma in eo quod forma. Et quià in proposito est sermo absolutè secundum latitudinem formæ, cuius deteriorem partem constat esse illam, quæ est finibilis per materiam, altera parte libera, ac nullis materiæ terminis conclusibili remanente; ideò neganda est consequentia obiecta. Ad illud de infinitate dicitur, quod licet negatio seù separatio non dicat formalitèr perfectionem, dicit tamèn fundamentalitèr eam: Fundamentum enim negationis vnibilitatis ad materiam, magnam perfectionem formæ significat, & hoc sufficit. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad 1. Arg.*

29. Arguit secundo Caiet. in art. 1. cit. ex Scoto p. sent. dist. 2. contrà hoc, scilicet, forma finitur per materiam omnis forma priùs natura quàm recipiatur in materia est secundum se in tali gradu entium, ergo finita, vel infinita. Non igitur primo finitur per respectum ad negationem alicuius extrinseci puta materiæ, vel cuiuscumque alterius. *Arg. 2. Caiet. ex Scoto ibidem art. cit. quod forma non finiatur per materiam.*

Contrà processum probationis Arguit. Tum quià essentia Angeli esset infinita, quià est forma non receptibilis in materia. Nec valet, ait Scotus si dicatur, quod natura Angeli finitur per suum esse, quoniàm apud nos, esse est posterius essentia, & sic natura in primo signo abstrahens ab esse cùm sit infinita, ergo in secundo signo non est finibilis per esse. Tùm quià peccat secundum sophisma consequentis, sicut illud 3. Phys. Corpus finitur ad aliud corpus, ergo corpus non finitum ad aliquid aliud est infinitum.

30. Resp. Caiet. ad primam instantiam ex secunda Adnotatione sua suprà. Antecedens illud forma finitur per materiam, non loquitur de finitate simplicitèr, sed tali, scilicet, penès terminos materiales, & propterea obiectio nihil obstat. *Resp. Caiet. ad Arg. 2. & ad alias instantias.*

Ad alias instantias contrà Processum. Resp. Caiet. quod ruunt, quoniàm verum est naturam Angeli esse infinitam secundum quid. Et quoniàm eodem modo posset quis, sequendo Scotum, arguere de esse, sicut arguit de forma, ideò dico, quod infinitum, sicut & immateriale est prædicatum negatiuum, fundamentalitèr tamèn positiuum. Et sicut positiuum clausum in ly immateriale, optimè probatur ex naturali negatione materiæ, tàm actu, quam potentia; ità positiuum clausum in significatione infiniti simplicitèr, optimè demonstratur conuenire Deo ex negatione terminorum essentialium vt in littera art. primi fit. Vndè concedo quod esse prius natura est in se ipso tantæ perfectionis, puta finitæ, vel infinitæ, quàm sit receptibile, aut irreceptibile in hoc vel illo, cùm hoc tamèn dico, quod hæc duo mutuo se consequuntur, ità quod si esse est omnino irreceptibile, est infinitum simplicitèr, & è conuersò. Et similitèr si est finitum, est receptibile, & è conuersò, & propterea potest argui à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, absq; sophismate, vt in conuertibilibus contingit. Et sic patet Resp. ad Scotum. Ità Caiet. in art. 1. cit. q. 7.

Arg. 3. Caiet. & D. Th. ex art. 2. q. 7. cit.

31. Arguit tertio Caiet. ex D. Th. in art. 2. q. 7. Virtus rei proportionatur essentiæ eius, ergo si essentia Dei est infinita, opportet quod eius virtus sit infinita, ergo potest prodúcere effectum infinitum, cùm quantitas virtutis per effectum cognoscatur.

Confirm. Arg. 3.

Confirmatur. Quidquid habet virtutem infinitam, habet essentiam infinitam; sed intellectus creatus habet virtutem infinitam (apprehendit enim vniuersale, quod se potest extendere ad infinita singularia) ergo omnis substantia intellectualis creata, est infinita.

Resp. Caiet. & D. Th. ad Arg. 3.

Resp. Caiet. ad Argumentum cùm D. Th. quod hoc est contrà rationem facti; quod essentia rei sit ipsum esse eius, quià esse subsistens non est esse creatum, vndè contrà rationem facti est, quod sit simplicitèr infinitum. Sicut ergo Deus licet habeat potentiam infinitam, non tamèn potest facere aliquid non factum, hoc enim esset contradictoria esse simul, ità non potest facere aliquid infinitum simplicitèr.

Resp. Caiet. & D. Th. ad Confirmationem.

Ad Confirmationem Resp. cùm D. Th. quod hoc ipsum quod virtus intellectus extendit se quodammodò ad infinita, procedit ex hoc, quod intellectus est forma non in materia, sed vel totalitèr separata, sicut sunt substantiæ Angelorum, vel ad minus potentia intellectiua, quæ non est actus alicuius organi in anima intellectiua corpori coniuncta. Ità Caiet. in art. 2. q. 7. in p. p.

QVAESTIO IV. TERTII PHYSICORVM

Vtrùm possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem

EX CAIETANO

In p. p. q. 7. art. 3. & alibi.

Aperitur à Caiet. status quæst. in art. 3 cit. Tyronibus Thomist.

32. CAietanus cùm D. Th. declarat hunc titulum in art. 3. cit. scilicet, quod aliud est esse infinitum secundum suam essentiam, & secundum magnitudinem. Dato enim, quod esset aliquod corpus infinitum secundum magnitudinem, vt potè ignis, vel aer, non tamen esset infinitum secundum essentiam, quià essentia sua esset terminata ad aliquam speciem per formam, & ad aliquod indiuiduum per materiam. Et ideò habito ex præmissis, quod nulla creatura est infinita secundum essentiam, adhuc restat inquirere, vtrùm aliquid creatum sit infinitum secundum magnitudinem. Addit Caiet. aduerte, quod intèr istas infinitates est duplex differentia. Vna separationis, quià vna non est alia, & hæc est manifesta, dùm in Deo reperitur infinitas essentiæ absq; quantitate, & in istis inueniri fortè potest infinitas quantitatis, absq; infinitate essentiæ, vt patet in condicionali posita in littera. Altera consecutionis, quià vna non infert aliam, quià, scilicet, nec infinitum secundum essentiam infert infinitatem quantitatis, nec quod magis dubitari poterat infinita magnitudo infert infinitam essentiam, vt in littera ostenditur, si esset ignis infinitus, &c. & de hac differentia interpretanda est littera D. Th. quoniàm est admodum ad propositum, Ità Ciet. loc. cit.

33. Adnotat Caiet. in p. 2. q. 85. art. 2. ex D. Th. in corpore circà diminutionem

nem in infinitum ipsius magnitudinis, quod bonum naturæ non potest totalitèr tolli per peccatum etiàm si continuè diminuatur, & ad huius manifestationem, quidam vsi sunt quodam exemplo, in quo inuenitur aliquod finitum in infinitum diminui, nunquàm tamen totalitèr consumi. Dicit enim Philosophus in p. Phys. tex. 37. quod si ab aliqua magnitudine finita continuè auferatur aliquid secundum eamdem quantitatem, totalitèr tandèm consumetur, puta si à quacumque quantitate finita semper subtraxero mensuram palmi. Si verò fiat substractio secundum eamdem proportionem, & non secundum eamdem quantitatem (habes hic ex D. Th. partes aliquotas seù designatas, & partes proportionales seù indesignatas) poterit in infinitum substrahi, puta si quantitas diuidatur in duas partes, & à dimidio sub trahatur dimidium ità poterit in infinitum procedi, ità tamèn quod semper, quod posterius subtrahitur erit minus, & quod subtrahebatur. Sed in moralibus hoc non habet locum, & ideò eius diminutio potest intelligi dupliciter: Vno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini, primo quidem modo bonum naturæ non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipsam naturam, sed diminuitur secundo modo in quantum, scilicet, ponitur impedimentum pertingendi ad terminum, & sic manifestum est, quod hoc modo diminui potest in infinitum, quià in infinitum possunt apponi impedimenta, secundum quod homo potest in infinitum addere peccatum peccato: non tamèn potest totalitèr consumi, quià semper manet radix talis inclinationis. Addit Caiet. in hac Doctrina: Durandus voluit esse cæcus. Expressè namque Auctor distinxit habilitatem ex parte subiecti, & ex parte termini, & dixit quod ex parte subiecti non minuitur, sed ex parte termini; Obiectiones autèm Durandi sunt ex parte subiecti. Ex hac enim parte verum est non intendi aliquid, quod non est in eo: sed attingentiam ad terminum constat minui ex appositione impedimentorum extrà, & augeri ex remotione eorumdem. Et ad hoc optimè deseruit exemplum de Diaphano corpore, quod quidem habet inclinationem ad susceptionem lucis ex hoc ipso, quod est Diaphanum, diminuitur autèm inclinatio, vel habilitas ex parte nebularum superuenientium, cùm tamèn semper maneat in radice naturæ; deseruit etiàm exemplum de obstaculis oppositis. Et hoc modo habilitas animæ ex synderesi diminuitur in infinitum, & tamèn ipsa synderesis, nec tollitur. Et sic diminutio in magnitudine, & in Physicis, & in moralibus an sit in infinitum declaratur, & à Caietano, & à D. Th. in art. 2. cit. quæsitum principale est de augmento magnitudinis, an possit peruenire ad infinitum. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. Caiet. pro augmento, & diminutione in infinitum ipsius quantitatis ex p. 2. q. 85. art. 2.

Quoad secundum opinio S. Doctoris explicatur à Caiet. in art. 3. q. 7. in p. p. per sequentes Conclusiones, & de Corpore naturali, & de Corpore Mathematico, quem omnes sequuntur Thomistæ, sola est controuersia intèr Philosophos discurrendo per singula accidentia. Ità Caiet.

Opinio S. Th. recit. à Caiet. in art. 3. cit.

34. Quoad tertium Conclusio prima Caiet. & D. Th. est in art. 3. q. 7. in p. p. Sic posita. Nullum corpus naturale potest esse infinitum secundum magnitudinem. Probatur à Caiet. primo à priori sub tali forma. Formam substantialem sequuntur accidentia, ergo determinatam formam determinata accidentia, ergo determinata quantitas, & in maius, & in minus, ergo omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, & in maius, & in minus, ergo non potest esse actu infinitum. Secunda consequentia probatur, quià quantitas est vnum de accidentibus sequentibus formam substantialem. Tertia vero probatur, quià omne corpus naturale habet determinatam formam substantialem.

Conclusio 1. negatiua Caiet. responsiua quæsiti cum sua prima ratione a priori ex art. 3. cit. q. 7.

Secundo probatur Conclusio ex ratione mobilitatis à Caiet. sub tali forma. Omnes corpus naturale habet aliquem motum naturalem ex primo Cœli tex. 5. nullum

2. prob. ex ratione mobilitatis.

 corpus

corpus infinitum est naturalitèr mobile, ergo &c. Probatur minor vtendo distinctione motûs naturalis facta primo Cœli: Quià non potest moueri motu recto, eo quod omne tale potest extrà locum suum saltèm secundum partes esse. Nec motu circulari, eo quod lineæ à centro circuli protractæ, quantò longius protrahuntur, tantò intèr se magis distant: ergo in corpore infinito distarent intèr se infinitè, ergo vna nunquàm perueniret ad locum alterius, ergo nunquàm vna pars corporis infiniti circularis potest venire ad locum, vbi est alia: ergo implicat ipsum moueri, & hæc ratio sumpta est ex primo Cœli tex. 31. Ità Caiet. loc. cit.

2. Conclusio negatiua Caiet. de Corpore mathematico cum sua probatione ex art. 3. q. 7. cit.

Secunda Conclusio Caiet. est ibidem posita sic. Nullum corpus mathematicum potest esse infinitum in actu. Probatur à Caiet. sub tali forma. Si est corpus actu, ergo habet formam, ergo figuram, ergo terminum, ergo non est infinitum. Prima consequentia, probatur quià nihil est actu nisi per formam suam. Secunda verò quià forma corporis de genere quantitatis vt sic est figura. Tertia autèm ex diffinitione figuræ, quæ termino, vel terminis comprehenditur. Hæc ratio sumpta est ex hoc tertio Phys. tex. 40. Ità Caiet. qui dicit quod in prima probatione primæ Conclusionis excitatur quæstio de maximo, & minimo, quod non intendimus hic tractare. Fiet autèm Deo dante specialis quæstio de maximo, & minimo vniuersalitèr. An verò detur maximum, & minimum ex intrinseco, quod exigit ratio prima assumpta pro prima Conclusione iàm in libro primo Phis. suprà in q. 25. resolutio facta fuit à Caiet. loc. cit. ex q. 7. art. 3. ex p. p.

Arg. 1. Caiet. pro nouitijs contrà expositionem tituli art. 3. q. 7. cit.

36. Quo ad quartum Arguit in p. p. q. 7. art. 3. contrà expositionem propriam tituli quæstionis sic. Adest circà prædicta dubium, nouitiorum mentem turbans, eo quod vt dicitur in 8. Phis. In magnitudine infinita oportet esse virtutem infinitam, ergo essentiam infinitam: Virtus enim non excedit essentiam, quare si esset ignis infinitus, esset virtutis infinitæ, & consequentèr essentiæ infinitæ; falsum est, ergo quod in expositione prædicta dicitur, quod si esset magnitudo infinita, non haberet essentiam infinitam.

Resp. Caiet. ad primum Arg.

Resp. Caiet. quod obiectio laborat in æquiuoco, ly enim infinita essentia potest intelligi dupliciter. Primo de infinitate propria essentiæ in quantùm essentia, quæ vt ex dictis patet, nihil aliud est quàm indeterminatio, idest carentia terminorum essentialium, scilicet, generis, & differentiæ. Secundo de infinitate communitèr sumpta, siuè quantitatiua, &c. in proposito obiectio procedit de infinitate secundo modo. Expositio autèm loquitur de infinitate primo modo, & ideò signantèr dicitur infinitum secundum essentiam, & non dicitur infinita essentia. Melius enim explicatur infinitas essentialis per ly secundum essentiam vt patet. Ità Caiet. in principio Comment. art. 3. cit.

Arg. 2. Caiet. contrà 1. Conclusionem ex art. 3. q. 7. cit.

37. Arguit secundo Caiet. contrà primam Conclusionem ex D. Th. in Resp. ad secundum sic. Id, quod non est contrà rationem alicuius, non est impossibile conuenire sibi: sed esse infinitum non est contrà rationem magnitudinis, sed magis finitum, & infinitum videntur esse passiones quantitatis: ergo non est impossibile aliquam magnitudinem esse infinitam.

Resp. Caiet. ad 2. Arg.

Resp. Caiet. ex D. Th. quod licet infinitum non sit contrà rationem magnitudinis in communi, est tamèn contrà rationem cuiuslibet speciei eius, scilicet, contrà rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, siuè circularis, vel triangularis, & similium, non autem est possibile in genere esse, quod in nulla specie est. Vndè non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cùm nulla species magnitudinis sit infinita. Addit Caietanus quod si diligentèr inspiciatur: hæc Responsio S. Thom. negat infinitum esse passionem quantitatis, quamuis concedat

cedat ei non repugnare. Et si contrà hoc afferatur tex. 15. p. Phys. finiti, & infiniti ratio congruit quantitati, in promptu est Resp. quod hoc non ideò dicitur quasi quod quantitas vendicet sibiq; infinitatem, sed quià non est intelligibile infinitum, nisi quantum; sicut etiàm dicitur, vacui ratio conuenit loco. Intendunt enim per hoc Philosophi, quod si ista inueniuntur, opportet reperiri in quantitate, & loco &c. Ità Caiet. loc. cit.

38. Arguit 3. Caiet. ex D. Th. ibidem loc. cit. Magnitudo diuisibilis est in infinitum. Sic enim diffinitur continuum, quod est in infinitum diuisibile vt patet in hoc 3. Phys. Sed contraria nata sunt fieri circà idem, cùm ergo diuisioni opponatur additio, & diminutioni augmentum, videtur quod magnitudo possit crescere in infinitum, ergo possibile est magnitudinem esse infinitam. *Arg. 3. Caiet. extrà eamdē Conclusionē ibidem.*

Resp. Caiet. ex D. Th. quod infinitum quod conuenit quantitati, vt dictum est, se tenet ex parte materiæ, per diuisionem autèm totius acceditur ad materiam: nàm partes se habent in ratione materiæ: per additionem autèm acceditur ad totum secundum quod se habet in ratione formæ, & ideò non inuenitur infinitum in additione magnitudinis, sed in diuisione tantùm, vt dictum est in Adnotatione suprà ex p. 2. *Resp. Caiet. ad 3. Arg.*

Instat Caiet. contrà hanc responsionem sic. Licet hæc Resp. sumpta sit ex hoc 3. Phys. tex 66. Sicuti, & aliæ, obstant tamèn dicta S. Th. in 3. p. q. 7. art. 12. & in 3. sent. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 3. ad 1. Imò etiam in art. sequenti q. 7. p. p. scilicet 4. in Resp. ad secundum, concedendo augmentum figurarum in infinitum. In 3. quoq; Phys. expressè Arist. concedit tex. 59. & 60. magnitudinem augeri in infinitum, sicut, & diuidi. *Instantia Caiet. contrà Resp. ad D. Th. ibidem loc. cit.*

Resp. Caiet. cùm Arist. quod magnitudinem augeri in infinitum potest dupliciter intelligi. Primo ea ratione, quià semper po est sibi fieri additio secundum partes proportionales, & sic ibidem dicitur, quod potest augeri in infinitum, sed per tale augmentum nunquàm excederetur certa magnitudo signata. Secundo quià sempèr potest fieri additio simpliciter, ità quod excedat omnem certā quantitatē. Et sic distinguendum est, quià aut loquimur de magnitudine stando infrà limites continui, aut de ea vt induit rationem discreti. Primo modo nec agmento naturali, nec intellectuali continuum est augmentabile in infinitum, & causa assignatur in Resp. Secundo modo autèm est augmentabile in infinitum, sicut, & numerus, & ad hoc pertinet augmentum figurarum in infinitum. Dixi autèm de continuo vt sic, quod nec intelligibili augmento est augmentabile in infinitum, non qùod intellectus non possit, quacumq; magnitudine data, fingere maiorem, & sic in infinitum, sed quoniàm in natura continui vt sic, non est potentia ad huiusmodi augmentum, in natura tamèn numeri materialis est, & similitèr in natura continui est potentia ad diminutionem in infinitum, vt patet ex eius ratione. Et sic omnia consonant. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Instantiam.*

40. Arguit 4. Caiet. contrà rationem ex Scoto. Quilibet numerus est vnus secundum se formalitèr ex 8. Met. in augmentatione numeri acceditur ad formam, ergo accessus ad formam non prohibet augmentum in infinitum, ergo malè dicitur, quod ideò magnitudo non augmentatur in infinitum, quià accedit ad totum, & formam. *Arg. 4. Caiet. contrà rationem probatiuam Conclusionis cùm sua Resp. in fine Comment. art. 3. q. 7. cit.*

Resp. Caiet. quod numerus augmentabilis in infinitum, est numerus continuorum ex 3. Phys. tex. 68. Augmentatio numeri non accedit ad numerum simplicitèr, sed talem, scilicet, partium continui, & sic non ad totum, sed ad partem acceditur; sicut, & diuisio continui ex qua causatur. Augmentatio autèm continui ad totum simplicitèr

citèr accedit. Et prima consequentia Scoti negatur quià à numero ad numerum talem materialem, scilicet, non valet, ly materialis minuit rationem numeri quo ad formalitatem, quià addit materialitatem formæ, & permiscet actum potentiæ. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO V. TERTII PHYSICORVM

Vtrùm possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem

EX CAIETANO

P.p.q.7.art. 4. & alibi in suis Comment.

Declaratur à Caiet. Titulus in p.p.q.7.a.4. Tyronibus Thomistis.

41. IN Titulo ly secundum multitudinem, ait Caiet. quamcumq; siuè de genere quantitatis, siuè extrà genus intelligitur: & hinc patet, quod ista quæstio est altior, & vniuersalior, quàm inquisitio, quæ solet fieri ab alijs Physicis in tertio Physicorum, quoniàm hic de materiali tantùm multitudine sequente diuisionem continui sermo est, in ista quæstione autèm in titulo proposita de multitudine vniuersalitèr siuè materiali, siuè immateriali agitur. Et de immateriali multitudine, addit Caiet. quod S. Thomas ademit sibi omnem viam concordiæ, cùm Doctrina Arist. iuxtà expositionem suam. Tenet namq; Aristotelem putasse animas intellectiuas immortales, & numeratas secundum numerum corporum, & constat Aristotelem tenuisse generationem æternam. Ex his autèm sequitur manifestè animas humanas esse actu infinitas, quod hic decernitur impossibile. Et in 2. cont. gent. c. 81. dicitur non repugnare doctrinæ Arist. in hoc 3. Phys. & 1. Cœli, quià vtrobiq; de infinito materiali sermo fuit. Ità Caiet. in principio, & in fine Comment. art. 4. q. 7. p. p.

Doctr. 1. Caiet. in p.p.q.7.art.4. declarans fundamentales propositiones primæ Concl. infrà probandæ.

42. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 7. art. 4. circà hanc propositionem, scilicet, omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur, quæ est assumpta ad probandam primam Conclusionem, quod ly creatum potest sumi propriè, vt distinguitur contrà causatum, & potest sumi communitèr, vt non referat dicere causatum, aut creatum. Et quod sumatur communitèr vniuersalis probatio infrà addicenda ex S. Th. insinuat, dùm ad illius probationem assumpsit, quod non in vanum agens operatur. Quod autèm sumatur propriè, ipsa verbi formalis significatio ostendit: parùm autèm; aut nihil refert vtro modo sumatur. Si enim sumitur propriè, ponderanda sunt verba probationis, cùm dicit, aliquid operatur, idest proprium terminum operationis attingit. Et per hoc excluduntur omnia consequentia ad proprium, & intentum opus agentis, & de omni creato verificatur, quod est proprius terminus creationis; si verò sumitur communitèr, creatum restringendum est ad propriè causatum, vt distinguitur contrà creatum. Verum vtroq; modo restringitur ad causata, vel creata actu existentia, ità quod collapsa excluduntur, & hoc insinuatur à D. Th. cùm dicitur ly creantis: quod enim creatum est, & perseuerat continuè, quodammodò creatur, quià conseruatur, pendet enim, & in fieri, & in

& in esse à creante: comprehenditur autèm sub intentione creant's non solùm quod actualitèr comprehenditur, sed quod comprehensibile est; dato quod actu non comprehenderetur. Ità Caiet. art. 4. cit.

43. Adnotat 2. Caiet. ibidem, quod ex hoc quod illa assumpta propositio non est nisi de actu existentibus, quæ proprij termini actionis sunt, solutio omnium obiectorum infrà habetur: Omnia siquidem actu existentia potest creator, & vt medium ad acquisitionem alicuius finis ordinare, & vt finem per aliquid aliud assequendum intendere: ex quo enim actu existere ponitur, iàm terminata eius productio ponitur, & consequentèr vt medium ad aliquid acquirendum dirigi potest. Et similitèr potuit esse finis intentus, & acquisitus per aliquod medium, nec ratio finis, nec ratio medij ad finem repugnat ei, quod actu existat. Et propterea, cùm intentio non sit propriè nisi finis, & medij, per quod acquirendus est finis, omne actu existens comprehensibile est sub certa intentione creantis, tàm vt finis, quàm vt medium. Vt finis quidem: Tùm quià nulla est creatura adeò infinita, quæ non sit, aut esse possit finis alicuius alterius; Tùm quià saltèm est certus finis suæ productionis; Tùm quià hoc intelligitur quantùm est ex se, nulli enim creato actu existenti, repugnat quantùm est ex se ratio finis, quamuis fortè aliquid nullius sit finis. Vt medium autèm, quià post ipsum restant multæ, aut multorum improductiones, & nobilitates, ad quarum aliquam potest ordinari vt medium, quod iàm est ens in actu. Ità Caiet. art. 4. q. 7. cit.

Doct. 2. Caiet. ibidem loc cit explicans idem in loc. cit.

44. Quoad 2. Caiet. in art. 4. ex D. Th. in corpore recitat opiniones, & dicit cùm D. Th. quod circà hoc fuit duplex opinio. Quidam enim, sicuti Auicenna, & Algazel, dixerunt in 3. Phys. quod impossibile est esse multitudinem actu infinitam per se, sed infinitam per accidens multitudinem esse, non est impossibile. Dicitur enim multitudinem esse infinitam per se, quando requiritur ad aliquid, vt multitudo infinita sit, & hoc est impossibile esse, quià sic opporteret, quod aliquid dependeret ex infinitis, vndè eius generatio nunquam compleretur, cùm non sit infinita pertransire. Per accidens autèm dicitur multitudo infinita, quando non requiritur ad aliquid infinitas multitudinis, sed accidit ità esse. Et hoc sic manifestari opportet in operatione Fabri, ad quàm, quædam multitudo requiritur per se, scilicet, quod sit ars in anima, & manus mouens, & martellus, & si hæc in infinitum multiplicarentur, nunquàm opus fabrile compleretur, quià dependeret ex infinitis causis: sed multitudo martellorum, quæ accidit ex hoc, quod vnum frangitur, & accipitur aliud est multitudo per accidens: Accidit enim quod multis martellis operetur, & nihil differt, vtrùm vno, vel duobus, vel pluribus operetur, vel infinitis, si infinito tempore operaretur: per hunc igitur modum posuerunt, quod possibile est esse actu, multitudinem infinitam per accidens. Sed hoc est impossibile quià omnem multitudinem opportet esse in aliqua specie multitudinis. Ità Caiet. ex D. Th. in corpore art. 7. cit.

Opiniones recitatæ à Caiet. ex D.Th. in corpore art. 4. cit.

Caiet. cùm D. Th. in Argumento, sed contrà ex Sap. 11. deducit, quod omnia Deus in pondere numero, & mensura dispòsuit. Vndè est chimerica consequentia deducta ex ista conditionali vera, ait Caiet. Si homo est Leo, est rugibilis, non tamèn sequitur ergo Deus potest facere hominem rugibilem. Sicuti chimerizant Hurtadus, & Arriaga ex soc. dicentes, quod Deus potest facere, vt pingatur homo infinitus secundum magnitudinem habens omnia membra infinitè intèr se distantia. (Quæ sequuntur ex Mysterio Incarnationis, non implicant, vt à Theologis demonstratur, soluuntq; augmenta: Et hæc omnia sunt nobis reuelata, at nihil de infinito in actu reuelatum est Arriagæ, & Hurtado, vndè sinè reuelatione Diuina, ni-

Modernorũ opinio iàm multo ante confutata à Caiet.

nihil est asserendum, quod captum rationis excedit, eidemq; repugnat ex facto, & non ex Deo. Ità Caiet. loc. cit.

1. Concl. Caiet. & D. Th. cũ sua 1. prob. ex art. 7. cit.

45. Quo ad 3. Conclusiò Caiet. & D. Th. responsiua quæsiti, sic ponitur in art. 4. q. 7. cit. Impossibile est esse in actu infinitam multitudinem siuè per se, siuè per accidens.

Probatur à Caiet. cùm D. Th. hæc prima Conclusio duplicitèr, & primo sic sub tali forma. Omnis multitudo actu existens est in aliqua specie multitudinis: ergo est secundum aliquam speciem numeri, ergo est finita. Antecedens patet. Prima verò consequentia probatur quià species multitudinis sunt secundum species numerorum. Secunda probatur quià numerus est multitudo mensurata per vnum.

2. Prob. Caiet. pro 1. Concl.

Secundo probatur eadem Conclusio à Caiet. cùm D. Th. sub tali forma. Omnis multitudo in rerum natura actu existens est creata, ergo comprehenditur sub aliqua certa intentione creantis: ergo certo numero: ergo impossibile est, quod sit infinita. Antecedens patet. Prima verò consequentia probatur, quià non in vanum agens aliquid operatur. Reliquæ consequentiæ relinquuntur, vt euidentes. Ità Caiet. art. 4. q. 7. cit.

2. Concl. Caiet. & D. Th. cùm sua prob. ex art. 7. cit. in fine Comment.

46. Secunda Conclusio Caiet. & D. Th. responsiua quæsiti, ponitur sic in art. 4. Possibile est esse multitudinem infinitam in potentia. Vel in fine Comment. art. 4. ponitur sic à Caiet. Infinitum secundum multitudinem inuenitur in potentia.

Probatur à Caiet. sub tali forma. Infinitum inuenitur in potentia secundum diuisionem continui, ergo secundum multitudinem. Probatur sequela, quià augmentum multitudinis sequitur diuisionem magnitudinis: Antecedens patet. & probatur quià proceditur ad materiam, vt ostensum est in quæstione præcedenti. Quantò enim plus aliquid diuiditur, tanto plura secundum numerum resultant. Ità Caiet. cùm D. Th. art. cit.

Arguit 1. Caiet. contrà 1. Conclusionem ex art. 4. cit. in fine Comment.

47. Quo ad 4. Arguit primo Caiet. contrà primam Conclusionem in fine Comment. art. 4. sic. Dantur infinitæ partes proportionales actu in continuò, ergo possunt dari separatæ ergo &c. Probatur sequela, quià omne absolutum existens potest diuina potentia conseruari sine eo, quod non est de essentia illius, sed continuatio vnius cùm alia non est de essentia partium, ergo. Insupèr Deus in quolibet initio cuiusq; partis proportionalis vnius horæ potest creare Angelum, ergo in vna hora creare infinitos actu. Et confirmatur quià quidquid Deus potest successiuè, potest simul in rebus permanentibus.

Resp. Caiet. ad 1. Arg. & 2. simul.

Resp. Caiet. ad hæc prima duo Argumenta breuitèr, quod ibi est sophisma à sensu diuiso ad compositum. Quamuis enim de ratione singularum partium non sit continuitas cùm alia, est tamèn de ratione omnium simul, quià de ratione earum simul, est esse potentia, cui repugnat singularum ab inuicem separatio. Et similitèr implicat numerare initia omnia partium proportionalium horæ, quià ponitur ea successiua numeratione completa in fine horæ, & tunc infinita; Si enim infinita, nunquàm numerabuntur; Et si complebuntur, non erunt infinita, potest ergo Deus in singulis initijs, non autèm in omnibus. Et per hoc ad Confirmationem, quià nec simul, nec successiuè potest producere infinita actu existentia.

Arguit 2. Caiet. loc. cit. contrà eamdem Concl.

48. Arguit 2. Caiet. ibidem. Non minoris potentiæ est Deus, quàm infinitæ animæ si essent, & quàm ignis Inferni, sed illæ possent infinita simul, & ignis infinitos cruciatus, si essent ibi infinitæ Animæ ergo &c.

Resp. ad 2. Arg.

Resp. Caiet. Concesso toto, nihil habetur contrà intentum: quoniàm non ex defectu Diuinæ potentiæ, sed ex impossibilitate rei factibilis consurgit, quod infinita in actu esse nequeunt. Cùm quo tamèn stat, quod illæ conditionales sunt veræ. Si ho-

homo est Leo, est rugibilis, non tamèn sequitur, ergo Deus potest facere hominem rugibilem. Ità Caiet. in fine Comment. art. 4. q. 7. cit.

49. Arguit Caiet. contrà 1. Consequentiam, & eius probationem deductam ex prima probatione primæ Conclusionis. Multitudo est quid Communius, quàm numerus, & consequentèr debet habere species plures, quàm numerus, alioquin communioris rationem non retineret, non ergo species multitudinis sunt secundum speciem numeri. *Arguit Caiet. art. 4. cit. contrà rationem 1. Conclusionis 1.*

Confirmatur hoc, quià dici potest, quod species multitudinis finitæ, sunt secundum species numeri, non aùtem species multitudinis absolutè, & attestatur his Arist. 5. Met. cap. de quanto dicens, quod pluralitas finita est numerus, quasi infinitatem excipiat. *Confir. Arg.*

Resp. Caiet. ad Argumentum breuitèr, quod cùm ignota ex notioribus naturalitèr cognoscamus, & experiamur omnis multitudinis species, quas nouimus proportionales esse speciebus numeri, satis consonat arti, vt possit vniuersalis propositio formari, quod omnis species multitudinis est secundum aliquam speciem numeri. Ad obiectionem autèm dicitur, quod aliud est, omnes species multitudinis, esse species numeri, quod falsum est; & aliud omnes species multitudinis esse secundum species numeri, idest proportionales illis, quod assumptum est, & verum; vndè multitudo, quià vniuersalius quid est, habet multo plures species, quàm numerus immaterialis, quià habet omnes species numeri, & omnes species multitudinis immaterialis, quæ propriè non est numerus &c. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. ad Arg. Caiet.*

Resp. ad Confirmationem, quod illud voluntariè, non rationabilitèr diceretur. Textus autèm Arist. nihil officit, quandoquidem nihil ex illo ad propositum dici potest, nisi quod pluralitas infinita non esset numerus: sed hoc non obstat processui huic, sed magis confirmat secundam consequentiam vt patet. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Confirm.*

50. Arguit Caiet. primo contrà probationem secundam primæ Conclusionis sic. Ratio probatiua secunda primæ Conclusionis, aut assumit falsum, aut non infert intentum. Cùm enim assumitur, quod omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur, aut intelligitur de intentione certa certitudine finis, aut certitudine medij, per quod acquiritur finis. Si dicatur quod tale creatum opportet esse intentum vt finis, aut medium ad finem. Contrà: non potest vt certus finis, quià propositio est manifestè falsa, quoniàm aliquid creatum, nec est finis creantis, nec alicuius alterius Creaturæ, puta infinita Creatura, nec potest, vt certum medium per quod acquiritur finis, quià cùm hoc debeat probari, non est probata propositio, quià ex illo medio (nullum agens operatur aliquid in vanum) nihil aliud potest inferri, nisi ergo agit proptèr finem, quo concesso diceretur, quod multitudo infinita est proptèr finem extrinsecum, scilicet, Deum, & conseruationem perpetuæ assimilationis causantis ipsam ad Deum, vt Philosophi dicunt. *Arg. 1. contrà rationem 2. Conclusionis 1.*

Resp. Caiet. ex prima, & secunda adnotatione suprà, vt patet ex dictis, quoniàm formalitèr loquendo de creato, non potest esse consequens proprium creationis terminum, sed opportet creatura creationem terminare: tale autèm opportet esse intentum vt finis, aut medium ad finem. Nec est verum, quod non sit probata, quoniàm ex illa assumpta propositione (agens non operatur aliquid in vanum) optimè ex fine exterioris actionis concluditur terminus interioris intentionis: Ex eo enim, quod nullius agentis operatio, est in vanum, sed ad certum terminum proprium, opportet quod intentio operantis sit etiàm respectu certi termini, quoniàm intentio agentis statuit finem operationis, & sic patet Resp. ad obiecta. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad 1. Arg. art. 4. cit.*

51. Arguit 2. ibidem Caiet. quià videtur in ea ratione secunda committi sophisma *Arg. 2. Caiet. ib. loc. cit. ad idem.*

ma à sensu diuiso ad compositum, à quolibet creato ad multa imò infinita collectiuè procedendo. Quamuis enim quodlibet creatum sit terminus alcuius certæ intentionis, & operationis ipsius creantis, multa tamèn creata non opportet esse terminum alicuius intentionis, & operationis, sed multarum intentionum, & creationum, & consequentèr infinita creata erunt termini infinitarum intentionum, sicut, & creationum.

Resp. ad 2. Arg. Caiet. Resp. Caiet. ad secundum, quod tota multitudo existentiùm in actu potest accipi vt vnum creatum, quoniàm non excedit vniuersum, quod vnius primo intenti creati rationem habet, consequens est quod non solùm singula creata, sed omnia simul, modo actu coexistant, sunt comprehensibilia sub aliqua vna certa intentione creantis. Et propterea nullum sophisma in proposito committitur, vbi ex propositione aduersarij, quod actu existat infinita multitudo infertur, ergo est comprehensibilis sub certa intentione creantis, ergo non est infinita, quià tàm ratione medij ad consequendum finem, quàm ratione finis repugnat infinitas multitudinis. Ità Caiet.

Arg. 3. Caiet. ad idem loc. cit. 52. Arguit 3. Caiet. ibidem illa propositio, licet sit vera in creatis tamèn per accidens negaretur ab Auicenna. Multitudo enim per accidens infinita non est intenta nisi per accidens, & consequentèr non creatur nisi per accidens. Vocatur autèm creatum per accidens, quod ad præparationem alterius opus est creari, vt contingit de anima intellectiua, quæ præparato à natura corpore disposito sempèr creatur. Et quià infinita corpora fuerunt iàm præparata infinitæ animæ sunt iàm creatæ, quibus vt sic accidit remansisse in actu, quià incorruptibiles sunt, & sic earum infinitas non ponitur per se intenta, sed consequens ad generationem æternam.

Resp. Caiet. ad 3. Arg. Resp. Caiet. ad 3. quod creatum per accidens potest dupliciter intelligi. Vnò modo vt per accidens distinguitur contrà per se. Et hoc modo negatur dari creatum per accidens, quoniàm omne creatum est per se ipsum terminus creationis, alioquin non fieret ex nihilo. Alio modo vt per accidens distinguitur contrà per se primo, & significat idem quod per aliud. Et hoc modo datur creatum per accidens, idest per aliud saltèm occasionalitèr. Et hoc modo animæ intellectiuæ tàm apud aduersarium, quàm nos creantur per accidens, quamuis apud nos magis per accidens, quàm apud ipsum. Sed hoc non aufert, quin sint per se ipsas intentæ singulæ, sicut, & per se ipsa creatæ, quoniàm quamuis intèr se habeant ordinem per accidens, relatæ tamèn ad creantem sunt, & per se intentæ, & productæ, imò magis per se, quàm quodcumq; corruptibile, quoniàm res incorruptibiles perfectiores, & digniores sunt vniuersi partes, ac per hoc magis intentæ. Cuius signum est, quòd in sphæra actiuarum, solæ species sunt per se intentæ, quià solæ sunt perpetuæ. Et quoniàm non solùm singulæ, sed infinitæ simul ponuntur in actu, consequens est, vt dictum fuit, vt omnes sint per se intentæ, & productæ, vtpotè sub aliqua vna certa intentione comprehensibiles, imò, & simul producibiles, quantùm est ex se in actu. Ità Caiet. in p. p. q. 7. art. 4.

IN-

INCIPIT LIBER QVARTVS Physicorum

QVAESTIO PRIMA

Quid sit locus, & ad quam speciem quantitatis spectet

EX CAIETANO

In sua Logica cap. de Quantitate, & in p. p. q. 8. art. 2. & alibi in suis Comment.

53. LOcus, ait Caiet. locis citatis non sumitur hic Metaphoricè, prout Arist. aliquando vocauit ipsam mentem locum formarum, seù specierum intelligibilium. Et Plato ipsam materiam primam vocauit locum formarum substantialium. Nec locus sumitur hic artificialitèr, in quo sensu Vas, & Amphora dicitur locus aquæ, & aqua locus Nauis: Sed hic sumitur locus, non præcisè ille communis, vt Cœlum respectu horum inferiorum: sed propriè naturalis Physicus: Nec est sermo de loco Physico, vt inuoluit qualitates conseruatiuas, vel destructiuas rei locatæ, respectu quarum dicitur, vel naturalis, vel violentus, sed est sermo de loco Physico propriè, qui circumscriptiuus corporis vocatur in hoc 4. Phys. vt abstrahit ab omni qualitate, idest pro ipsa re, quæ locus dicitur, vt constat experientia, quòd vbi priùs erat vnum corpus, ibi in transmutatione corporum succedit aliud, & aliud, de quo discrepant Philosophi antiqui, & moderni in quo consistat. Et quod sit vltima superficies corporis continentis immobilis primò, Aristoteles docuit, & D.Th. lect. 6. & opusc. 52. & intelligitur de superficie, quæ tangit locatum, & quæ vocatur concaua, & non de conuexa, quæ non tangit locatum; & dicitur immobilis primò, quià loco competit esse immobilem. Ità Caiet. *Aperitur status quæstionis à Caiet. in loc. cit.*

54. Adnotat primo Caiet. ex p. p. q. 8, art. 2. ex D. Th. in Corpore, quod cùm locus sit res quædam, esse aliquid in loco potest intelligi duplicitèr, vel per modum aliarum rerum; idest sicut dicitur aliquid esse in alijs rebus quocumq; modo, sicut accidentia loci sunt in loco. Vel per modum proprium loci, sicuti corpora locata sunt in loco. Deus licet non sit corpus, nec accidens, vtroq; tamèn modo secundum aliquid dicitur esse in omni loco. Primo est in omnibus rebus, vt dans eis esse, & virtutem, & operationem, & sic est in omni loco, vt dans eis esse, & virtutem locatiuam. Itèm locata sunt in loco in quantùm replent locum, & Deus omnem locum replet, non sicut corpus (corpus enim dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud corpus) sed per hoc, quod Deus est in aliquo loco, non excluditur quin alia sint ibi, imò per hoc replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis, quæ replent omnia loca. Addit Caiet. cùm igitur locus sit res, & locus replere locum duplicitèr dicitur, scilicet, formalitèr, & effectiuè, corpus locatum replet locum *Doctr. 1. Caiet. ex p.p.q.8 art.2. quomodo Deus sit in omnibus locis, & non vt locata.*

cum formalitér, Deus effectiuè, & ex hoc sequitur differentia posita à D. Th. quod corpus replens excludit alia, Deus autém replens non, imò facit alia locari, & propterea à D. Th. non absolutè dicitur quod Deus est in loco absolutè, sed secundum aliquid, idest quodammodò, quià, scilicet, non formalitér, sed causalitèr. Ità Caiet. art. 2. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex D. Th. in Resp. ad 3. loc. cit. quomodo corpus sit in loco totalitate quantitatis.

55. Adnotat Caiet. ibidem ex D. Th. in Resp. ad tertium prout locus continet locatum, vt quoddam totum, quod totum dicitur respectu partium. Est autèm duplex pars, scilicet, pars essentiæ, vt forma, & materia dicuntur partes compositi, & genus, & differentia partes speciei. Et etiàm pars quantitatis in quam, scilicet, diuiditur aliqua quantitas. Quod ergo est totum in aliquo loco totalitate quantitatis, non potest esse extrà locum illum, quià quantitas locati commensuratur quantitati loci, vndè non est totalitas quantitatis, si non sit totalitas loci. Sed totalitas essentiæ non commensuratur totalitati loci. Vndè non opportet, quod illud quod est totum totalitate essentiæ in aliquo, nullo modo sit extrà illud. Sicut apparet etiàm in formis accidentalibus, quæ secundum accidens quantitatem habent, albedo enim est tota in qualibet parte superficiei, si accipiatur totalitas essentiæ, quià secundum perfectam rationem suæ speciei inuenitur in qualibet parte superficiei. Si autèm accipiatur totalitas secundum quantitatem, quam habet per accidens, sic non est tota in qualibet parte superficiei. In substantijs autèm incorporeis non est totalitas nec per se, nec per accidens, nisi secundum perfectam rationem essentiæ. Et ideò sicut anima est tota in qualibet parte corporis, ità Deus totus est in omnibus, & singulis. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex c. 2. de quantitate, quomodo locus sit species quantitatis continuæ.

56. Adnotat 3. Caiet. in sua Logica cap. de quantitate continua, quòd vnum ex membris quantitatis continuæ est locus, cuius partes continuantur cùm locato, & sunt æquales locato, & habent terminum communem, quæ verba duplicitèr exponuntur, primo à dicentibus Arist. loqui hic de loco secundum opinionem antiquorum, dicentium locum esse spatium habens trinam dimensionem &c. Et sic clarum est locum esse continuum, sicut, & corpus locatum, & penetrare illud secundum omnem dimensionem, & eumdem habere terminum communem cùm corpore locato. Secundo exponuntur à dicentibus Aristotelem loqui secundum propriam sententiam secundum quàm locus est vltimum corporis continentis &c. Et dicitur quod per ly eumdem: Non intelligit eumdem secundum rem, sed secundum proportionem, & adæquationem: Et per partes corporis locati intelligit partes secundum conuexum eius, tales enim partes obtinent singulas superficiei, quæ locus est, & quià tales partes continuæ sunt, sequitur superficiem illam, quæ locus est, esse continuam, vt partes partibus, totum toti, & termini terminis correspondeant. Nec obstat si duorum corporum superficies vnius corporis locus sint, vt patet, quando baculus est secundum medietatem in aere; Et secundum aliam in aqua; quoniàm sicut illæ duæ superficies vnum numero locum constituunt: Ità, & continuum, hoc autèm qualitèr fit, Physicæ determinationis est, nunc autèm sufficiat scire quod in quantum locus, continuus est, licet in quantùm in hac, vel illa, huius, vel illius corporis superficie firmatur, continuitatem non habeat; sicut nec vnitatem aut identitatem. Prima expositio Alberto placet. Secunda autèm S. Thomæ in 5. Met. consonat. Ità Caiet. in c. 2. de quantitate §. quinto hic declarat.

Opinio propria recitata à Caiet. in fine prædicamentorũ, quod locus non est idem, ac vbi.

57. Quo ad 2. Caiet. pluribus in locis suorum Comment. dicit quod in hoc 4. Phys. Arist. non habet controuersiam cùm antiquis de formalitate loci, quæ consistit in receptione, & continentia locati, sed est controuersia de re, cui talis receptio, & continentia conueniret. Antiqui dicebant, esse spatium, seù interuallum intèr latera cor-

corporis continentis inclusum, contrà quos inuehit Arist. ponendo illam diffinitionem suprà explicatam in titulo. Et Caiet. in sua Logica in fine tractatus de Prædicamentis confutat illos, qui dicunt locum esse vbi. Ibi enim habet hæc. Circà hæc vltima genera, vt vel quid nominis nouitij habeant. Sciendum quattuor esse in hac re opiniones. Quidam enim putant hæc sex genera significare absolutum cùm respectu: puta quod vbi significat locum cùm respectu ad locatum, &c. Alij verò, quod significant denominationes extrinsecas: ità quod nil aliud significat sortem esse in loco, quàm sortem denominari à loco, vt mensura extrinseca, &c. & hoc consonare videtur doctrinæ S. Th. in hoc quarto Phys. & ab Heruæo defenditur. Alij credunt quod quattuor vltima genera significent respectus, qui differunt genere à relatione dupliciter vt dicitur in tractatu de relatione attributo Sancto Thomæ. Primo in hoc quod genus relationis inuenitur, & in corporalibus, & in spiritualibus: respectus autèm horum quattuor in corporalibus tantùm: consequuntur enim locum, aut tempus, aut aliquid tegens, quæ corporum, & corporalium tantùm sunt; Secundo in hoc quod relationis genus fundatur super res quinque generum suo modo absolutas: respectus autèm horum generum fundantur super alios respectus, vt patet ex eorum diffinitionibus à Gilberto positis. Vbi namque, & positio consequuntur adiacentiam passiuam corporis locati à loco. Quando verò sequitur adiacentiam temporis; & habitus adiacentiam eorum, quæ circà corpus sunt. A quibusdam autèm dicitur, quod hæc sex genera important respectus differentes à relationis genere, in hoc quod respectus generis ad aliquid est respectus intrinsecus adueniens, respectus autèm aliorum generum est respectus extrinsecus adueniens. Et vocatur respectus intrinsecus adueniens, qui necessariò sequitur extrema, vt similitudo sequitur necessariò duo alba; respectus autèm extrinsecus adueniens dicitur, qui non necessariò sequitur ad extrema posita in actu, v. g. vbi non necessariò sequitur corpus, & locum, &c. Ità Caiet. de vbi loc. cit. ostendens non esse idem ac locum, vt alij falso putant.

58. Quo ad tertium Conclusio responsiua quæsiti ponitur à Caiet. in suis Comment. hoc modo. Locus si est superficies corporis debet habere hæc quattuor, scilicet, quod primo contineat locatum, secundo quod sit æqualis locato, tertio quod sit terminus communis motus localis; & tandèm quarto quod sit immobilis primò. *Conclusio Caiet. ex varijs locis, quod locus sit superficies continens locatum.*

Probatur primum à Caiet. Duo potissimè conueniunt loco, scilicet, circumscribere locatum, & vndequaque tangere illud, sed hæc duo conueniunt superficiei, ergo locus est superficies continens locatum. Probatur minor, quià cum superficies nihil sit locati, sed omnino illi extrinseca habet duo, scilicet, esse longam, & latam, & secundo habet quod sit indiuisibilis secundum profunditatem: ex hoc secundo habet quod tangat locatum, quod non posset si non haberet hanc indiuisibilitatem, quià duo corpora non possunt secundum profunditatem se tangere, nisi adsit ibidem aliqua penetratio; ex hoc vero quod est longa, & lata vndequaque ambit, & circumscribit locatum, ergo vera minor, & Conclusio, quod locus sit superficies continens locatum: Ità Caiet.

Probatur à Caiet. in sua logica cap. 2. de quantitate, quod locus ex hoc quod est species quantitatis continuæ habeat illa duo, scilicet, quod sit æqualis locato, & sit terminus, &c. Partes corporis locati copulantur ad vnum terminum communem, ergo partes loci copulantur ad vnum terminum communem: probat consequentiam Arist. quià singulis partibus corporis locati correspondent singulæ partes loci, sed illæ continuantur, ergo & istæ: & non solùm hoc sequitur: sed etiàm quod istæ partes, scilicet, loci copulentur ad eundem terminum, ad quem copulantur illæ, scilicet, *Quod locus sit æquali locato, & sit terminus probatur à Caiet. in c. 2. de quantitate.*

cet, locati corporis partes. Et quod exponantur ista secundum propriam sententiam Arist. ait Caiet. magis habetur, pro vero, quod locus sit superficies continens, &c. & quod sit æqualis locato, & quod sit terminus, &c. vt dicitur in tertia Adnotatione supra. Ità Caiet. loc. cit.

Quod locus sit immobilis primò probatur à Caiet. multis in locis.

Probatur quartum à Caiet. sic. Locus est immobilis non solùm quo ad speciem, sed etiàm in indiuiduo, ità vt si corpus locatum maneat immotum semper sit in eodem numero loco: sed hoc totum conuenit superficiei, ergo &c. Maior de se est manifesta si attendatur, quod vnitas numerica loci non est vnitas simplicitatis qualis est Dei, & Angelorum, sed est vnitas ordinis, qualis est intèr illa, quæ licet in se sint plura: quià tamèn sibi inuicem succedunt ordine quodam sub eodem situ, & distantia, vnum dicuntur numero vnitate numerica ordinis. Minor in quo Peripatetici laborant probatur inductiuè. Domus hæc semper fuit, & est in eadem distantia, & positione in ordine ad prædictas partes fixas, quod si corrueret, & aliud corpus ibi succederet, superficies putà aeris, &c. ibi esset similitèr cum locato in eadem distantia, & positione, & quod illæ superficies habeant vnitatem ordinis probatur quià aliæ alijs succedunt ordine quodam sub eadem distantia: Et recole, quod illa quæ sunt in vno genere plura, & distincta si transferantur ad aliud, sunt vnum, ergo licet illæ superficies in se sint plura, & distincta entia: si tamèn considerentur intèr se ordinata sub eadem distantia, constituunt immobilitatem vnam numericam, & per consequens vndequaque erit vnus numero locus immobilis. Ità Caiet. vbi agit de vnitate loci respectu cuiuscumque substantiæ, siuè materialis, siuè immaterialis in suis Commentarijs.

Arg. 1. Caiet. ex p. p. q. 53 art. 2. probans quod non copuletur ad vnum terminum

59. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. in p. p. q. 53. art. 2. ex D. Th. Sanctus Doctor ibi habet, quod intèr quælibet duo loca diuisibilia sunt infinita media loca, ergo secundum D. Th. intèr duas medietates alicuius loci continui, non est inueniri vnum tantum medium, scilicet, indiuisibile, quod est terminus communis ad quem copulantur: patet consequentia quià si sunt infinita loca media, opportet quod inueniantur media diuisibilia: & tamèn in probatione Conclusionis suprà dictum est, quod locus ex hoc quod est de specie quantitatis continuæ vendicat sibi, quod sit terminus indiuisibilis &c.

Resp. Caiet. ad 1. Arg.

Resp. Caiet. quod aliud est loqui de duabus partibus continui, & aliud de duobus locis, quoniàm formalitèr loquendo, duo loca non sunt, quæ vt sic formalitèr non distent. Et propterea duæ partes magnitudinis continuæ dupliciter sumi possunt: vno modo ex ea parte, qua continuantur vel contiguantur, & sic cum in eodem sint loco, duorum locorum rationem habere non possunt. Nec intèr eas motus localis esse potest. Si verò sumantur ex ea parte qua aliqualitèr ab inuicem distant, sic de vna in aliam potest esse motus localis, & intèr eas sunt infinita media, tàm diuisibilia quàm indiuisibilia, vt patet ex ratione continui. Et quià S. Th. de pluralitate horum, vt plura sunt formalitèr loquebatur, & non de partibus continui absolutè, ideò optimè dicit quod intèr quælibet duo loca sunt infinita loca media, & non dixit, quòd intèr quaslibet duas partes sint infinitæ partes. Ità Caiet. in q. 57. art. 2. cit.

Arg. 2. Caiet. ex c. 2. de quantitate, quod loco pro vt est quantitas sit contrarietas.

60. Arguit secundo Caiet. in sua Logica cap. 2. de quantitate. In hoc 3. Physicorum dicitur, quod in loco est contrarietas; & in Logica dicitur quod quantitati nihil est contrarium, ergo vel hic, vel ibi asseritur falsum; non secundum ergo primum: probatur hoc primo ex Arist. auctoritate communi Philosophorum, dicens, maximè autem circà locum videtur contrarietas: quià ponunt sursum esse contrarium deorsum, eo quod maxima distantia sit intèr medium, & extrema mundi;

Se-

Secundo Arist. probat ex diffinitione contrariorum: quià contrarietas maxima distantia dicitur: distantiæ autèm nomen à localis distantia deriuatum est ad alia: & maximè est quæ intèr sursum, & deorsum est contrarietas: ergo in loco esse videtur, ex eo, quod omnis alia contrarietas ab ista oppositione diffinitionem sumpsit.

Resp. Caiet. quod quià cùm dicitur quantitati nihil est contrarium, si intelligitur de quantitate nudè accepta, seù in eo quod quantitas, nihil obstat, sed quantitati indutæ aliquam rationem aliam, contrarium inuenitur. Sic autèm est in omnibus instantijs huiusmodi. Loco enim absolutè, alter locus contrarius non est. Sed loco physico puta conseruatiuo callidi, est aliquid contrarium, & vniuersalitèr licet esse in hoc loco, sit contrarium esse in illo loco: ipsa tamen loca contraria non sunt. Vndè in quantitate non est contrarietas, sed in vbi. Et sic sursum, & deorsum non sunt contraria ratione quantitatum, sed ratione vbi, & virtutum physicarum. Nomen autèm distantiæ deriuatum esse ex locali ad contrarietatem, nihil aliud concludit, nisi fortè, quod intèr loca Physica, à quibus distantiæ nomen inuenit, sit contrarietas, quod gratis conceditur. Secundum tamèn veritatem distantia non vniuocè dicitur de locali, & contraria distantia, sed analogicè. Tacuit autem Arist. huius ambiguitatis decisionem in cap. 2. de quantitate, quià loci naturam secundum veritatem ibi non declarat, sed famam sequitur. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 2.*

61. Arguit tertio Caiet. in 3. p. q. 57. art. 5. S. Doctor in hoc 4. Phys. tex. 42. determinat secundum Arist. quod vltima sphæra quæ est primum mobile, vel Cœlum Empireum non sit in loco. Et in 3. p. loc. cit. quod Corpori Christi debetur locus altior vltrà omnem creaturam etiàm spiritualem, ergo vel hic, vel ibi verum non dicit. Probatur illud 4. Phys. quià suprà connexum, seù in superficie conuexa Cœli Empirei non datur locus altior, aut minus altus cùm sit perfectè sphæricum, ergo &c. *Arg. 3. Caiet. ex 3. p. q. 57. art. 5. quod Cœlum Empireum sit in loco contrà Arist. & D. Th.*

Resp. Caiet. quod licet secundum longitudinem Diametri à centro ad circumferentiam nulla pars conuexæ superficiei corporis perfectè sphærici sit altior alia, vt patet ex eo quod omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam sunt æquales, & secundum hunc sensum procedit difficultas; si tamèn eadem superficies conuexa consideretur vt ordinata ad aliquid vnum in ea agendum v. g. ad exercendum actum iudicij, sic vnus locus, seù vna pars eius inuenitur altior altera, iuxta approximationem ad solium Principijs: sumitur enim pars illa solij, vt altior, & reliquæ vt inferiores sunt. Et sic Diuina sapientia superficiem Cœli Empirei, quamuis secundum se fecerit æqualem, secundum quod tamen vertit in vsum habitationis Creaturarum Beatarum, disposuit vnam partem, quasi solium, & reliquas in ordine ad illam superiores, vel inferiores. Et sic Christus secundum Corpus in illa parte solij stans, in supremoque loco residere dicitur, & reliquæ Creaturæ Beatæ hinc, & indè inferiores partes tenent. Et sic S. Doctor interpretatus, vtrobique verum dicit, nec vnquàm dicit opposita. Ità Caiet. art. 5. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 3.*

QVAE-

QAESTIO II. QVARTI PHYSICORVM

Vtrùm duo Corpora possint esse in eodem loco

EX CAIETANO

Et in p.p.q.52.art.3. (& q.76.art.2.) & in 3. p.q.52.art. 2. (& q.35.art.5.) & q.3.art.6, & alibi.

62. CAiet. in p. p. q. 52. art. 4. ait. Titulus clarus est, hoc tamèn in eo notandum quod, ly possint, dicit potentiam naturalem, & ipsorum corporum, sicuti, & etiàm ipsorum Angelorum, & ordinariam ipsius Dei, quoniàm hic non examinamus directè, quid Dei potentia de hac re possit absolutè, sed quid rerum physicarum ordo habeat. Et hoc repetit Caiet. in art. 3. q. 52. cit. Titulus ait, clarus est ex prædictis: quæritur enim directè de possibili secundum rerum potentiam; & quià corpus in replendo locum, replet formalitèr, ait Caiet. & non effectiuè, affinitatem habet ista quæstio cum illa secundi Phys. in num. 11. de duabus causis totalibus respectu eiusdem effectus, & magis propriè de duabus formis respectu eiusdem partis materiæ, ideò ex ijs quæ dicta sunt ibi breuitèr præsens quæstio resoluenda est. Et licet quæsitum de pluribus Angelis in eodem loco q. cit. concernat repletionem loci æquiuocam; & illud de duobus Phantasmatibus quærat in p. p. q. 76. art. de effectu formali in eadem parte subiectiua materiali; & illud de duobus correlatiuis in q. 32. art. 2. quærat de formis in genere ad aliquid; & illud de pluribus personis in 3. p.q. 3. art. 6. quærat de supposito vno in genere assumptiuo, & terminatiuo licet non habeant hæc, inquam, quæsita rationem vniuocam cum præsenti quæsito de pluribus corporibus in ordine ad præstandos suos effectus formales in vno loco, qui sunt circumscribere, commensurare, replere locum formalitèr, & occuppare vnum locum (nàm remota occupatione loci, non est dubium quod possint esse simul, vt patet in Sacramento Eucharistiæ) attamen proportione seruata, & retenta conuenientia æquiuoca seù analoga, quæ dicuntur ibi, possunt applicari, & de facto applicantur à Caiet. successiuè, ad prædictum quæsitum propositum. Ità quod sensus sit. An supposito hoc, quod de ratione quantitatis permanentis non sit ordo partium in loco, sed solùm ordo partium in se, quæritur directè de possibili naturali, & indirectè de possibili supernaturali an duo corpora ità penetrentur ad inuicem, vt sub eadem superficie corporis ambientis, & in eadem distantia continentur. Ità Caiet. loc. cit.

Aperitur status controuersiæ à Caiet. in loc. cit.

63. Adnotat Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. ex D. Th. in corpore quod corpus, & Angelus dicuntur esse æquiuocè in loco: Corpus enim est in loco per hoc quod applicatur loco secundùm contactum dimensiuæ quantitatis: Quæ quidem in Angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis: Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque, dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non opportet dicere, quod Angelus commensuretur loco, vel quod habeat situm in continuo, hoc enim conuenit corpori locato, prout est, quantum quantitate dimensiua; similitèr etiàm non opportet proptèr hoc quod contineatur à loco. Nàm substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream continet ipsam, & non continetur ab ea. Addit Caiet. ad hæc D. Th. ibidem loc. cit.

Doctrina Caiet. vnica ex varijs loc. cit. quid sit esse in loco circumscriptiuè, & diffinitiuè.

quod

quod præsentia rei existentis in loco ad locum, pro vt ad propositum spectat, est duplex circumscriptiua, & diffinitiua. Præsentia circumscriptiua importat commensurationem partium quantitatiuarum locati ad partes loci, & de hac laborare non opportet, quià est nota ad sensum. Præsentia diffinitiua importat solummodò limitationem, seù determinationem ad locum, idest ità esse hic, quod non alibi: Anima enim Christi, addit Caiet. in 3. p. q. 52. art. 2. in Resp. ad Durandum licet ratione contactus virtualis fuerit in loco inferni, ipsa tamèn substantia eius ità erat ibi, idest in loco inferni, vbi, & erant Animæ Sanctorum Patrum, quod non alibi, quod est esse in loco diffinitiuè. Quæritur igitur in præsenti à Caiet. cùm effectus primarius quantitatis sit extensio partium in ordine ad se, & secundarius sit extensio partium in ordine ad locum, idest occupatio actualis loci, & ad hanc sequatur contactus ipsius quantitatis cùm alia à se distincta, cùm secundum extremitates se tangant. An Deus possit suspendere illam extensionem localem manente effectu primario; vel in hoc alio sensu an possit suspendere contactum sequutum ad illam manente ipsa extensione locali, & per consequens duo corpora penetrari, & esse in eodem loco. Ità Caiet. loc. cit.

64. Quo ad secundum Caiet. in q. 52. art. 3. p. p. in fine Comment ait. Ad rationes in oppositum non opportet respondere alitèr: quoniàm fatemur quod ista propositio duo Angeli non possunt esse in eodem loco, non est necessaria necessitate Logica, sed Physica. Et rursus quod eius necessitas talis non est, nisi probabilitèr nota nobis. Et propterea posset sustineri, si quandoque inuenitur à Sanctis, aut illustribus Doctoribus dictum Angelos plures esse in eodem loco, quod Ricardus sentire videtur. Cæterum de duobus corporibus in eodem loco, quià consuetudo S. Th. ait Caiet. est sempèr directè determinare (nisi alitèr ipse S. Doctor se explicet) quid rerum ordo habeat, non quid Dei potentia possit. Iudicio meo, ait Caiet. Conclusio D. Th. negatiua directè respondet quæsito non posse duo corpora esse simul in eodem loco, & vnum penetrari cum alio, in 4. sent. dist. 44. q. 2 art. 2. etiàm indirectè Respondet affirmatiuè posse esse in eodem loco supernaturalitèr. Ità etiàm ibidem confirmat supèr Boetium de Trinit. quæst. de pluralit. causarum ex 4. sent. tamèn sumuntur Argumenta infrà contrà hanc secundam partem. Ità Caiet.

Opinio S. Th. explicatur à Caiet. in q. 52. ar. 3. p. p. & in 4. sent. dist. 44 q. 2. ar. 2.

65. Quo ad tertium Conclusio Caiet. & D. Th. directè responsiua quæsiti est, quod duo corpora non possunt esse simul in eodem loco: benè tamèm supernaturalitèr.

Conclusio vnica Caiet. & D. Th. habens duas partes. Cuius 1. pars prob primo cum secunda simul à D. Th. in 4. sent. dist. 44. art. 2. q. 2.

Probatur à Caiet. prima pars, imò, & secunda simul, vnica ratione D. Th. ex 4. sent. dist. 44. art. 2. q. 2. sic. Esse distincta in situ duo corpora causatur à natura quantitatis dimensiuæ, cui per se conuenit situs, idest dependet à principijs rei essentialibus, sicuti à causis proximis, à Deo autèm sicuti à causa prima: sed non naturalitèr, benè tamèn supernaturalitèr potest fieri quod materia corporis non sit extensa in ordine ad locum, idest quod materia corporis vnius non sit distincta in situ (quod est idem) ab alterius corporis materia, ergo duo corpora non possunt esse naturalitèr: benè tamèn supernaturalitèr in eodem loco. Maior probatur à D. Th. loc. cit. quià situs cadit in diffinitione quantitatis dimensiuæ, quantitas dimensiua est quantitas habens situm: & indè est, quod remotis omnibus alijs, quæ sunt in re, talis distinctionis necessitas inuenitur in sola quantitate dimensiua. Et quià materiæ debetur situs in quantùm substat dimensionibus, exindè prædicta necessitas ad materiam situatam deriuatur, vt sicut possibile est nequaquam esse duas lineas, vel duas partes lineæ, nisi sint distinctæ secundum situm, ità impossibile est esse duas materias, vel duas partes materiæ, nisi sit distinctio situs; & quia distinctio materiæ

est primum principium distinctionis indiuidui: indè est quod Boetius dicit lib. de Trin. cap. 1. quod duobus corporibus vnum locum fingere non possumus, vt hanc saltèm accidentium varietatem, distinctio indiuiduorum requirat. Probatur minor quo ad secundum: cum enim ex alia parte causa prima conseruare possit rem in esse cessantibus causis secundis; hinc Diuina virtute (& ea sola) fieri potest, vt accidens sit sine subiecto, vt in Sacramento Altaris. Et similitèr Diuina virtute (& ea sola) fieri potest, quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, & sic miraculo fieri, quod duo corpora sint in eodem loco, non autèm naturalitèr. Ità D. Th. & Caiet.

Probatur à Caiet. 2. pars ex 3. p. q. 3. art. 6. & 7. ratione peculiari fundata in vna paritate proportionali.

66. Probatur secunda pars à Caiet. in 3. p. q. 3. art. 6. peculiari ratione ex paritate. Eodem modo se habent duæ naturæ respectu vnius suppositi, sicuti se habent duo corpora respectu vnius loci proportione seruata: sed duæ naturæ completæ possunt ex Diuina virtute esse simul in vno supposito: ergo ex eadem Diuina virtute poterunt esse simul duo corpora in eodem loco. Proportionalis maioris de se constat: Minor probatur seù declaratur à Caiet. in art. 7. q. 3. cit. Persona Diuina non solùm est infinita in essendo, & causando ratione naturæ Diuinæ, sed est infinita in terminando ratione suæ personalitatis. Et vt excelsa Dei balbutiendo, vt possumus, resonemus dicendum est, quod infinitas Diuina, vt est naturæ, constituit infinitum ens, & infinitam causam; vt autèm est personæ, seù personalis, constituit infinitam personam vt sic, quod claudit in se infinitatem in terminando. Et ideò potest quælibet Diuina persona subsistere non solum in pluribus naturis, scilicet, in naturali, & assumpta, sed etiàm in pluribus assumptis, & eadem ratione in infinitis, si infinitæ simul inuenirentur. Ità Caiet. loc. cit. ex quibus intelligitur ritè deducta consequentia.

Arg. 1. ex D. Th. in 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 2. quæst. 2. art. 5. contrà 1. partem Conclusionis.

67. Quo ad quartum Arg. primo ex D. Th. in 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 2. quæst. 2. Arg. 5. contrà primam partem Conclusionis. Sicut se habet punctus ad punctum, ità linea ad lineam, & superficies ad superficiem, & corpus ad corpus: sed duo puncta possunt esse simul, vt patet, quià duæ lineæ se tangunt: & similitèr duæ lineæ in contactu duarum superficierum, & duæ superficies in contactu duorum corporum: quià contigua sunt, quorum vltima sunt simul, vt patet in sexto Phys. ergo non est contrà naturam corporis, quin possit esse naturalitèr cum alio corpore.

Resp. D. Th. ad 1. Arg.

Resp. D. Thom. quod sicut dicitur in hoc quarto Phys. Puncto non conuenit locus: vndè si dicatur esse in loco, hoc non est nisi per accidens: quià corpus cuius est terminus est in loco; sicuti autèm locus totus respondet toti corpori, ità terminus loci respondet termino corporis: Contingit autèm duorum locorum esse vnum terminum, sicuti, & duas lineas terminari ad vnum punctum; & ideò quamuis duo corpora non possint esse in eodem loco, tamem duobus terminis duorum corporum respondet idem terminus duorum locorum, & secundum hoc dicuntur vltima corporis se tangentium esse simul. Ità D. Th. loc. cit.

Arg. 2. ex D. Th. loc. cit. 4. sent. contrà 2. partem Conclusionis.

68. Arguit secundo D. Th. contrà 2. partem Conclusionis eodem loc. cit. contrà Communes Animi Conceptiones non potest aliquid miraculosè fieri, vt, scilicet, pars non sit minor toto, & quod triangulus non habeat tres angulos æquales duobus rectis, nec aliquid potest fieri in linea contrà diffinitionem lineæ, scilicet, quod infrà duo puncta sit plusquàm vna linea recta: at sic est quod duo corpora esse in eodem loco est contrà communes istas animi conceptione, ergo &c. Maior constat de se quià contraria communibus animi conceptionibus directè contradictionem includunt: & separare diffinitionem à diffinito est ponere duo contradictoria esse simul. Minor probatur quià Conclusio Geometriæ est quod duo circuli non tangant se nisi

in

in puncto. Si autèm duo corpora circularia essent in eodem loco, duo circuli in eis designati se tangerent secundum se totum. Et de linea probatur etiàm quià si duo corpora essent in eodem loco, contingeret quod infrà duo puncta signata in diuersis superficiebus loci essent duæ lineæ rectæ duorum corporum locatorum.

Resp. D. Th. quod si remoueatur materia, non potest esse distinctio linearum nisi secundum situm diuersorum, & similitèr nec punctorum, nec superficierum, nec quarumcumque dimensionum: cùm autèm distinctio situs possit tolli à Deo ideò rectè dicitur in secunda parte Conclusionis, quod supernaturalitèr potest fieri, quod duo corpora possint esse in eodem loco, supposita tamèn distinctione subiecti, sine distinctione situs ex Diuino miraculo, vt dictum est. Ità D. Th. qui potest iterùm legi in loc. cit. *Resp. ad 2. Arg.*

69. Arguit tertiò D. Th. ex eodem loc. cit. Si duo corpora per miraculum essent in eodem loco corpus penetratum cum alio corpore non esset in loco proprio sed communi: sed per miraculum hoc non potest sequi, ergo &c. Probatur sequela sint duo corpora in eodem loco, quorum vnum secundum quamlibet dimensionem sit maius alio, corpus minus erit inclusum in corpore maiori, & locus corporis maioris erit locus eius communis; locum autèm proprium non habebit, quià non erit aliqua superficies corporis actu signata, quæ contineat ipsum, quod est de ratione loci: ergo non habebit proprium locum. *Arg. 3. ex D. Th. 4. sent. cit. contrà eamdem secundam partē.*

Resp. S. Doctor negando sequelam, ad probationem, nihil probat Argumentum quià Deus posset facere aliquod corpus, quod non esset in loco, & tamèn illa positione facta, non sequitur quod aliquid corpus nòn sit in loco, quià corpus maius est locus corporis minoris, ratione illius superficiei, quæ designatur ex contactu terminorum corporis minoris. Ità D. Th. in 4. sent. dist. 44. cit. *Resp. ad 3. Arg.*

QVÆSTIO III. QVARTI PHYSICORVM

Vtrùm vnum Corpus possit esse in pluribus locis

EX CAIETANO

In diuersis locis suorum Commentariorum.

70. CAiet. in p. p. q. 52. art. 2. & in 3. p. 75. art. p. in Resp. ad tertium declarat cum D. Th. titulum: distinguendo de ly esse in loco respectu Corporis, Angeli, Dei, & corporis Christi, quod diuersimodè omnibus his conuenit. Nàm corpus est in loco circumscriptiuè, quià commensuratur loco; Angelus autèm non circumscriptiuè, cùm non commensuretur loco, sed diffinitiuè, quià ità est in vno loco, quod non in alio. Deus autèm neque circumscriptiuè, neque diffinitiuè, quià est vbique, & in 3. p. in Resp. ad 3. Corpus Christi non est eo modo in Sacramento, sicut Corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo (alias dicit D. Th. spirituali modo) qui est proprius huic Sacramento; vndè dicimus quod Corpus Christi est in diuersis Altaribus, non sicut in diuersis locis, sed sicut in Sacramento, per *Titulus declaratur à Caiet. loc. cit. Tyronibus Thomistis de ly esse in loco diuersimodè.*

quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solùm sicut in signo, licet Sacramentum sit in genere signi, sed intelligimus corpus Christi ibi esse, vt explicatur in corpore art. 1. 3. p. cit. secundum modum proprium huic Sacramento. His suppositis, & declaratis, & distinctis à Caiet. & D. Th. quærunt in tali sensu. An, scilicet, vnum corpus, non Christi Dei, & hominis, sed præcisè compositi naturalis possit secundum extensionem suam circumscribi à pluribus locis simul, & occupare secundum illam plura loca simul, ad cuius resolutionem, & spectata potentia naturali, & Diuina plura possunt applicari, vt de facto applicantur à Caiet. ea quæ habet, præter loca citata, scilicet, in illa propositione ventilata in art. 2. q. 32. & in 3. p. q. 35. art. 5. de duobus correllatiuis an possint bis respici ab vno relatiuo; & etiàm applicantur ea præsenti quæsito, quæ habet in 3. p. q. 52. art. 2. An Anima Christi fuerit in pluribus locis Inferni, vel ea quæ sunt in 3. p. q. 3. art. 7. & q. 76. art. 1. & 5. Verùm corpus Christi sit in hoc Sacramento localitèr per totam quæstionem. Ità Caiet.

Doct. 1. Caiet. ex 3. p. q. 76. art. 1. 2. & 3. quid sit esse in loco localitèr.

71. Adnotat 1. Caiet. ex D. Th. per totam quæstionem 76. 3. p. art. 1. 3. & 5. differentiam intèr esse in loco localitèr in pluribus locis, & intèr esse in loco non localitèr in pluribus locis primum implicat omninò; secundum non implicat, sed credimus sinè repugnantia vlla. Primum per quamcumq; potentiam non potest conuenire corpori vni, quod sit entis naturalis tantùm, seù compositi præcisè puta humani &c. Secundum de facto credimus conuenire composito quod simul est corpus hominis, & Dei, quod non est esse in loco propriè, sed in pluribus locis impropriè, idest modo speciali, quod quidèm S. Doctor declarat in art. 1. q. 76. cit. ad tertium, & in art. 3. in corpore quod, scilicet, corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis, vndè dimensiones panis, vel vini non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed manent sicuti antè, ità post consecrationem; vndè ex vi Sacramenti sola corporis Christi substantia continetur sub hostia, quantitas autèm ex vi realis concomitantiæ ipsum corpus: quià si substantia corporis Christi esset per modum illum, quo quantitas dimensiua alicuius corporis est sub quantitate dimensiua loci, iàm corpus Christi esset in pluribus locis propriè, scilicet, localitèr, sed quià est corpus Christi in Sacramento per modum substantiæ, idest per modum, quo substantia, est sub dimensionibus, ideò est in pluribus locis non localitèr, sed quodam modo ineffabili. Et meritò, addit Caiet. in art. 1. q. 75. 3. p. in fine Comment. hic modus dicitur proprius huic Sacramento, non solum proptèr differentiam à cæteris Sacramentis, sed etiàm quià in toto vniuerso, non apparet vnus aliquis modus huic similis: proptèr quod cùm admiratione, & veneratione fateamur defectum cognitionis nostræ circà hoc. Ità Caiet. locis citatis.

Doctr. 2. Caiet. ex 3. p. q. 76. art. 5. explicans idē 71 suprà.

72. Adnotat 2. Caiet. ex D. Th. 3. p. q. 76. in corpore art. 5. explicationem dilucidam ipsius esse in loco non localitèr, & ipsius esse in loco localitèr sic. Corpus Christi non est in hoc Sacramēto secundū propriū modū quantitatis dimensiuæ, sed magis secundum modum substantiæ. Omne autèm corpus locatum est in loco, secundum modum quantitatis dimensiuæ, in quantùm, scilicet, commensuratur loco, secundum suam quantitatem dimensiuam; vndè relinquitur, quod corpus Christi non est in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo modo quo substantia continetur à dimensionibus, succedit enim substantia corporis Christi in hoc Sacramento substantiæ panis, vndè sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localitèr, sed per modum substantiæ, ità nec substantia corporis Christi: non tamèn substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sic e

eratu

erat substantia panis; & ideò substantia panis ratione suarum dimensionum localitèr erat ibi, quià comparabatur ad locum illum mediantibus proprijs dimensionibus. Substantia autèm corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ità quod e conuersò dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contrà rationem corporis locati; vndè nullo modo corpus Christi est in hoc Sacramento localitèr (quid clarius in D. Thoma ?) si ergo per modum substantiæ corpus Christi est in hoc Sacramento, & non localitèr, ergo sicuti propria totalitas substantiæ, addit Caiet. ex D. Th. in art. 1. q. 76. 3. p. continetur indifferentèr in parua, vel magna quantitate, & tota natura aeris in magno, vel paruo aere, & tota natura hominis in magno, vel paruo homine; sic tota substantia corporis, & sanguinis ex vi Sacramenti, cùm suis tamèn dimensionibus per concomitantiam, post consecrationem, sicut antè consecrationem continetur ibi tota substantia panis, & vini, in parua, vel magna hostia siuè integra manens, siuè frangatur cùm sua propria quantitate; sed indiuisibilitèr, & etiàm per modum substantiæ. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

73. Adnotat 3. Caiet. in art. 3. q. 76. 3. p. explicando quomodo quantitas possit esse in aliquo non localitèr, sed indiuisibilitèr. Corpus Christi quantum sub hostia contentum, in se ipso quidem est indiuisibile, & habens positionem in partibus; (positionem autèm dico illam, quæ ponitur differentia quantitatis cùm distinguitur quantitas in quantitatem habentem positionem in partibus, & quantitatem carentem illa) vt verò continetur sub hostia caret positione seù situ, vno ex decem generibus, dicit enim huiusmodi positio ordinem partium in loco, quo ordine constat carere corpus Christi quantum, vt est sub hostia, quià non est in ea localitèr: ordo enim partium in loco, sine ipso esse localitèr, non est intelligibilis. Et quià huiusmodi situs, siuè positio, non est de ratione quantitatis dimensiuæ, sed sola positio, quæ est differentia quantitatis est de ratione dimensionum, ideò attentè opportet perspicere, quod diuisibilitas, quæ est de ratione quantitatis, non opponitur indiuisibilitati, quæ consistit in negatione positionis specialis prædicamenti. Nec propterea fallaris, putans me dicere, quod modus essendi indiuisibilitèr sit pura negatio positionis specialis generis: hoc enim nec somniaui: sed vt intelligas, quæ dicimus per huiusmodi negationem annexam positiuæ præsentiæ corporis Christi quanti ad hostiam; continetur enim veracitèr corpus Christi quantum sub hostia absq; situ, seù positione speciali prædicamenti: hæc enim negatio includitur in eo, quod signatur per contineri indiuisibilitèr in hoc Sacramento. Ità Caiet. loc. cit. manifestat, quæ dicit ex D. Th. circà esse in pluribus locis localitèr, quod implicet; Non verò implicat, nec repugnat lumini Fidei credere, quod corpus Christi sit in pluribus hostijs, Altaribus, &c. non localitèr, sed modo speciali huic Sacramento. Ità Caiet. indefessè in tota quæst. 76. & 75. cit. 3. p.

Doct. 3. Caiet. ex 3. p. q. 76. art. 3. quomodo quantitas possit esse in loco non localitèr, sed indiuisibilitèr per modum substantiæ.

74. Quoad 2. Caiet. in loc. cit. omnibus Lectoribus, & Discipulis Thomistis manifestat, quomodo longè aberrent à rei veritate omnes illi, (intèr quos ex modernis est Suarez cùm multis ex P.P. Soc.) qui putant fauere Mysterio Fidei in Sacramento tenendo, quod possit Deus saltè n supernaturalitèr, & per miraculum, quod vnum corpus possit esse localitèr, in sensu declarato, in pluribus locis simul; à profunde tamèn scrutantibus Physica, & Theologica, deridendi sunt, isti, ait Caiet. Qui interpretans D. Th. in Comment. loc. cit. ait quod. S. Doctor apertissimè in omni sua Doctrina, quando de hac re agit, fatetur prædictam positionem modernorum, & Scotistarum antiquorum esse omninò impossibilem, & implicare ex parte facti contradictoria. Et in primis in 4. sent. dist. 10. q. 1. art. 3. quæst. 2. & in dist. 44. q. 2.

Opinio S. Th. explicatur, & citatur à Caiet. in loc. cit.

q. 2. art. 2. quæst. 3. ad 4. ait, quod vnum corpus sit simul localitèr in duobus locis, non potest fieri per miraculum. Et in quolib. 3. art. 2. ait. Corpus esse in duplici loco circumscriptiuè est ponere duo contradictoria simul. Et idem S. Doctor insinuat in 3. p. q. 75. art. 1. in argumento 3. Supponendo hanc veritatem pro principio ab ipso statuto arguens sic. Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis cùm nec Angelo hoc conueniat, alitèr tali ratione posset esse vbiq; hoc idem confirmat in solutione ad tertium. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. Caiet. & D. Th. vnica Responsiua quæsiti cum sua prob. ex quolib. 3. art. 2.

75. Quoad 3. Conclusio Caiet. & D. Th. responsiua quæsiti, est huiusmodi. Vnum corpus numero, quod sit localitèr in hoc loco, & tamèn sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul. Probatur à Caiet. ratione desumpta ex D. Th. pluribus loc. cit. Sed præcipuè quolib. 3. art. 2. sub tali forma.

Contradictoria non possunt fieri à Deo: ergo &c. Consequentia probatur corpus localitèr esse in aliquo loco, nihil aliud est quàm corpus circumscribi, & comprehendi à loco secundum commensurationem propriarum dimensionum, quod autèm comprehenditur à loco aliquo, ità est in ipso loco, quod nihil eius est extrà locum illum: Sed si esset in alio loco corpus illud: iàm aliquid esset extrà locum illum, ergo comprehenderetur, & non comprehenderetur vt patet, ergo essent contradictoria: ergo cùm secundum præmissa hoc non possit fieri à Deo, iàm impossibile est, quod vnum corpus &c.

Obiectio circà probationem.

Nec valet dicere, quod sinè multiplicatione quantitatis in tali casu multiplicaretur extensio localis, quæ est effectus secundarius, vndè verificaretur, quod idem corpus numero cùm eadem quantitate numero, esset in pluribus locis.

Resp. Aduersariorum ad rationem, cùm ipsa Caietani.

Non valet hoc, ait Caiet. non obstante quod extensio localis sit effectus secundarius quantitatis, quià tamèn est sua ratio constituens locatum circumscriptibile à loco, scilicet, quod partes substantiæ sic per quantitatem ordinentur, vt vna sit extrà aliam, & per consequens vna pars debeat correspondere diuerso spatio, ac altera; Sequitur, quòd non possit multiplicari duplex ratio constituens locatum nouitèr circumscriptibile simul ab alio loco, quin multiplicetur quantitas, vndè non erit amplius idem numero corpus cùm eadem numero quantitate, ergo si stat idem numero corpus, stat etiàm ratio S. Thomæ solida, concludens, quod ponere corpus localitèr in hoc loco, & tamèn sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul. Ità Caiet. ex D. Th.

Arg. 1. Caiet. ex quolibet tertio art. 2. D. Th.

76. Quoad 4. Arguit 1. Caiet. ex D. Th. in quolib. 3. art. 2. Difficiliùs enim est, quod hæc substantia mutetur in aliam substantiam, quàm quod hæc accidens mutetur in illud accidens: Sed in Sacramento Altaris ex hoc quod diuina virtute substantia panis remanentibus eius dimensionibus secundum quas commensuratur loco, conuertitur in substantiam corporis Christi, sequitur quod idem corpus Christi sit non localitèr secundum commensurationem propriarum dimensionum, sed Sacramentalitèr in pluribus locis simul: ergo potest facere, quod conuertatur dimensio huius corporis in dimensionem alterius corporis, & sic erit idem corpus localitèr in duobus locis simul.

Resp. Caiet. & D. Th. ad Arg. 1.

Resp. Caiet. ex D. Th. quod difficiliùs est hoc accidens mutari in illud accidens, quàm hanc illam substantiam mutari in substantiam. Tùm quià duæ substantiæ conueniunt in subiecto materiali, quod est pars essentialis vtriusq; substantiæ. Tùm quià substantia habet indiuiduationem per se ipsam. Accidens verò non est indiuiduabile per se ipsum, sed per subiectum, vndè non potest ei conuenire, quod hoc accidens conuertatur in hoc accidens: dato tamèn quod hæc dimensio conuerteretur in illam dimensionem, non sequeretur, quod idem corpus esset in duobus locis simul, sed in

vno

vno tantùm: quià postquàm substantia panis conuersa est in substantiam corporis Christi, iàm ibi non sunt duæ substantiæ, sed vna tantùm: ità etiàm si hæc dimensio huius corporis conuertatur in illam dimensionem alterius corporis, iàm non erunt duæ dimensiones, sed vna tantùm, & sic non commensuraretur diuersis locis, sed vni tantùm. Ità Caiet. cùm D. Th.

77. Arguit 2. Caiet. ex Durando in 3. p. q. 76. art. 1. in principio Comment. Si ista propositio est vera de existentia in loco localitèr, scilicet, si aliqua duo sunt realitèr coniuncta vbicumq; est vnum realitèr, opportet, & reliquum esse, sequitur quod hoc, quod est esse in Cœlo, quod est realitèr coniunctum corpori Christi, sit etiàm in Sacramento, & sic quod corpùs Christi sit in pluribus locis localitèr, ergo falsum est, quod implicet contradictoria positio vnius corporis in pluribus locis simul. *Arg. 2. Caiet. ex Durando in 3. p. q. 76. art. 1.*

Resp. Caiet. quod propositio dicta ab omnibus intelligitur de his, quæ insunt Christo absolutè, & non per respectum ad extrinsecum, de quorum numero est esse in loco. Ità Caiet. qui addit, quod hæc limitatio sub intellecta explicatur in sequentibus. *Resp. Caiet. ad 2. Arg.*

Confirmatur Argumentum à Caiet. ex D. Th. q. 76. cit. art. 5. In hoc Sacramento est corpus Christi cùm sua quantitate dimensiua, & cùm omnibus suis accidentibus: sed esse in loco, est accidens corporis; Vndè, & vbi, connumeratur intèr nouem genera accidentium, ergo corpus Christi est in hoc Sacramento localitèr, ergo falsum est quod implicat &c. *Confirm. Arg. 2. ex D. Th. art. 5. q. 76. cit.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad 3. art. cit. quod accidentia corporis Christi sunt in hoc Sacramento secundum realem concomitantiam. Et ideò illa accidentia corporis Christi sunt in hoc Sacramento, quæ sunt ei intrinseca. Esse autèm in loco, est accidens per comparationem ad extrinsecum continens, & ideò non opportet, quod Christus sit in hoc Sacramento, sicut in loco. Ità Caiet. cùm D. Th. ad tertium cit. art. 5. *Resp. Caiet. ex D. Th. ad Arg. 2. Confirm.*

78. Arguit 3. Caiet. in 3. p. q. 76. a. 3. contrà suam Doctrinam tertiam allatam suprà ex Scoto, & Durando sic primo. Nihil potest comparari ad aliud modo incompossibili suæ naturæ: Sed indiuisibilitas est incompossibilis naturæ quantitatis, quià ipsa de natura sua intrinseca est diuisibilis, ergo quantitas corporis Christi non potest comparari ad quantitatem hostiæ indiuisibilitèr, hoc est, vt sit tota sub toto, & tota sub qualibet parte. Vel alia via arguit sic Durandus. Quantitas de ratione sua intrinseca est diuisibilis: ergo nullo modo potest sibi competere ratione cuiuscumq; alterius indiuisibilitèr se habere: ergo non potest comparari ad locum per modum substantiæ. *Arg. 3. Caiet. ex Scoto, & Durando in 3. p. q. 76. art. 3.* *2. Probatio Argumenti.*

Confirmatur Argumentum à Caiet. ex Scoto. Vbicumq; est substantia in se realitèr, ibi est substantialitèr, quià iste modus est ab ea inseparabilis: ergo similitèr vbicumq; est quantitas in se, realitèr ibi est quantitatiuè, quià iste modus inseparabilis à quantitate: non ergo Christi quantitas est in hoc Sacramento per modum substantiæ. *Confirm. Arg. 3. ex eodem loc. cit.*

Alia via in Confirmatione procedit Durandus sic. Anima rationalis licet sit in loco mediante humano corpore quanto, ipsa tamèn est indiuisibilitèr in loco, est enim tota in toto loco, & tota in qualibet parte eius, & hoc ideò quià animæ rationali repugnat diuisibilitas. Ergo per oppositum non obstante, quod quantitas Christi sit in Sacramento mediante substantia, erit ibi diuisibilitèr, quià quantitati repugnat indiuisibilitas. *Prob. 2. Confirm.*

Resp. ad Argumentùm Caiet. ex tertia Doctrina sua suprà, ex quà apparet, quod quan- *Resp. ad Arg. 3.*

quantitas corporis Christi nec perdit suam diuisibilitatem, nec induit modum aliquem sibi repugnantem, nec perdit in se suum modum naturalem, sed in hoc quod continetur sub hostia, caret modo illo, qui importatur per positionem, seù situm. Et sic ad Argumentum neganda est minor vniuocè loquendo quoniàm modus istius modi indiuisibilitatis, non repugnat diuisibilitati quantitatis. Et ad aliam probationem sub alia via, dicitur falsum assumi, scilicet, quod contineri indiuisibilitèr repugnet quantitati diuisibili. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad Confirm.

79. Resp. Caiet. ad Confirmat. Argumenti facilè dicitur, quod Argumentum à simili claudicat, veruntamèn seruata vniuocatione terminorum respondendo dicitur, falsum assumi in antecedente, quoniàm substantia alicubi est, non per modum substantiæ, sed per modum quantitatis, vt patet in substantijs extensis, sunt enim in loco quantitatiuè. Et rursus substantia hetærogenea, puta Bos non est per modum substantiæ in qualibet suæ quantitatis parte, non est enim tota natura Bouis in qualibet eius parte quantitatiua. Ità Caiet. Ad aliam probationem sub alia via, Resp. Caiet. negatur similitudo, quoniàm animæ rationali repugnat esse diuisibilem, & diuisibilitèr contineri: quantitati autèm, licet repugnet esse indiuisibilem: non tamèn repugnat indiuisibilitèr contineri. Ità Caiet. in fine Comm. ar. 3. q. 76. cit.

Resp. ad aliam probationem.

QVÆSTIO IV. QVARTI PHYSICORVM

Vtrùm detur vacuum, & motus in vacuo, si daretur

EX CAIET. CVM D. TH.

P. p. q. 46. art. 1. ad 4. & in 3. p. q. 57. art. 3. in Resp. ad secundum, & alibi in Comment.

Aperitur titulus controuersiæ ex diffinitione vacui explicata pluribus in locis à Caiet. cùm D. Th.

80. CAiet. cùm D. Th. pluribus in locis, ait, vacuum sumitur non in eo sensu quo admittebatur ab antiquis, contrà quos disputat Arist. in 4. Phys. sed in eo, quo admittitur à Philosophis, & à D. Th. scilicet, non pro spatio, quod sit mera negatio repugnantiæ ad capienda corpora, quæ dicitur negatiua Capedo: & per hoc differt à vacuo spatium imaginarium, seù inane, quod istud nullum connotat corpus, in quo talis subiectetur negatio: at vacuum dicitur corpore carens, idest non repletum corpore, & sic exprimit quidem negationem non simplicem, & puram, sed cùm priuatione concernente aptitudinem subiecti; Et sic potest elici diffinitio vacui, dicendo, vacuum est locus non repletus corpore aptus tamèn repleri. Ly locus stat pro subiecto, ratione cuius punctum non potest dici vacuum, quià non est locus, idest non superficies, sed potiùs est indiuisibile continuatiuum partium lineæ, vel superficiei. Et spatium imaginarium suprà omnes Cœlos non potest dici vacuum, quià ibi nihil est, ac proindè locus non est, & dicitur vacuum negatiuè, non verò priuatiuè. Et per ly non repletus corpore, differt à quocumq; alio; vndè si daretur aer, & nullum corpus circumscriberet in tali casu, propriè locus iste diceretur vacuus. Ità Caiet. cùm D. Th. qui dubitat an detur naturalitèr, vel supernaturalitèr; & adhuc concesso, an mo-

motus fieret in instanti, vel tempore. Ità pluribus in locis.

81. Adnotat Caiet. cùm D. Th. in 3. p. q. 57. art. 4. in Resp. ad secundum ad manifestandum, quod vacuum benè diffinitur per locum qui stat vice subiecti: quod locus habet rationem continentis, vndè primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum Cœlum. In tantùm corpora indigent igitur esse in loco per se, in quantùm indigent contineri à corpore Cœlesti. Corpora autèm gloriosa, & maximè corpus Christi non indiget tali continentia, quià nihil recipit à corporibus cœlestibus, sed à Deo mediante anima, vndè nihil prohibet corpus Christi esse extrà totam continentiam corporũ Cœlestium, & non esse in loco continente, nec tamèn opportet, quod extrà Cœlum sit vacuum, quià non est ibi locus. Nec est ibi aliqua potentia susceptiua alicuius corporis, sed potentia illuc perueniendi est in Christo. Quod autèm Arist. probat primo de Cœlo quod extrà Cœlum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis, vt per probationes apparet. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

1. Doct. Caiet. ex D. Th. in 3. p. q. 57. art. 4. in Resp. ad 2. declarans diffinitionem vacui.

82. Adnotat 2. Caiet. ex 4. sent. dist. 44. q. 2. in Resp. ad secundum art. 3. quod data, possibilitate vacui ex virtute supernaturali, corpus, quod esset in vacuo, nihilominus moueretur in tempore, quià ait D. Th. impedimentum ex parte medij, quod facit, vt motus sit in tempore, esto nullum sit medium in vacuo illo possibili si daretur supernaturalitèr, potest tamèn esse resistentia, seù impedimentum prohibens motum in instanti ex parte mobilis: opportet enim, quod sempèr mobile resistat aliquo modo mouenti: cùm mouens, & motum, agens, & patiens in quantùm huiusmodi sint contraria. v. g. corpora Cœlestia, in quibus non inuenitur aliquid, quod obstet motui ipsorum, non mouentur in instanti, sed in tempore determinato secundum proportionem motoris ad mobile; & in talibus non procedit ratio Philosophi quando dicit, quod si fieret motus per vacuum, moueretur in instanti, quià amoto omni medio, adhuc manet motus eorum in tempore; sed ratio Philosophi procedit in illis motibus, in quibus est resistentia ex parte medij tantùm. Accipitur enim mensura temporis secundum impedimentum, quod est ex medio solum, vndè si subtrahatur omninò medium, nullum impedimentum remanebit, & sic vel mouebitur in instanti, vel æquali tempore mouebitur secundum vacuum, spatium, & plenum: quià dato, quod moueatur in tempore, per vacuum, illud tempus in aliqua proportione se habebit ad tempus, in quo mouetur per vacuum aliud corpus imaginatum subtilius corpore, quo plenum erat spatium.

Doctr. 2. Caiet. ex D. Th. 4. sent. dist. 44. q. 2. in Resp. ad 2. art. 3. declarans quod si daretur vacuũ, adhuc motus esset in tempore.

At in alijs motibus, in quibus est resistentia ex ipso mobili, & ex medio, quantitas temporis est accipienda secundum proportionem mouentis potentiæ ad resistentiam mobilis, & medij simul, vndè dato, quod totalitèr medium subtrahatur, vel non impediat, non sequitur quod motus sit in instanti, sed quod tempus, & motus mensurentur tantùm ex resistentia mobilis. Ità Caiet. pluribus in locis ex D. Thom.

83. Quo ad secundum Caiet. cùm D. Th. pluribus in locis probat cùm Arist. ex 4. Phys. non posse dari vacuum naturalitèr: benè tamèn supernaturalitèr. Et circà motum corporis in vacuo, si daretur, ait Caiet. quod Scotus tenet cùm Arist. ex ratione D. Th. & eodem fundamento, quod motus esset successiuus, & in tempore, & licet resistentia proueniens ex raritate, vel densitate medij, vt ait Scotus, accidentalis, cùm possit separari à motu, non esset in tali casu in vacuo: esset tamèn resistentia essentialis, quatenus spatium illud, & distantia terminorum saltèm priuatiua non potest simul pertransiri, sed successiuè priùs secundum vnam partem, & deindè secundum aliam; quià mouens non est tantæ virtutis, vtpotè finitum, & limita-

Opinio D. Th. circà possibilitatem vacui, & motum in instanti, si daretur vacuum recitata à Caiet. pluribus in loc.

tum, vt possit in instanti terminum inducere. Et sic Scotus Resp. ad Arist. quando dicit quod motus in vacuo fieret in instanti, quod loquitur ad hominem contrà antiquos qui vacuum admittebant proptèr motum localem ex vna parte, & ex alia asserebant omnem successionem ex resistentia plani prouenire: sententia igitur vulgata, est, ait Caiet. dari motum in vacuo (si hoc daretur) non in instanti, sed in tempore. Ità Caiet. pluribus in loc. Comment.

1. Concl. Caiet. & D. Th. duas partes habens, & prima de possibilitate naturali cum sua probatione, quod non detur.

84. Quo ad tertium Caiet. pluribus in locis cùm D. Th. ponit hanc Conclusionem. Stante hoc ordine vniuersi, non potest virtute cuiuscumq; Creaturæ naturali: benè tamèn supernaturali, dari vacuum.

Probatur ex Doctrina Caiet. & D. Th. stante hac colligatione, & ordine partium vniuersi, necesse est quod influxus superiorum deueniant ad inferiora per media: At sic est quod si daretur vacuum, non esset medium, per quod influxus superiorum deuenirent ad inferiora: ergo stante hac colligatione &c. opportet quod natura abhorreat vacuum, vtpotè nociuum suo bonó vniuersali naturali, sub quo continetur suum bonum naturale particulare. Maior est manifesta lumine naturali: non enim agunt corpora nisi per contactum in immediata sibi, vt indè agant in mediata. Et Angelus, nec alia virtus creata, non potest impedire omnes motus corporum, ne concurrant ad impediendum vacuum. Et in 2. sent. D. Th. art. 5. in Resp. ad 4. dist. 1. q. 1. ait, quod hoc in ingenijs omnium demonstratur multis experientijs sensibilibus, quidquid experti sint: nobilis vir Genuensis Balianus doctissimus, & Valerianus Cappucinus in sua demonstratione oculari apud Regem Poloniæ de vacuo modico.

Prob. 2. partis de possibilitate supernaturali vacui.

Probatur ex D. Th. secunda pars. Damnis naturæ, potest Deus, subuenire destruendo hanc colligationem, & ordinem partium vniuersi, & etiàm impedire motum aeris ad replendum vacuum: ergo de sui potentia absoluta potest inducere vacuum, nec valet dicere, quod cùm iste ordo sit representatio quædam suæ Diuinæ bonitatis, & artis, nil po est fieri à Deo contrà suam Diuinam artem, & bonitatem: non valet, inquam, quià vacuum non est simplicitèr contrà opificem Diuinum, cùm Deus in productione creaturarum, non totalitèr suam artem, & bonitatem manifestauerit, quin potuerit alitèr manifestare. Ità Caiet. cùm D. Th.

2. Concl. Caiet. de motu in tempore in vacuo si daretur cum sua probatione.

85. Secunda Conclusio secundæ partis quæsiti sic ponitur à Caiet. & D. Th. Si daretur vacuum, & corpus esset in vacuo, motus corporis esset in tempore, & non in instanti.

Probatur à Caiet. cùm D. Th. sic ex Doctrina allata in 3. Adnotatione. Successio motus per D. Thomam non solum sumitur, à resistentia medij, scilicet, aeris, qui in tali casu, non esset, verum etiàm sumitur à distantia, & à resistentia mobilis, & alijs capitibus recitatis à D. Th. in 4. sent. dist. 44. q. 2. in Resp. ad secundum art. 3. ergo etiàm si nullum fuerit medium resistens vt contingit in vacuo, quod consumet tempus, erit tamèn aliud resistens vt dictum est à D. Th. in Adnotatione 3. quod consumet tempus, ac proindè talis motus erit in tempore, & non in instanti. Ità Caiet. cùm D. Th.

1. Arg. Caiet. contrà 1. Concl. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 1.

86. Quo ad 4. Arguitur contrà primam Conclusionem à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 46. art. 1. Argumento 4. sic. Vacuum est, vbi non est corpus, sed est possibile esse: Sed si Mundus incæpit esse, vbi nunc est corpus mundi, priùs non fuit aliquod corpus, & tamèn poterat ibi esse, alioquin nunc ibi non esset, ergo antè Mundum fuit vacuum, ergo vacuum est possibile naturalitèr.

Resp. Caiet. ex D. Th. ad Arg. loc. cit. in Resp. ad 4.

Resp. Caiet. cùm D. Th. quod ad rationem vacui non sufficit in quo nihil est, sed requiritur quod sit spatium capax corporis, in quo non sit corpus, vt patet per Arist.

in

in hoc 4. Phyſ. tex. 60. nos autèm dicimus, non fuiſſe locum, aut ſpatium antè Mundùm. Mutila ergo eſt illa maior propoſitio: opportet enim ſic pone e (ſi debet afferre integram rationem vacui) vacuum eſt, vbi non eſt corpus, ſed ſpatium corporis, quod in ſpatio illo poſſibile eſt eſſe. Et ſic negando, quod adeſſet in mundo ſpatium aliquod, antequam mundus fieret, negatur ſimul, quod vacuum fuerit antè mundum.Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit. & alibi in ſuis Commentarijs.

87. Arguit 2. Caiet. contrà ſecundam Concluſionem ſic. Cùm Philoſophis antiquis in vacuo nulla eſt reſiſtentia, non ex parte medij vt patet; non ex diſtantia quià in illuminatione hæc diſtantia non impedit, quin in inſtanti fiat; non ex parte mouentis, quià ſi contrarium non adeſt, aget ex ſe in inſtanti, maximè quià agens agendo, non ſibi reſiſtit, ergo ſi daretur vacuum motus eſſet in inſtanti. *Arg. 2. Caiet. contrà 2. Concl.*

Reſp. Caiet. in p. p. q. 53. quod reſiſtentia, ſempèr eſt ex vno ex prædictis modis recitatis à D. Thoma in 4. ſent. loc. cit. Et de illuminatione quidèm, probat Caiet. quod dicitur in inſtanti, quià eſt terminus motus localis. Et de reſiſtentia agentis iàm dictum eſt, quod adeſt, quià eſt limitatæ virtutis, & eſto non reſiſtat poſitiuè, & contrariè: reſiſtit tamèn negatiuè, quatenùs, ſcilicet, non habet maiorem virtutem. Ità Caiet. cùm D. Th. pluribus in loc. cit. *Reſp. Caiet. ad 2. Arg.*

QVÆSTIO V. QVARTI PHYSICORVM

Quid ſit tempus? an diſtinguatur à Duratione

EX CAIETANO

In ſua Logica cap. de Quantitate; & opuſculo de infinitate Dei; & in p. p. q. 10. art. 1. 2. & 5. & q. 53.

88. CAietanus in ſua Logica 2. cap. de Quantitate, enumerando quantitates per ſe, præponit diſcretum continuo: ſed diuidendo, prępoſuit continuum diſcreto cùm ipſe Ariſt. ait, Ariſt. enumerando ſpecies continui dixit, ampliùs præter hæc tempus, & locus quoniàm hæc duo non eodem modo quantitates ſunt, ſicut aliæ prænumeratæ. Aliæ enim ſunt hic quantitates, quià ſunt menſuræ intrinſecæ: Tempus autèm, & locus ſunt menſuræ extrinſecæ. Et ſi quis diligentèr conſideret illum textum collectæ ſunt omnium entium menſuræ, & permanentium quidem, ſi continua ſunt, quatuor ſunt, tres intrinſecæ, linea ſecundum longitudinem, ſuperficies ſecundum latitudinem, & corpus ſecundum profunditatem; & vna extrinſeca, ſcilicet, locus. Si diſcreta ſunt, numerus eſt. Succeſſiuorum autèm ſi continua ſunt, tempus; ſi diſcreta, oratio: proptèr quod à quibuſdam dictum eſt, quod tempus diſcretum à Sanctis Auguſt. & Thoma poſitum, à Philoſophis prætermiſſum fuerit, & orationis nomine inſinuatum. Et circà medium cap. 2. Addit Caiet. An tempus verò ſit quantitas per accidens, vel per ſe potiùs, dubitatur maximè, tùm proptèr rationes, tùm proptèr auctoritatem ipſius Ariſt. in 5. Met. ponentis tempus quantitatem per ac- *Aperitur à Caiet. Tyronibus Thomiſtis in cap. 2. de Quantitate, ſtatus Controuerſiæ, & Titulus quæſtionis &c.*

cidens, locum autèm, & orationem nec nominantis: Sed quoniàm Metaphysicalis est hæc perscrutatio, ideò nunc transeat. Sciendum tamèn est, quod aliud est colligere famosas species quantitatis, quæ specialem rationem mensuræ habent, & aliud est colligere eas tantùm, quæ specialem rationem quantitatis habent. In Metaphysica autèm, quià de quantitate secundum quod pars entis est, tractatur, diuersum esse quantitatis, non verò mensuræ aspicitur: aliqua horum intèr quantitates per se non numerantur, quià esse quantùm diuersum non habent. In Physica autèm quæritur de realitate temporis, & eius essencia quænàm sit, & an sit idem quod sua duratio. Ità Caiet. loc. cit. cap. 2. de Quantitate.

Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 10. art. 1. declarans diffinitionem temporis ex differentia æternitatis à tempore.

89. Adnotat 1. Caiet. in p. p. q. 10. art. 1. cùm D. Th. differentiam intèr æternitatem, & tempus nostrum, quod sicut in cognitionem simplicium opportet nos venire per composita: ità in cognitionem æternitatis, opportet nos venire per tempus, quod nihil aliud est, quàm numerus motus secundum prius, & posterius. Cùm enim in quolibet motu sit successio, & vna pars est post alteram, ex hoc quod numeramus prius, & posterius in motu, apprehendimus tempus, quod nihil aliud est quàm numerus prioris, & posterioris in motu; in eo autèm quod caret motu, & sempèr eodem modo se habet, non est accipere prius, & posterius. Sicut igitur ratio temporis consistit in numeratione prioris, & posterioris in motu; ità in apprehensione vniformitatis eius, quod est omninò extrà motum, consistit ratio æternitatis. Item ea dicuntur tempore mensurari, quæ principium, & finem habent in tempore, vt dicitur in 4. Phys. tex. 120. & hoc ideò, quià in omni eo quod mouetur, est accipere aliquod principium, & aliquem finem. Quod verò est omninò immutabile sicuti nec successionem, ità nec principium, aut finem habere potest. Addit Caiet. in fine Comment. aduerte quod ideò D. Th. distinguit ex parte mensuræ mensuram durationis, in mensuram per modum numeri successiui, & per modum vnitatis immobilis, & exclusa prima quià tempus est, secundam intulit; ex parte verò mensurati distinguit mensuratum in terminatum principio, & fine, & in interminatum vtrinq; & excluso primo, quià temporale est, intulit secundum. Et in Resp. ad 5. addit D. Th. quod in tempore est duo considerare, scilicet, ipsum tempus, quod est successiuum, & nunc temporis, quod est imperfectum, dicitur ergo æternitas tota simul ad remouendum tempus, & perfecta ad excludendum nunc temporis. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

Doctr. 2. ex p. p. q. 53. art. 3. quàm adducit Caiet. idem declarando ex differentia intèr tempus Angelicum, & nostrum.

90. Adnotat Caiet. 2. in p. p. q. 53. art. 3. cùm D. Th. in fine corporis, quod vbi sunt multa nunc sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus, cùm tempus nihil aliud sit, quàm numeratio prioris, & posterioris in motu, vndè relinquitur, quod motus Angeli sit in tempore. In continuo quidem tempore si sit motus eius continuus, in non continuo autèm, si motus non sit continuus. Vtroq; enim modo contingit esse motum Angeli. Continuitas autèm temporis est ex continuitate motus, vt dicitur in hoc 4. Phys. tex. 99. Sed istud tempus siuè sit tempus continuum, siuè non, non est idem cùm tempore, quod mensurat motum Cœli, & quo mensurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu Cœli, & de quo est sermo in præsenti quæstione: motus enim Angeli non dependet ex motu Cœli. Hinc, addit Caiet. quod necessitas ponendi aliud tempus continuum à tempore communi, assignatur à S. Th. ex hoc quod mutabilitas alicuius non dependet à motu Cœli; sicuti necessitas ponendi tempus discretum ostenditur à D. Th. ex natura operationum Angelicarum consequentèr se habentium in p. p. q. 10. Ità Caiet. locis citatis q. 53.

Doctr. 3. Caiet.

91. Adnotat 3. Caiet. cùm tempus dicat durationem, & numerum motus in

opusc.

opusc. de Infinitate Dei tom. 3. tract. 2. §. Tertia igitur conditionalis, &c. Durationem passionem esse motus, & si verum sit quo ad aliquid, puta quià sub ratione temporis diffinitur per motum, & inseparabilitèr concomitatur ipsum tanquam posterius suum prius: non tamen est verum simplicitèr: quià constat, quod verè, & simplicitèr passio alicuius, sic producitur consecutiuè ad productionem subiecti, vt à virtute per se primo productiua subiecti, secluso quocumque extrinseco, sufficientèr emanet. Duratio autèm siuè sempiternitas motus non emanat à virtute motiua, vt sit ratione ipsius virtutis, sed consequitur conditionem extrinsecam ipsius virtutis, scilicet, durationem eius, vt patet inductiuè. Non est igitur passio propriè loquendo, sed potiùs conditio inseparabilis. Nec ex hoc quod talis conditio potest poni in esse, ex conditione virtutis motiuæ, concludi potest, ergo superfluè alia quæritur causa, quoniàm non quæritur causa ad hoc, vt fiat absolutè, sed ad hoc vt per se primò fiat. Non enim superfluè quæritur à quo per se primo fiat animal, quamuis sciamus ipsum fieri à generante Hominem, & Bouem; nec inconueniens aliquod sequitur, si tàm nobilis conditionis motus, qualis est duratio sempiternitatis, specialis causa quæratur, & non sat sit credere, quod fiat, vt conditio præcisè: nihil enim contrà principia naturalia, aut Metaphisicalia, aut quæcumque alia apparet sensui, imò inuestigatio hæc consequens est processibus Arist. in 6. 7. & 8. Phys. vbi causas motus aptauit secundum diuersas proportiones ad eius durationem. Non est igitur impossibile, aut inconueniens, sempiternitatem motus, talem esse effectum, vt possit produci ab aliqua virtute per se primò. Ità Caiet. opusc. cit.

ex opusc. de Infinitate Dei declarans durationem non esse passionem motus propriè loquendo.

92. Quo ad secundum Caietanus circà existentiam, & quidditatem temporis citat D. Aug. lib. 10. Confess. vbi cap. 13. & 23. sic discurrit. Audiui à quodam homine docto, quod Solis, ac Lunæ, ac Syderum motus ipsa sunt tempora, & non anni. Sunt, & Sydera, & Luminaria in Cœli signis, & in temporibus, & in annis, & in diebus, &c. Sed nec ego dixerim circuitum illius ligneolæ rotæ, si cessarent Cœli lumina, diem esse, nec tamen ideò tempus non esse. Ille doctus dicet, sed ego scire cupio vim, naturamque temporis quo metimur corporum motus. Nam corpus nullum, nisi in tempore moueri, audio. Ipsum autem corporis motum tempus esse non audio. Cùm enim mouetur corpus, tempore metior, quamdiù moueatur, ex quo moueri incipit, donec desinat. Cum itaque aliud sit motus corporis, aliud quo metimur, quamdiù sit. Nàm, & si variè corpus aliquando mouetur, aliquando stat, non solum motum eius; sed etiàm statum, tempore metimur. Non est ergo tempus corporis motus. Vndè in cap. 25. sic orat Deum. Confiteor tibi Domine, ignorare me adhuc, quid sit tempus, & rursus confiteor tibi Domine scire me in tempore ista dicere, & diù me iàm loqui de tempore atque idipsum dici, non esse nisi moram temporis. Quomodo igitur hoc sciam? quando quid sit tempus nescio? Ecce Deus meus, illumina lucernam meam Domine, illumina tenebras meas. Hæc D. Aug. de Tempore.

Quid sentiat D. Aug. in ordine ad quidditatem tēporis citat Caietanus ex lib. 10. Confessionum.

Caiet. tamèn ad lucem Solis Aquinatis, ait, si D. Aug. in lib. 11. Confessionum cap. 14. dicit, nihil notius esse existentia temporis. D. Thomas concludit quod temporis formalitas complementum habet ex actu animæ, cum sit numerus motus secundum prius, & posterius; & tria reperiuntur in tempore; primo quod sit duratio successiua, & continua motus, quod habet ex priori, & posteriori eiusdem motus. Secundum est, quod possit mensurare motum, & hoc completiue ab anima, non complemento accidentali, vt volunt aliqui, sed complemento essentiali. Tertium est quod hoc actu exerceat, & habeat in actu exercito. Primum dicitur essentia, & ratio temporis; Secundum eius ratio completiua (secundum aliquos pro-

Opinio D. Th. explicata à Caiet. in p. p. q. 10 art. 1. circà quidditatem temporis.

prie-

prietas est) Tertium dicitur accidens temporis. Itaque ille actus animæ numerantis ex D. Th. ingreditur rationem formalem temporis, & complet illam complemento essentiali, & non accidentali. Ità Caiet. p. p. q. 10. art. 1. & alibi.

Prima Conclusio Caiet. ex q. 10. p p. ar. 1. responsiua 1. p. quæsiti cum sua prob. ex D. Th.

93. Quo ad tertium prima Conclusio Caiet. ponitur sub his verbis ex D. Th. in p. p. q. 10. Ratio fundamentalis ipsius temporis consistit in illo reali ante intellectum, scilicet, in ipsa duratione successiua, & continua motus: Ista verò redditur formalis completiuè per actum animæ, scilicet, quod possit numerari, &c.

Probatur à Caietano in art. p. q. 10. ex differentia intèr æternitatem, & tempus sub tali forma. Ratio æternitatis consistit in apprehensione vniformitatis eius quod est omninò extrà motum: ergo ratio temporis consistit in numeratione prioris, & posterioris in motu. Probatur consequentia quià proportionalitèr se habent, sicut tempus ad successionem partis post partem in motu, ità æternitas ad rem carentem his: cùm hac tamen differentia quo ad ly in apprehensione, quià in æternitate significat idem quod in conceptione obiectiua, quam frequenti vsu vocamus rationem, ac si dicatur ratio æternitatis consistit in apprehensione, idest in ratione vniformitatis, & hoc in sensu formali, & non in sensu materiali, vt sit vnitas vniformitatis, sed formalitèr, ità vt ratio æternitatis sit ipsa vniformitas, idest consistat in ratione vniformitatis, vt vniformitas rationem mensuræ habet. Non in sensu materiali prædicto, quià addere vnitatem ad vniformitatem est negatio, sicut addere animal homini; vndè in primo sententiarum non dicitur, quod vniformitas, vt vna, sed permanentia actus vt vna; ac per hoc dicere æternitatem esse vniformitatem, & dicere esse vnitatem, non differunt, nisi quià specialius, perfectius, atque melius dicitur vniformitas: sicut vniuersalitèr melius explicat naturam rei genus proximum quàm remotum, & hoc de mente D. Th. art. 1. cit. eo quod expressè apprehensio, idest ratio vniformitatis, proportionalitèr apponitur contrà numerationem prioris, & posterioris motus. Itaque vnitas illa vniformitatis perennis actu est, absq; actu animæ non minus, quàm vnitas essentiæ diuinæ: at ratio temporis, per ly in apprehensione, significatur quod illa consistit in apprehendi seù cognosci, scilicet, completiuè ab anima, ergo vera Conclusio, &c.

Declaratio Conclusionis facta à Caiet ex D. Th. in p. sent. dist. 19 q. 2. art. 1.

94. Et Caiet. citando D. Th. in p. sent. dist. 19. q. 2. art. 1. refert quod illud quod est de tempore quasi materiale fundatur in motu, scilicet, prius, & posterius: quod autèm est formale completur in operatione animæ numerantis, proptèr quod dicit Philosophus, quod si non esset anima, non esset tempus; Sicut ergo prius, & posterius temporis pro vt intelliguntur numerata complent rationem temporis, ità permanentia actus secundum quod intelligitur in ratione vnius, quod habet rationem mensuræ, complet rationem æui, & æternitatis. Et in corpore art. 1. q. 5. p. sent. dist. 19. cit. ait, eorum, quæ significantur nominibus inuenitur triplex diuersitas. Quædam enim sunt, quæ secundum esse totum completum sunt extrà animam, & huiusmodi sunt entia completa sicut homo, & lapis. Quædam autèm sunt, quæ nihil habent extrà animam, sicuti somnia, & imaginatio chimeræ. Quædam autèm sunt, quæ habent fundamentum in re extrà animam, sed complementum rationis eorum, quantùm ad id quod est formale, est per operationem animæ, vt patet in ipso vniuersali. Humanitas enim est aliquid in re, non tamèn ibi habet rationem vniuersalis, cùm non sit extrà animam aliqua humanitas multis communis, sed secundum quod accipitur in intellectu adiungitur ei per operationem intellectus intentio, secundum quam dicitur species. Et similitèr est de tempore, quod habet fundamentum in motu, scilicet prius, & posterius ipsius motus, sed quantum ad id quod est formale in tempore, scilicet, numeratio, com-

ple-

pletur per operationem intellectus numerantis. Ità Caiet. loc. cit. cum D. Tho.

95. Secunda Conclusio Caiet. ponitur ab ipso cum D. Th. in p. p. q. 10. art. 2. sub his verbis cùm tempus sit quædam species durationis, sicuti, & æternitas, rem esse suam durationem singulare est ità in Deo, vt nulli alteri rei conuenire possit.

2. Conclus. Caiet pro 2 p. quæsiti cum sua probatione ex p. p. q. 10. art. 2. & explicatione.

Probatur à Caiet. cum D. Th. sic. Deus est suum esse vniforme, & nihil aliud à Deo est suum esse, ergo solus est sua duratio quæ in eo est æternitas, & nulla alia res est sua duratio, quæ in ea est tempus. Et declaratur à simili, quià sicuti ipse est sua essentia, ità est sua æternitas, & sicuti quæcumque alia res citrà Deum non est sua essentia, ità nec est sua duratio.

Addit Caiet. aduerte circam vim huius rationis, quod res hic sumitur pro re subsistente, cuius tantùm est esse propriè loquendo. Ità quod non intendit D.Th. quod omnis res alia à Deo distinguatur à sua duratione, cum tempus, quod est quædam res non distinguatur ab ipsa: sed intendit quod nulla res quæ est id quod est, & quod durat, sit sua duratio. Vis autèm rationis consistit in hoc, quod cum res, esse, & duratio ordine quodam se habeant: quoniàm duratio non inest rei nisi mediante esse: non enim res durat nisi ratione sui esse, quià namque retinet esse, durat res omnis, & non ob aliud; cùm, inquàm, ità sit, consequens est, quod si alterum extremorum non est idem medio, quod nec sit idem reliquo extremo. Magis enim distant extrema intèr se, quàm à medio. Res autem durans alia à Deo, quæ est vnum extremum, non est idem, quod suum esse, vt supponimus, ergo nec est idem quod sua duratio, quæ est alterum extremùm. Ità Caiet. art. 2. cit.

96. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà hanc secundam Conclusionem loc. cit. q. 10. art. 2. ex Aureolo apud Capreolum. Contrà id quod implicitè dicitur, quod Æternitas Dei sit formalitèr duratio. Omnis duratio alteri comparata est maior, minor, aut æqualis: æternitas non est huiusmodi. Probatur quià non potest intelligi maior secluso post, vel ante durare, ergo omnis duratio maior, habet ante, vel post, in quo non differet à tempore.

Arguit Caiet. contrà 2. Conclusionem q. 10. art. 2. p. p.

Resp. Caiet. dupliciter primo negando minorem, & ad probationem dicitur, quod durationem maiorem includere in se prius, & post, contingit dupliciter vno modo formalitèr, alio modo virtualitèr, & eminentèr, sicut calor est in Sole, & quod Æternitas est maior cæteris, & verificatur de ea durare prius, vel post tempus aliquod, quià in se illa præhabet eminentèr. Secundo potest responderi negando maiorem propriè loquendo, quoniàm comparatio propriè non fit, nisi in vnius rationis rebus. Æternitas autèm est duratio alterius ominò rationis à tempore, & hoc secundum se loquendo, quamuis concepta, vt coexistens, comparetur etiàm à viris illustribus. Ità Caiet. loc. cit.

Resp. Caiet. ad Arg. 1.

97. Arguit secundo Caiet. contrà primam Conclusionem sic. In art. p. q. 10. p. p. Tempus non est formalitèr difformitas motus, ergo æternitas non est formalitèr vniformitas eius, quod est extrà motum, & tenet sequela ex progressu rationis primæ Conclusionis.

Arg. 2. Caiet. contrà 1. Conclusionem ex art. 1. q. 10. p. p.

Resp. Caiet. quod ad rationem temporis, non sat est diuersitas formæ motus: sed exigitur, quod sit diuersitas talis formæ, scilicet, prioris à posteriori vt sic: & ideò cum difformitas motus non dicat nisi diuersam formam motus, non ponit numerum talis formæ motus secundum prioritatem, & posterioritatem, & consequentèr non sufficit ad temporis rationem. Vniformitas autèm rei immobilis, quià ponit vnitatem omnis formæ, idest conditionis rei immutabilis omnia complectitur constituentia æternitatem formalitèr. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad Arg. 2.

98. Ar-

Arg. 3. Caiet. ex p.p.q.10. art. 2. ex Resp. ad 1.

98. Argüit tertio Caiet. in p. p. q. 10. art. 2. ex Resp. ad primum contrà differentiam assignatam intèr æternitatem, & tempus. Sicut enim causatur in nobis apprehensio temporis, eo quod apprehendimus fluxum ipsius nunc, ità causatur in nobis apprehensio æternitatis, in quantum apprehendimus nunc stans, ergo pariformitèr se habent tempus, & æternitas, in hoc quod tota ratio consistit in apprehensione, & cognosci, & vtrobique est cum actu Animæ, quod est contrà ea quæ diximus ex D. Th. in probatione primæ Conclusionis; ex eò maximè constat, quod tempus ità pendet ab Anima ait D. Th. in p. sent. q. cit. quod si non esset anima, non esset tempus.

Resp. Caiet. ad Arg. 3. loc. cit.

Resp. Caiet. art. 2. loc. cit. in Resp. ad primum aduerte duo. Primum est, quod sicut punctum motum dicitur causare lineam: Et tamèn in nullo genere causæ causat illam in esse. Et propterea non est causa lineæ in esse reali, sed est causa eius in esse cognito, quià facit cognitionem illius in nobis; ità nunc stans dicitur causare æternitatem non in esse reali, sed in esse cognito, quià causat rationem illius in nobis. Et quemadmodum impossibile est punctum moueri, & tamèn concipimus, & dicimus punctum motum, idest si moueretur, causaret lineam, ità dato quod impossibile sit nunc stare, attamèn optimè dicimus, nunc stans facit æternitatem, idest si staret, constitueret æternitatem.

Secundum est, quod hinc patet, quàm vanus fuerit contrà nos labor rationum Aureoli, vbi suprà ad impugnandum hoc dictum Boetij, & S. Thomæ, quià nunc non potest concipi vt stans, & ad remouendum nunc à Deo. Æquiuocat namque de nunc imò supponit non dari nisi nunc temporis, cùm tamèn nunc æternitatis sit alterius rationis à nunc temporis. Et rursus, vt dictum est, ipsum nunc temporis si staret, æternitatem constitueret, sicut si punctus moueretur, lineam faceret, quare non opus est sensui suas obiectiones adducere. Ex his enim facillimè soluuntur. Ità Caiet. art. 2. q. 10. cit. in fine Comment.

Ad id quod affertur ex primo sent. Resp. Caiet. negando quod S. Doctor intelligatur de tota ratione constitutiua temporis, quod sit ab anima, sed intelligitur, quod ratio formalis temporis sit completiuè ab anima, ità quod si non esset anima, non esset tempus, idest ratio formalis completa temporis. Complemento essentiali, non accidentali. Ità Caiet.

QVAE-

QVÆSTIO VI. QVARTI PHYSICORVM

An Tempus sit multiplex, vel vnum.

EX CAIETANO

P.p.q.10.art.6. & alibi in Comment.

99. CAiet. ait in q. 10. art. 6. In titulo intelligitur ly vnum, an sit vnum numero; & adnotat ibidem, quod sicut quilibet motus habet proprium prius, & posterius in se ipso, itá etiàm habet proprium numerum numeratum illorum: & consequentèr proprium tempus: sed quoniam non cuiuslibet motus numerus, est certificatiuus omnium motuum ex natura sua: sed tantùm numerus primi motus proptèr eius simplicitatem maximam: ideò solus primi motus numerus, temporis completè rationem habet. Et propterea tempus est vnum numero formalitèr completeque sumptum: & sunt multa tempora quasi materialitèr seù incompletè. Et simile est iudicium de Æuo. Eodem enim modo est vnum, & multa vt probat S. Doctor in p. p. q. 10. art. 6. in corpore. Ità Caiet. loc cit.

Doctr. 1. Caiet. ex p.p.q.10. art. 6. declarans formalem vnitatem temporis secundum suam rationem formalem completam.

100. Quo ad secundum Caiet. recitat ex D. Th. art. 6. q. 10. cit. Opiniones diuersorum circà vnitatem, & multiplicitatem temporis nostri. Quidam dicunt esse vnum tempus omnium temporalium proptèr hoc, quod est vnus numero omnium numeratorum, cùm tempus sit numerus secundum Philosophum vt dicitur lib. p. Phys. tex. 101.

Alij assignant causam vnitatis temporis ex vnitate æternitatis, quæ est principium omnis durationis. Alij verò assignant causam vnitatis temporis ex parte materiæ primæ, quæ est primum subiectum motus, cuius mensura est tempus. S. Doctor dicit assertiuè, quod ratio vnitatis temporis, est vnitas primi motus, secundum quem, cùm sit simplicissimus, omnes alij mensurantur vt dicitur in 10. Met. tex. 4. Ità Caiet. loc. cit.

Opiniones diuersorum recitatæ à Caiet. ex D. Th. art. 6. cit. circà vnitatē temporis.

101. Quo ad tertium prima Conclusio negatiua ponitur à Caiet. cum D. Th. loc. cit. art. 6. sub his verbis sic. Tempus non est vnum, per hoc quod est vnus numerus omnium numeratorum; nec per hoc quod æternitas est vna, vt porè principium omnis durationis; nec per hoc quod materia prima est vna, & vnum subiectum primum motus. Et prima pars reprobatur sic à Caiet. cum D. Th. sub tali forma.

Tempus non est numerus absolutè, sed numeratus in motu, scilicet, continuo, ergo non ex vnitate numeri est vnus. Antecedens constat, quià non est numerus vt abstractus à numerato, idest extrà numeratum, sed vt in numero existens: quià decem vlnæ panni continuitatem habent non ex numero, sed ex numerato.

Prima Conclusio negatiua de vnitate temporis ex Caiet. & D. Th. habens tres partes cum sua probatione primæ partis, ex art. 6.

Secunda pars, & tertia probatur sic à Caiet sub tali forma simul. Tempus est vnum simplicitèr: ergo non est vnum principio, & subiecto remoto tantùm. Tenet sequela, quià vnum subiecto, vel principio sunt vnum secundum quid; & sic neutra assignatio sufficiens videtur ad constituendam vnitatem simplicitèr temporis: quià opporteret ponere omnes durationes esse vnum, si consideretur eorum principium, & esset vnitas secundum quid; & opporteret ponere multas, si consideretur

Prob. 2. & 3. p. simul eiusdē negatiuæ Conclusionis formalizata à Caiet.

diuersitas eorum, quæ recipiunt durationem ex influxu primi principij: quæ est multitudo secundum quid. Itá Caiet. in art. 6. q. 10. cit. ex D. Th. in corpore articuli, &c.

2. Conclusio responsiua quæsiti Caiet. ex D. Th. ar. 6. cit. cum sua probat. de vnitate temporis.

102. Secunda Conclusio Responsiua quæsiti ponitur á Caiet. cum D. Th. art. 6. cit. hoc modo. Ratio vnitatis temporis simplicitèr, est vnitas primi motus. Probatur á Caiet. sub tali forma. Primus motus est simplicissimus, ergo mensura cæterorum: ergo comparatur ad tempus, non solùm vt mensuratum ad mensuram sed vt subiectum ad accidens: ergo ex eius vnitate est tempus vnum; consequentia prima probatur ex 10. Met. vbi dicitur, quod cùm sit simplicissimus, omnes alij motus mensurantur. Aliæ verò relinquuntur per se notæ, quoniàm constat, quod quantitas primi mensurati, est ipsius mensura coniuncta, cæterorum vero separata. Et propterea non multiplicatur ad multiplicationem cæterorum, sed primi motus tantùm, sicut vniuersalitèr accidens multiplicatur ad multiplicationem subiecti, cum ergo primum non multiplicatur, ergo nec mensura, vt in proposito. Hinc est, quod ex ista assignata via sub isto processu facto de vnitate temporis inducit S. Doctor in illo art. 6. vnam Conclusionem tantum de æuo quod est mensura æuiternorum in Angelis) quod sit vnum tantum æuum in Angelis. Itá Caiet. ex D. Th. art. 6. q. 10. p. p.

Arg. 1. Caiet. ex D. Th. art. 6. cit.

103. Quo ad quartum Arguit. Caiet. ex D. Th. art. 6. cit. quod ex vnitate temporis non benè deducatur vnitas æui Angelici. Ea quæ non dependent ab inuicem, non videntur habere vnam mensuram durationis: proptèr hoc enim omnium temporalium videtur esse vnum tempus: quiá omnium motuum quodammodò causa est primus motus, qui priùs tempore mensuratur: sed æuiterna non dependent ab inuicem: quiá vnus Angelus non est causa alterius: non ergo ex vnitate temporis, S. Doctor rectè deducit æuum esse vnum tantùm.

Resp. Caiet. ad Arg. 1. quod est quartum D. Th.

Resp. quod ad hoc, quod aliqua mensurentur per aliquod vnum, non requiritur quod illud vnum sit causa omnium eorum, sed quod sit simplicius. Et sic primus motús, quod sit causa aliorum motuum, non facit, quod ideò alij per ipsum primum mensurarentur, quiá est causa illorum, sed quiá est in genere motuum aliquid simplicius illis: esse ergo causam mensuratorum non est de essentia mensuræ, quamuis possit ei accidere: sed esse simplicius mensuratis vt sic, est de essentia mensuræ. Argumentum errat fallacia secundum non causam vt causam. Itá Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. probans non esse vnum secundum suam essentiam, Cum sua Resp.

104. Arguit secundo Caiet. loc. cit. Tempus secundum suam essentiam est numerus prioris, & posterioris in motu: sed quilibet motus habet suum prius, & posterius, & consequentèr eorum numerum: ergo quot sunt motus tot erunt tempora.

Resp. Caiet. ex sua Doctrina allata in explicatione tituli suprà: quod hæc ratio in Argumento allata pro ijs, qui tenent, quod tempus solummodo secundum rationem mensuræ, sit tantùm vnum, & non secundum essentialem rationem temporis, concludit in sensu materiali, & non in sensu formali: ex hoc enim quod non cuiuslibet motus numerus est certificatiuus omnium motuum ex natura sua, sed hoc habeat, primi motus numerus, proptereà tempus est vnum numero formalitèr completeq; sumptum: & sunt multa tempora, quasi materialitèr, seù incompletè. Hinc addit Caiet. in art. p. q. 10. p. p. sensus S. Doctoris, & cuiuscumque verè Philosophi, semper debet esse formalis: semper enim formalis intellectus reliquis præponitur, si saluari æquè potest: ego enim formalitèr textum de vnitate temporis, & de vniformitate æternitatis, & cæteros alios textus intelligo, ea ratione motus ego, quiá nihil cogit ad materialem sensum. Itá Caiet. loc. cit.

QVAE.

QAESTIO VII. QVARTI PHYSICORVM

Vtrùm Tempus solùm existat ratione instantis

EX CAIETANO

P.p.q. 10. art. 1. & 5. & alibi in Comment.

105. CAiet. in pluribus locis instituit sermonem de ipso tempore; quod sit in rerum natura experimur, sed quo modo sit, & existat hoc opus, hic labor est; quod enim causat controuersiam est, quià tempus est de specie quantitatis continuæ successiuæ, vt continuum debet habere partes vnitas, quas vniunt diuersa indiuisibilia; vt successiuum debet habere post partes, partes, scilicet, præteritas, & futuras quæ non nisi vniuntur ab ipsis instantibus: sed quià instantia non sunt partes temporis, & nihil existat nisi ratione suarum partium, controuertitur an illud instans, se habeat sicuti subsistentia compositi, quod sicuti hæc modo indiuisibili actuat immediatè afficiendo totum compositum, & mediatè ipsas partes pro vt sunt in composito, vndè ex hoc dicitur indiuisibilis formalitèr, & diuisibilis virtualitèr. Ità illud instans ratione cuius tempus dicitur existere realitèr, sit indiuisibile formalitèr, & diuisibile virtualitèr terminando, & initiando partes modo indiuisibili: vndè partes eius sempèr sint in fieri, quatenus successiuum est, & ratione instantis sint in facto esse. Ità Caiet. pluribus in locis.

Aperitur à Caiet. loc. cit. status controuersiæ, & titulus declaratur.

106. Adnotat primo Caiet. ex D. Th. in p. 2. q. 31. art. 2. in corpore ea quæ sunt in tempore, aliquid contingit esse in tempore dupliciter vno modo secundum se: alio modo per aliud; & quasi per accidens. Quià enim tempus est numerus successiuorum illa secundum se dicuntur esse in tempore, de quorum ratione est successio, vel aliquid ad successionem pertinens; sicut motus, quies, locutio, & alia huiusmodi; secundum verò aliud, & non per se, dicuntur esse in tempore, illa de quorum ratione non est aliqua successio, sed tamèn alicui successiuo subiacent: sicuti esse hominem de sui ratione non habet successionem: non enim est motus, sed terminus motus, vel mutationis, scilicet, generationis ipsius: sed quià humanum esse subiacet causis transmutabilibus, secundum hoc, hominem esse est in tempore. Et in q. 53. art. 3. ad tertium ait D. Th. quod pars intellectiuę animæ secundum se est suprà tempus: sed pars sensitiua subiacet tempori: & ideò per temporis cursum transmutatur, quantùm ad passiones appetitiuæ partis, & etiàm, quantùm ad vires apprehensiuas; vndè Philosophus dicit in hoc quarto Physicorum tex. 117. & 118. quod tempus est causa obliuionis. Et hoc aliud; scilicet, dilectatio secundum se quidem non est in tempore. Est enim delectatio in bono iàm adepto, quod est quasi terminus motus: sed si illud bonum adeptum transmutationi subiacet, erit delectatio per accidens in tempore: si autem sit omninò intransmutabile, delectatio non erit in tempore, nec per se, nec per accidens. Ità Caiet. ex D. Th. art. 2. q. 31. cit. & art. 2. q. 53. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex D. Th. in 1. 2. q. 31. art. 2. & q. 53. art. 3. ad 3. declarãs illa omnia quæ sunt in tempore.

107. Adnotat secundo Caiet. ex D. Th. in Resp. ad secundum, & tertium p. p. q. 10. quod æuum est totum simul sicuti æternitas; in hoc verò differt ab æternitate,

Doctr. 2. Caiet. ex D. Th. in p. p

 quod

q.10. ad 2. & 3. declarans partem præteritã, & futuram non esse propriè in ipso esse Angeli absolutè sumpto, sed solummodò coexistens differentijs temporis realis, vel imaginarij.

quod compatitur secum priùs, & posterius. Et in ipso esse Angeli considerato in se non est differentia præteriti, & futuri, sed solùm secundum adiunctas mutationes. Sed quod dicimus Angelum esse, vel fuisse, vel futurum esse differt secundum acceptionem intellectus nostri, qui accipit esse Angeli per comparationem ad diuersas partes temporis. Et cùm dicit Angelum esse, vel fuisse, supponit aliquid, cum quo eius oppositum, non subditur Diuinæ potentiæ. Cùm verò dicit futurum esse, nondùm supponit aliquid; Vndè cum esse, & non esse Angeli subsit Diuinæ potentiæ, absolutè considerando potest Deus facere, quod esse Angeli non sit futurum, tamèn non potest facere, quod non sit, dùm est, vel quod non fuerit, postquàm fuit. Ità Caiet. art. 5. cit. ex D. Th. vide additionem Caietani.

Opinio D. Aug. ex libro 11. Confessionum.

108. Quoad secundum Caiet. citat D. Aug. pro partibus temporis, qui lib. 11. Confess. ait. Quæro Pater, non affirmo. Deus meus preside mihi, & rege me. Quisnam est, qui dicat mihi non esse tria tempora sicut pueri didicimus, puerosque docuimus, præteritum, præsens, & futurum, sed tantùm præsens, quoniàm illa duo non sunt. An, & ipsa sunt sed ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro sit præsens, & in aliquod recedit occultum, cùm ex præsenti fit præteritum? Nàm vbi ea viderunt, qui futura cecinerunt, si nondum sunt? neque enim potest videri id, quod non est. Etqui narrant præterita, non vtique vera narrarent, si animo illa non cernerent, quæ si nulla essent, cerni omninò non possent. Sunt ergo, & futura, & præterita. Et in cap. 18. ait. D. Aug. sine me Domine amplius quærere. Si enim sunt futura, & præterita, volo scire, vbi sunt. Quod si nondùm valeo, scio tamèn vbicumque sunt, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia. Nàm si, & ibi futura sunt, nondùm ibi sunt; si, & ibi præterita sunt, iàm ibi non sunt. Vbicumque ergo sunt, quæcumque sunt, non sunt nisi præsentia: quanquàm præterita cùm vera narrantur ex memoria proferuntur, non res ipsæ, quæ præterierunt; sed verba ipsa concessa ex imaginibus eorum, quæ in animo veluti vestigia per sensus prætereundo fecerunt. Pueritia quippe mea, quæ iàm non est, in tempore præterito est, quod iàm non est; Imaginem verò eius, cum eam recolo, & narro, in præsenti tempore intueor: quià adhuc est in memoria mea. Ità D. Aug. idem dicendo de futuris in eodem cap. 18. præmeditando futuras actiones nostras, sic præmeditatio est futura, actio autèm, quàm præmeditamur, nondùm est, quià futura est. Hæc D. Aug.

Opinio D. Th. circà existentiam temporis explicatam à Caiet. in p. p. q. 10. per totum.

Caiet. igitur cum D. Th. in tota quæst. 10. dicit. Tempus habet existentiam instantis in facto esse: ità vt partes existant, & sint præsentes non in se, & ratione sui, sed ratione instantis copulantis partem futuram, & præteritam. Idem confirmat Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate, & ex D. Th. in lect. 23. 4. Phys. exponendo textum 105. qui ait, quod nihil est temporis nisi nunc, & sic existit contrà animam, non nisi per suum indiuisibile, quod est instans. Vndè Durandus, si intendat, quod partes in se existant solùm in fieri, & sic tempus existat per existentiam diuisibilem suarum partium, & indiuisibilitèr per instans in facto esse, non obstat Doctrinæ D. Th. Ità Caiet. loc. cit.

Conclus. Caiet. & D. Th. ex q. 10. per totum, cum sua probatione ex opusc. 44. cap. 1.

109. Quo ad tertium Conclusio Responsiua quæsiti eruitur à Caiet. in q. 10. ex D. Th. sub his verbis sic. Partes temporis, scilicet, præteritum, & futurum, existunt in facto esse sola indiuisibili existentia instantis.

Probatur à Caiet. ex opusc. D. Th. 44. cap. 1. & ex q. 10. cit. sub tali forma sic. Esse successiuorum consistit in hoc, quod existant secundum aliquid indiuisibile sui; Ergo tempus quod est successiuum non potest existere nisi per sui instans indiuisibile. Antecedens manifestatur à D. Th. quià quælibet pars cuiuslibet successiui, diuisi-

uisibilis est in diuersas partes: si ergo aliquid successiuum existeret non solùm secundum aliquid indiuisibile sui, sed secundum aliquam partem, sequeretur quod multæ partes alicuius successiui simul essent, quod est contrà rationem successiuorum. Et sic manifesta est consequentia, quod tempus, quod de numero est successiuorum, non potest existere nisi per sui instans indiuisibile, quod quidem pro vt terminat (addit Caiet. in cap. de Quantitate) copulando vnam partem priorem, dicitur ista pars præterita; & pro vt initiat aliam partem posteriorem copulando, dicitur ista pars futura. Ità Caiet. ad differentiam entis permanentis discurrit de termino communi temporis, seù quantitatis continuæ successiuæ in sua Logica Cap. de Quantitate.

110. Quo ad 4. Arguit Caiet. cùm Thomistis vnico Argumento contrà Conclusionem ex D. Th. sic. Existentia entis successiui, quod est tempus, vel est realis ratione partis præteritæ, vel ratione partis futuræ, vel ratione partis præsentis, non ratione primi, quià futurum, vt futurum nondum est; non ratione secundi quià successiuum ens, non potest habere plures partes simul, sed vt probatum est ex D. Th. debet habere vnam post aliam; non ratione præsentis, quià pars præsens si est pars, opportet quod etiàm sit diuisibilis in partes, ergo vel habet totas simul vel successiuas; non primum quià est contrà rationem successiui temporis: nec secundum quià deueniendum est sempèr præcisè ad indiuisibile instans quod dicitur nunc: vndè si est indiuisibile, non est amplius dicendum quod sit pars præsens, ergo non habet partem præsentem, & per consequens tempus non est quid reale existens extrà animam vt successiuum.

Arguit Caiet. cùm Thomistis contrà Concl.

Resp. Caiet. quod ex hoc Argumento aliqui conuicti, vt D. Aug. dicebat tempus esse ex illis rebus, quæ proptèr suam instabilitatem priùs ab apprehensione labuntur, quàm de ipsis possit affirmari aliquid; vndè sicut Cratillus dixit, quod in hoc mundo hoc est tantùm scibile, quod nihil est scibile; sic de tempore hoc solùm potest affirmari, ipsum non permanere, nec intellectui iuxtà propriam naturam adæquari posse.

Resp. Caiet. primo cit. D. Aug. ostendens difficultatem Arg.

111. Resp. igitur Caiet. cùm D. Th. ex q. 10. p. p. & opusc. 44. cap. 1. quod pars præterita existit quatenus immediatè futura, qui modus existendi est proprius prædictæ partis rerum successiuarum. Et hæc pars immediatè futura, & immediatè præterita existunt simul ratione prædicti instantis: nàm licet eadem pars vt immediatè præterita, & immediatè futura, non possit existere per idem indiuisibile: benè tamèn partes diuersæ. Cæterum, quià instans afficit illas, vt vna earum est præterita, & vt alia est futura: ideò hæc si multas non est contrà rationem rei successiuæ, sed potius hoc exigit natura ipsiùs.

Resp. vera D. Th. ex Caiet. & Thomistis ad Argumentum.

Existentia igitur temporis est illa morula, in qua pars est immediatè præterita, & alia immediatè futura: talitèr vt omnes istæ sint in continuo fluxu, quatenus præterita immediatè est in fieri desitionis, & futura in fieri futuritionis, & in hoc sensu dumtaxat partes temporis sunt præsentes secundum exigentiam temporis successiui, quod ad differentiam permanentis non exposcit, vt in facto esse partes permanentèr existant in componendo illud: Sed quod pars præterita immediatè transierit, ad quàm succedat instans, quod est quoddam indiuisibile terminans durationem partis præteritæ, & principians durationem partis futuræ. Et hoc est quod dicit D. Aug. in cap. 28. & cap. 11. de ipso Cantico, quod in toto Cantico, hoc in singulis eius particulis fit, atq; in singulis syllabis eius; hoc in actione longiori, cuius forte particula est illud Canticum; hoc in tota vita hominis, cuius partes sunt omnes actiones hominis; hoc in toto sæculo filiorum hominum, cuius partes sunt omnes vitæ hominum. Ità D. Aug. & Caiet. cùm D. Th. & Thomistis.

Declaratio Responsionis Thomisticæ contrà Suarezium, Runiū, & Durandum ex Caiet.

QVAE-

Quænàm ſint menſurata à noſtrò Tempore?

EX CAIETANO

P. p. q. 10. art. 4. & 5. & alibi &c.

Explicatio tituli controuerſiæ facta à Caiet. de Tempore in ratione menſuræ.

112. Caietanus ſuſtinendo, quod tempus habet rationem completam temporis non ſolum ex hoc, quod eſt numerus, ſed etiàm ex hoc, quod eſt menſura; explicat in p. p. loc. cit. rationem menſuræ, & ait, quod tempus noſtrum propriè ſumptum habet rationem menſuræ dupliciter vno modo reſpectu ſui, quæ dicitur intrinſeca; alio modo reſpectu aliorum motuum, quæ dicitur extrinſeca, & ſic eſt duratio rei ſucceſſiuæ habentis partem poſt partem, quæ ſucceſſio eſt duplex, vna quæ conſiſtit in hoc, quod altera pars non ſimul exiſtat cùm altera parte, defectu cuius, eſſe ſubſtantiarum corruptibilium nec Phyſicè, nec Metaphyſicè poteſt dici ſucceſſiuum, ſed permanens; Altera quæ conſiſtit in hoc, quod vna ſuccedit alteri, vel ſuccedere poſſit per poſitionem vnius ſubſtantiæ, & ablationem alterius, qua ratione intelligitur tranſmutabilis, & in potentia ad motùm, in quantùm materia tranſit de vna forma ad aliam. Controuertitur præſens quæſitum in quo ſenſu hæc corruptibilia menſurentur à tempore. Ità Caiet.

Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 10. a. 5. declarans differentiam Temporis in ratione menſuræ ab æternitate, & æuo.

113. Adnotat Caiet. 1. ex D. Th. differentiam intèr æternitatem, æuum, & tempus in ratione menſuræ, quod cùm æternitas ſit menſura eſſe permanentis; Secundum quod aliquid recedit à permanentia eſſendi, ſecundum hoc recedit ab æternitate. Quædam autèm ſic recedunt à permanentia eſſendi, quod eſſe eorum eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit. Et huiuſmodi menſurantur tempore: ſicut omnis motus, & etiàm eſſe omnium corruptibilium. Quædam verò recedunt minus à permanentia eſſendi, quià eſſe eorum, nec in tranſmutatione conſiſtit, nec eſt ſubiectum tranſmutationis: habent tamèn tranſmutationem adiunctam, vel in actu, vel in potentia, ſicut patet in corporibus cœleſtibus, quorum eſſe ſubſtantiale eſt intranſmutabile: tamèn eſſe intranſmutabile habet cùm tranſmutabilitate ſecundum locum; & ſimilitèr patet de Angelis quod ſi habent eſſe intranſmutabile cùm tranſmutabilitate ſecundum electionem quantum ad naturam eorum pertinet, & cùm tranſmutabilitate intelligentiarum, & affectionum, & locorum ſuo modo. Et ideò huiuſmodi menſurantur, æuo, quod eſt medium intèr æternitatem, & tempus. Eſſe autèm quod menſurat æternitas nec eſt mutabile, nec mutabilitati adiunctum. Sic ergo tempus habet prius, & poſterius; Æuum autèm non habet in ſe prius, & poſterius, ſed ei coniungi poſſunt. Æternitas autèm non habet prius, nec poſterius, neq; ea compatitur. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit. art. 5.

Doct. 2. Caiet. ibidem art. 5. cit. declarans quænàm menſurata ſint illa, quæ

114. Adnotat Caiet. in p. p. q. 10. art. 5. illam maximam Scoticam, ſcilicet, quæcumq; vniformem habent modum manendi, dùm manent, habent menſuram eiuſdem rationis, quæ maxima ſi intelligatur in ſenſu compoſito eſt falſiſſima, quoniàm vt dicitur in primo Periherm. Vnumquodq; neceſſe eſt eſſe, dùm eſt, & ſic omnia manentia, dum manent, habent vniformem modum eſſendi, quià ſunt neceſ-

ſa.

sariò, & tamèn non habent eamdem mensuram. Nec Scotus facit illam maximam ad hunc sensum, sed absolutè, seù in sensu diuiso. Et tunc dicitur, quod modus manendi est multiplicitèr distinguibilis, scilicet, vel penès necessarium, & possibile, vel penès permanens, & successiuum, vel penès defectibile, & indefectibile, & quocumq; modo sumatur, est falsa semper, quoniàm nec omne necessarium conuenit in mensura, sed alia est mensura necessarij omninò, vt Dei, & alia necessarij simplicitèr: possibilis autèm secundum quid, vt sunt reliqua incorruptibilia. Et similitèr omnia possibilia non mensurantur vna mensura, quoniàm quædam tempore continuo, & quædam tempore discreto, vt dicetur. Et similitèr non omne permanens conuenit in mensura, vt patet de superioribus, & inferioribus. Nec omnia successiua: quoniàm alia est mensura successiuorum successione continua, & alia succedentium successione discreta, vt dicetur. De defectibili autèm, & indefectibili, iàm patet defectibilitatem non esse modum rei, vt à Scotistis sumitur, sed dicere potentiam extraneam; & propterea non est ad propositum, & esset nihilominus falsa, ex eo quod non omne defectibile vnica mensura certificatur. Ad formam igitur propositionis Scoticæ dicendum est, quod habere vniformem modum manendi intrinsecum rei, & per se respicientem naturalem durationem rei, est ratio vniformis, seù eiusdem mensuræ durationis, & non absolutè habere vniformem modum manendi. Ità Caiet. art. 5. cit.

Tempore, æternitate & æuo mensurantur.

115. Adnotat 3. Caiet. eodem art. quinto citato quod necessitas magna est multiplicandi tempus in continuum, & discretum proptèr spirituales operationes substantiarum spiritualium, carerent enim alitèr proportionatis mensuris. Illæ enim cùm sint immediatè sibi inuicem succedentes, & instantaneæ secundum se, quià quælibet est tota simul, eleuantur manifestè suprà tempus continuum, & eius instantia: ad æui autèm excellentiam non attingunt, quià corruptibiles naturalitèr sunt. Oportet ergo vt sinè propria mensura remaneant tàm nobilia entia, aut tempus discretum ponere, cuius instantibus operationes ipsæ in se mensurentur. Hæc enim sunt ipse motus spiritualis Angelorum, cuius numerus est tempus per quod dicit August. mouere Deum spiritualem creaturam. Multiplicatio autèm temporis discreti in pluribus Angelis, aut in eodem, iudicio meo non est necessaria nisi materialitèr; quemadmodum etiàm tempus continuum, quo nostra mensurantur, materialitèr multiplicatur in omnibus mobilibus, & æuum in omnibus æuiternis. Consonum namq; rationi videtur, vt sicut omnia æuiterna simplicissimo æuo mensurantur, quod solùm est æuum formalitèr; ità omnis operatio huiusmodi simplicissima operatione, seù simplicissimo nunc illius mensuratur, & similitèr omnis successio operationum simplicissima successione. Talis autèm operatio, & successio est ea, quæ in primo operante temporalitèr inuenitur, quem constat esse supremum Angelum, in quo est etiàm æuum. Et quià operationes intellectus sunt naturalitèr priores, & simpliciores operationibus voluntatis, erit vnum tempus omnium huiusmodi temporalium, quod est primo mensura operationum succedentium in intellectu primi Angeli: & ex consequenti, & extrinsecè mensura cæterarum operationum tàm suarum, quàm aliarum operationum spiritualium. Cùm his tamèn, vt dictum est, stat quod quasi materialitèr multiplicetur huiusmodi tempus iuxtà numerum mensuratorum operum, eo quod vnum, & multa, quæ consequuntur ens, multiplicantur cùm rebus ipsis. Dixi autèm quasi materialitèr, quià non opportet, quod omninò vniuocè saluetur proportio temporum nostrorum ad tempus, cuius subiectum est primus motus, & proportio horum temporum ad simplicissimum tempus eorum, sed sat est, si est quasi talis. Ità Caiet. art. 5. cit.

Doctr. 3. Caiet. ibidem art. 5. cit. declarans necessitatem multiplicandi Tempus in continuum quod est nostrum, & indiscretum proptèr operationes spirituales Angelorum quæ non possunt mensurari æuo.

116. Quo

Opinio Scoti recitata, & explicata à Caiet. in p. p. q. 10. art. 5.

116. Quo ad secundum Caiet. in p. p. q. 10. art. 5. recitat opinionem Scoti in 2. sent. dist. 2. q. 4. ibidem ponentis tres mensuras durationis: ponit enim tempus, æuum, & æternitatem; ità quod tempus rem successiuam; æuum permanentem, defectibilem tamèn; æternitas autèm rem omninò indefectibilem mensuret. Et proptereà tenet esse substantiale rerum, ad quas impossibile est esse motum, & operationes Angelicas &c. Secundum se mensurari æuo, & tota radix eius, est illa maxima: Quæcumq; vniformem habent modum manendi, dùm manent habent mensuram eiusdem rationis, quæ, in quo sensu sit vera, & falsa iàm diximus in tertia Adnotatione, & secunda suprà; & in prima Adnotatione quæ sit opinio S. Thomæ, iàm diximus. Et Caiet. in art. 4. q. 10. cit. addit. Circà illud dictum in secundo sensu, scilicet, quod motus Cœli si esset æternus non mensuraretur tempore secundum partes. Dubium occurrit ex Scoto in 2. sent. dist. 2. q. 3. Sed quià hoc spectat ad 4. Physicorum in tex. 117. ideò hic in q. 10. art. 4. vbi non ex proposito tangitur, omittatur. Et similitèr dubitatio circà identitatem nunc in toto tempore tactam in Resp. ad 2. art 4. cùm tractetur in eodem 4. Phys. à textu 103. vsq; ad textum 108. ibidem Deo dante tractabitur, & de his est quæstio specialis. Ex his habetur quod Caiet. quando Commentaria super p. p. meditabatùr, & scribebat, nondùm Physicam, seù octo libros de Physica ausculatione conscripsit.

Locus art. 5. ex quo elicitur, quod Caiet. promittit se æditurum Physicam.

Opinio D. Aug. cit. à Caiet. quæ magis declarat, quod si non esset anima non esset tempus.

D. Aug. autèm in cap. 28 lib. 11. ait, quod animo metimur tempora; sed quomodo minuitur, aut consumitur futurum quod nondum est? Nàm expectat, & attendit, & meminit; vt id quod expectat, per quod attendit, transeat in id, quod meminerit. Quis igitur negat futura nondum esse? Sed tamèn iàm in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita iàm non esse? Sed tamèn adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio, quià in puncto præterit? Sed tamèn perdurat attentio, per quam pergat abesse, quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non est, sed longum futurum, quià longa expectatio futuri est. Neq; longum præteritum tempus, quod non est, sed longum præteritum, quià longa memoria præteriti est. Et exemplificat D. August. de Cantico, quod nouit dicturum esse à se. Ità D. Augustinus cit. à Caiet. ex quo verificatur dictum Arist. toties recit. à D. Th. quod si non esset anima non esset tempus, quod essentialitèr est mensura.

Concl. Resp. quæsiti Caiet. ex p. p. q. 10. a. 5. in fine Comment. cũ sua probatione.

117. Quo ad 3. Conclusio responsiua quæsiti ponitur à Caiet. sic. in p. p. q. 10. art. 5. in fine Comment. Esse nedum substantiale nostrum mensuratur tempore, sed etiàm quies, & motus. Probatur à Caiet. sub tali forma. Scotus, ait, quod substantia Bouis absolutè mensuratur æuo, quies autèm eius tempore. Hæc Resp. Scoti non est sufficiens euasio, quoniàm tempus comprobatur à D. Th. in art. 5. mensurare non solum quietem, sed rem quiescentem, quoniàm omne quiescens est mobile, omne autèm mutabile secundum quod mutabile, mensuratur tempore. Constat autèm, quod secundum substantiam nos sumus mutabiles: ergo secundum substantiam temporales. Et stat vis rationis D. Th. in hoc. Motus, & quies substantialiter accepti, idest mutatio substantialis, & quies sub esse substantiali non solùm in actu, sed in potentia mensurantur tempore: ergo esse substantiale nostrum mensuratur tempore. Antecedens patet ex eo, quod actus, & potentia ad eiusdem ordinis mensuram spectant, vt ex primo Cœli, & 4. Phys. habetur; Consequentia autèm tenet ex eo, quod potentia talis, substantialis est, vt 10. Met. dicitur. Ità Caiet. art. 5. cit.

Arg. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 10. a. 5. cõt. Concl.

118. Quo ad 4. Arguit Caiet. ex D. Th. p. p. q. 10. art. 4. Sicut mensura primi motus, est mensura omnium motuum, vt dicitur in hoc 4. Phys. tex. 133. ità videtur,

tur, quod mensura primi esse sit mensura omnis esse: sed æternitas, est mensura primi esse, quod est esse Diuinum, ergo æternitas est mensura omnis esse: sed esse rerum corruptibilium mensuratur tempore, ergo tempus, vel est æternitas, vel aliquid æternitatis.

Resp. Caiet. ad Arg. ex D. Th.

Resp. Caiet. ex D. Th. ad tertium. Dicendum, quod sicut æternitas, est propria mensura ipsius esse, ità tempus est propria mensura motus, vndè secundum quod aliquod esse recedit à permanentia essendi, & subditur transmutationi: secundum hoc recedit ab æternitate, & subditur tempori. Esse ergo rerum corruplibilium, quià est transmutabile non mensuratur æternitate, sed tempore: Tempus enim mensurat non solùm, quæ transmutantur in actu, sed quæ sunt transmutabilia, vndè non solùm mensurat motum, sed etiàm quietem, quæ est eius, quod natum est moueri, & non mouetur. Addit Caiet. in Resp. ad 3. est dubium circà illud dictum, scilicet, quod esse rerum generabilium mensuretur tempore. Arguit enim contrà illud Scotus in 2. sent. dist. 2. q. 4. volens quod absolutè mensuretur æuo: Sed quià in sequenti art. 5. q. 10. Æui natura notificanda est, & eodem vtitur Argumento Scotus contrà hoc, & contrà mensuram operationis Angelicæ, idcircò vsq; ad sequentem articulum quintum differatur. Ità Caiet. art. quarto cit. in fine Comment.

Instantia Caiet. ex art. 5. cit. contrà Resp. Arg.

119. Instat Caiet. ex Scoto contrà hanc Responsionem D. Th. sic. Esse substantiale habet eumdem manendi modum, quàm diù est, quem habet æuiternum; quià successione caret &c. ergo mensuratur æuo, & non tempore.

Resp. Caiet. ad Instantiam.

Resp. Caiet. ad Instantiam sic. Sed ad hoc non opportet alitèr respondere, quàm superius. Non enim penès habere esse modo successiuo, vel permanenti distinguuntur mensuræ, sed penès mutabile, & immutabile, vt dictum est, quod tàm id, quod in transmutatione consistit, id est motus, quàm id quod mutationi subijcitur, quod experimur esse nostrum esse substantiale, tempore mensuratur. Ità Caiet. art. 5. cit. vbi concludit sic. Dicimus ergo rem omninò immutabilem æternitate mensurari, immutabilem autèm simplicitèr, & mutabilem secundùm quid, æuo; mutabilem autèm simplicitèr, tempore. Et proptereà cùm Angelus sit immutabilis substantialitèr, mutabilis tamèn accidentalitèr, æuo mensuratur. Operationes eius verò naturales, quià naturalitèr sunt mutabiles, æuo mensurari non possunt. Æuo namq; mensuratum æuiternum est, æuiternum autèm naturalitèr perpetuum est: nullum autèm naturalitèr mutabile, est naturalitèr perpetuum. Opportet ergo quod operatio Angeli mensuretur mensura temporis non nostri quod est continuum, sed Angelici, quod est discretum. Et apud nos tempus discretum nihil aliud est, quàm numerus prioris, & posterioris in motu discreto, qui nihil aliud est quàm successio operationis spiritualis ad aliam operationem spiritualem, quales sunt duæ intellectiones sinè phantasmatum seruitio. Numerus autèm de prædicamento quantitatis sequitur diuisionem continui, opportet vt tempus hoc, sit numerus transcendens compositus ex vnitatibus transcendentalibus; quàm magna deindè sit necessitas multiplicandi tempus in continuum, & discretum, diximus iàm in tertia adnotatione suprà contrà Scotum. Ità Caiet. loc. cit.

Operationes naturales Angeli, quomodo non possint mensurari æuo nec tempore nostro continuo, sed discreto, quod est necessario assignandum ex Caiet. art. 5. cit.

INCIPIT LIBER QVINTVS Physicorum

QVAESTIO PRIMA

Ad quæ prædicamenta detur motus propriè dictus?

EX CAIETANO

In sua Logica cap. 2. & 4. de quantitate, & quali, & 2. 2. q. 24. in Resp. ad primum.

Secunda pars Physicæ explicatur à Caiet. in hoc 5. libro cùm titulo quæstionis in principio cap. 1. post prædicam.

120. PRima pars Physicæ examinata fuit à Caiet. in 1. & 2. libro per principia tùm in fieri, tùm in facto esse entis mobilis in communi; sicuti, & etiàm per naturam in communi, vt est principium effectionum, & operationùm entis mobilis; & etiàm per causas extrinsecas per se, & per accidens. In hoc verò 5. libro Physicorum incipit Caiet. inuestigare vnitatem formalem, numericam, & contrarietatem ipsius motus. Sicuti in 6. libro inuestigat continuitatem motus, & eius partes. Vndè in sua Logica cap. 1. post prædicam. in principio cap. sic ait. Post prædicamenta, quæ ad omnia veluti genera consequuntur multa, Arist. docet esse quinq; scilicet, oppositio, prius, motus, simul, & habere: oppositio autèm, prius, & simul, omnia, & singula genera comitantur: quoniàm intèr omnia genera est oppositio, cùm sit ibi distinctio, quæ super oppositione fundatur: & vnum est prius, & aliud posterius, & omnia sunt simul tempore; in singulis quoq; generibus manifestè hæc patent: differentiæ quidèm è conuersò diuidentes genus quodlibet simul natura, & oppositæ sunt: genera verò sunt priora speciebus. Motus autèm per se quidèm quatuor respicit genera, scilicet, substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi; per accidens autèm ad omnia se extendit. Habere autèm, substantiam respectu cæterorùm generum comitatur. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex cap. 4. post præd. declarans sex species motus.

121. Adnotat primo Caiet. in sua Logica cap. 4. post prædicam. Arist. de motu tria dicit primo numerum specierum, dicens eas esse sex, scilicet, Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio, secundum locum mutatio; quarum duæ primæ sunt mutationes secundum substantiam, duæ sequentes secundum quantitatem, quinta secundum qualitatem, vltima secundum locum: has enim tantum species generales fama distinxit proptèr earum manifestam inspectionem; Secundo tradit Arist. diuersitatem prædictarum specierum dicens alios motus, idest motus, quos alios diximus specifica alietate, palàm esse, quod alij secundum veritatem sunt, licet de alteratione dubitari possit, ex eo quod aliquis crederet alterationem non separari ab alijs mutationibus. Sed hoc non inducit quæstionem, quià falsum est ipsam non inueniri sine alijs motibus, vt patet de eo, qui nigrescit in Solis aspectu quiescens secundum locum, & alios motus, est ergo alteratio alius motus ab alijs, & stat ratio in hoc,

hoc, si alteratio esset idem motus cùm alijs non posset separari ab eis, sed potest separari ergo &c. Et quoniam ex separabilitate conclusit distinctionem alterationis ab alijs, ne aliquis ex inseparabilitate augmentationis ab alteratione concluderet augmentationem non esse diuersam ab alteratione, sed potius speciem, vel modum eius: addidit Arist. simile esse de augmentatione, scilicet, quod potest separari ab alteratione, & dat exemplum in Mathematicis de augmento quadrati circumposito Gnomone. Vocatur autèm Gnomon quadratum super diametrum consistens cùm duobus supplementis. Ità Caiet. cap. 4. de motu in post prædicamentis.

122. Adnotat secundo ibidem Caiet. quod quià, vt pluries dictum est, secundum famam loquitur Arist. secundum quam augmentatio extenditur ad omnem quantitatis additionem, qua res maior dicitur: ideò augmentationem, absq; alteratione fieri dixit, & cautè dedit exemplum in Mathematicis, vt vel sic cognosceretur, quod secundum vulgus loquitur; si enim subtilitèr de augmentatione dicendum esset, ipsam inseparabilem concederet, & modum arguendi prædictum sophisticum secundum fallaciam consequentis aperiret. Deindè Arist. contrarietatem in motu inuentam aperit, extendens contrarietatem ad oppositionem quoq; priuatiuam, quæ illius est radix; & motui in communi quietem contrariam ponit, singulis verò motibus singulos motus, & quietes, vt clarè patet in textu, in quo omnia, quæ dicuntur, licet dubitatiuè dicantur, quià adhuc non probata, sunt tamèn vera, vt in 5. Physicorum patet. Ità Caiet. cap. 4. post prædicam.

Doctr. 2. Caiet. ibidem loc. cit. declarans motũ augmenti, & cõtrarietatem eiusdem motus.

123. Adnotat 3. Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate, quod quando dicitur, suprà quod ad substantiam est per se motus, non sumitur motus in sua stricta acceptione, sed in sua communi acceptione prout se extendit ad mutationem. Motus enim propriè dictus requirit duas conditiones in mobili, scilicet, quod hoc sit ens in actu, scilicet, compositum ex materia, & forma; & secunda conditio est quod versetur intèr terminos contrarios, & contrarietas habeat latitudinem. Motus sub his duabus conditionibus acceptus, est accidens entis naturalis, vndè subiectum illius motus, opportet quod sit ens naturale; Defectu primæ conditionis materia prima sinè forma non potest esse subiectum, etiàm si sit adhuc in transitu ad aliam formam talis motus strictè sumpti, sed vtiq; sub tali transitu erit subiectum mutationis quæ est motus communitèr dictus; & contrarietas sua non admittit latitudinem illam, quæ est in secunda conditione requisita ad motum Physicum. In præsenti igitur quæsito propriè quæritur, an ad hæc alia tria genera, scilicet, ad quantitatem, qualitatem, & vbi sit motus propriè dictus. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex cap. de Quantitate docens ad substantiam non esse motum propriè, sed communitèr.

124. Adnotat 4. Caiet. in q. 49. art. 2. ex D. Th. in corpore quod qualitas importat quemdam modum substantiæ: Modus autèm est, quem mensura præfigit: vndè importat quamdam determinationem secundum aliquam mensuram, & ideò sicut id, secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ; ità id secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quæ est etiàm quædam differentia vt patet, per Philosophum, 5. Met. tex. 19. Modus autèm siuè determinatio subiecti secundum esse accidentale potest accipi vel in ordine ad ipsam naturam subiecti, vel secundum actionem, & passionem, quæ consequuntur principia naturæ, quæ sunt materia, & forma; vel secundum quantitatem; si autèm accipiatur modus, vel determinatio subiecti secundum quantitatem sic est quarta species qualitatis, scilicet, forma, & figura. Et quià quantitas secundum sui rationem est sine motu, ideò ad quartam speciem qualitatis non pertinet quod aliquid sit cito, vel tardè transiens. Modus autèm siuè determinatio subiecti secundum actio-

Doctr. 4. Caiet. ex p. 2. q. 49. art. 2. ex D. Th. in corpore aperiẽs, & dilucidans varias species qualitatis, ad quas potest esse motus propriè dictus.

nem, & passionem attenditur in secunda, vel tertia specie qualitatis, & ideò in vtraquè consideratur quod aliquid sit cito transiens, aut diuturnum: sed modus, & determinatio subiecti in ordine ad naturam rei pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ est habitus, & dispositio, quià natura est id quod primum consideratur in re.

Comment. Caiet. suprà diuisionem qualitatis in suas species.

Caiet. addit in Comment. art. 2. cit. quod modus siuè determinatio subiecti secundum esse accidentale potest accipi, vel in ordine ad naturam, & cætera: si sumantur vniuersalitèr absolutè insolubilis apparet quæstio, quomodo sit sufficiens hæc distinctio, cùm quantitas ipsa determinet subiectum secundum esse accidentale, nec minus habet rationem modificantis, & determinantis, quàm secunda species qualitatis. Si verò non sumantur vniuersalitèr quidèm, sed limitate sub antedictis verbis, scilicet, quod qualitas importat quemdam modum substantiæ, & quandam determinationem secundum aliquam mensuram, cessant obiecta, quoniàm sermo non est, nisi de quadam determinatione accidentali, quæ commune nomen accidentalis differentiæ, qualitatem, scilicet, sibi vsurpauit. Quærit ergo Caiet. in præsenti quæsito, àn ad qualitatem detur per se motus propriè dictus; quià de singulis speciebus qualitatis, præcipuè àn ad tertiam speciem qualitatis detur motus propriè: quæretur in sequenti quæstione. Ità Caiet.

125. Quoad secundum Caiet. in p. 2. q. 49. & 52. & in 22. q. 24. art. 4. recitat diuersitatem opinionum circà omnes species quantitatis, & qualitatis, & circà modum augmenti in habitibus, an detur motus per se ad illas, vel solùm ad aliquas, vt videbimus in sequenti quæstione: quod verò detur per se motus propriè dictus ad ista tria prædicamenta, scilicet, ad quantitatem, qualitatem, & vbi, & non ad substantiam nisi motus communitèr dictus, pro vt se extendit etiàm ad mutationem nulla est controuersia, & est in confesso apud omnes. Ità Caiet.

Concl. Caiet. responsiua quæsiti cùm sua probatione ex sua Doctr. in Comment.

126. Quo ad tertium Conclusio responsiua quæsiti ponitur à Caietano in suis Commentarijs sic. Ad tria prædicamenta tantùm, scilicet, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, datur motus propriè, & strictè sumptus.

Probatur à Caiet. ex sua Doctrina sic. Ad illa prædicamenta est per se motus strictè sumptus, ad quæ sunt prædictæ duæ conditiones explicatæ suprà in tertia Adnotatione, sed ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi sunt dumtaxat prædictæ illæ duæ conditiones, ergo vera Conclusio. Probatur minor: quià quantitati est aliquid contrarium contrarietate tali, scilicet, quæ est intèr extrema habentia latitudinem, vel distantiam pertransibilem ab vno extremo in aliud: nàm minor quantitas contrariatur maiori, & intèr illas est aliqua latitudo, & distantia pertransibilis per media, siquidèm ex minori quantitate fit maior. Similitèr eadem latitudo quo ad motum intensionis reperitur in qualitate; nàm qualitas intensa vt vnum, fit intensa vt octo. Et tamdèm, vnum vbi distat ab alio, & de vno mouetur, & transfertur mobile per media ad aliud: & sic est sufficiens contrarietas ad rationem motus strictè sumpti. Et cùm ex alia parte illud quod mouetur de vno extremo ad aliud sit ens naturale in actu compositum ex materia, & forma, adest alia conditio requisita ad motum strictè sumptum, & per consequens ad hæc tria prædicamenta datur motus propriè dictus, & non ad aliud prædicamentum, vtporè non habens conditiones illas duas requisitas ad motum in sua strictiori acceptione consideratum. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit Caiet. contrà Quantitatem.

127. Quo ad quartum Arguit Caiet. sic. Quantitati nihil est contrarium, ergo ad ipsam non datur motus per se &c. probatur antecedens. Magnum, & paruum opponuntur relatiuè.

Confirm. Vnum contrarium non manet adueniente alio: sed eadem quantitas, quæ antè erat minor, & parua, manet, dum fit magna, & maior, ergo ipsi non est contrarium &c,

Resp.

Resp. Caiet. in sua Logica cap. 2. de Quantitate in tertia parte principali eiusdem capitis ad Argumentum sic. Quod quando dicitur quantitati nihil est contrarium, si intelligitur de quantitate nudè accepta, seù in eo quod quantitas, nihil obstat, sed quantitati indutæ aliquam aliam rationem, contrarium inuenitur; & ad probationem de magno, & paruo, respectu motus augmentationis, & diminutionis, dicitur, quod magnum, & paruum ad aliquid circà quantitatem dicunt magis, quam ipsam quantitatem; sicuti sursum, & deorsum, vt sunt contraria, aliquid circà loca potius, quàm loca significant. Et quando dicitur in hoc 5. Phys. quod ad quantitatem est motus, quià motus est de contrario in contrarium, Resp. Caiet. quod motus, non vt quantitatem absolutè, sed vt Physicam, idest vt terminum corporis Physici (vt dicitur in p. Phys.) dicit. Et ideò quantitas non est quantitati contraria, sed quantitas minima in aliqua specie puta hominis, aut Leonis, &c. est contraria quantitati maximæ in illa specie: maximè enim distant respectu illius speciei, & continuo motu, de illa imperfecta, ad perfectam venitur. Et sic patet Resp ad confirmationem. Ità Caiet. cap. 2. cit. Ratione igitur alicuius adiuncti, scilicet, motus, & non ratione quantitatis, quantitas contrarietatem habet. Ità Caiet.

Resp. Caiet. ad Arg. ex cap. 2. de Quantitate.

QVAESTIO II. QVINTI PHYSICORVM

Vtrùm ad omnes species qualitatis sit motus per se

EX CAIETANO

In sua Logica cap. de Quali, & in p. 2. q. 52. art. 1. & 3. & q. 49. & 50. & alibi in Commentarijs.

128. CAiet. in sua Logica cap. de quali enumerat quattuor species qualitatis, & cum Arist. explicat illas. Prima est habitus, & dispositio; Secunda est naturalis potentia, vel impotentia; Tertia est passio vel passibilis qualitas, & calor, & frigus simplicitèr in hac tertia specie reponuntur: Calor autèm, & frigus vt conuenientia, vel disconuenientia naturæ in prima specie reposita sunt, sic enim constituunt sanitatem, aut infirmitatem: & similitèr est de colore, & figura, vt constituunt pulchritudinem, vel turpitudinem: hoc autèm dixisse nihil aliud est, quàm dixisse sanitatem, de cuius ratione est, quod consistat in adæquatione caloris, & frigoris esse in prima specie, & similitèr pulchritudinem, de cuius ratione est, quod constet in proportione figuræ, &c. Quarta denique species qualitatis, quæ vocatur ab antiquis compositio, ab Arist. vocatur forma, & circa aliquid constans figura, vt circularitas, triangularitas, quadrangularitas, & aliæ huiusmodi qualitates circà quantitatem consistentes, vt rectitudo, & curuitas, &c. Quæritur ergo à Caiet. àn ad omnes has species sit motus per se dictus propriè. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratur titulus à Caiet. in cap. de quali enumerãdo quattuor species qualitatis.

129. Adnotat primo Caiet. circà finem cap. de Qualitate, quod Arist. ibi ostendit in aliquibus qualitatibus verti in dubium, an suscipiant magis, & minus in abstra-

Doctr. 1. Caiet. In cap. de quali

circà finem quomodo qualitas suscipiat physicè, & logicè magis, & minus.

stracto, vel in concreto: indubitantèr tamèn tenendum est, quod qualia in concreto suscipiunt magis, & minus: quià in modo loquendi, non dicitur magis, aut minus iustitia, aut sanitas, aut albedo, sed dicitur magis, & minus iustus, vel sanus, aut albus: hæc tamen dubitatio dupliciter potest intelligi, scilicet, Physicè, & Logicè: & si quidem intelligatur Physicè per iustitiam, & sanitatem intelligendæ sunt qualitates in se ipsis: per qualia autèm intelligendæ sunt participationes ipsarum in subiectis, seù ipsæ vt participantur à subiectis: & est sensus dubitationis, an qualitates suscipiant magis, & minus in suis essentijs: cùm tamèn indubitantèr constet, quod suscipiunt magis, & minus in earum participationibus in subiectis: pro vt magis, & minus participantur ab hoc, vel ab alio: v. g. constat calorem magis, & minus participari à diuersis acquis callidis, vel ab vna successiuè: & consequentèr callidum suscipere magis, & minus. Dubium tamèn est, an illa res, quæ est calliditas, per hoc in se ipsa augeatur, an sola eius participatio augeatur. Et hæc quæstio vsque in hodiernum diem habet diuersos opinantes: & quià Philosophica, in cap. de quali est derelicta ab Arist. eam tamen determinauit S. Thomas dicens quando callidum intenditur, etiàm calliditatem ipsam intendi. Si verò logicè dubitetur, facilè soluitur dicendo, quod abstracta non dicuntur magis, & minus, quoniàm imitantur substantiam in modo significandi, vna met ergo res diuersimodè significata dicitur suscipere magis, & minus, & non suscipere, proptèr diuersos modos significandi, quorum alterum repugnat cùm magis, & minus prædicari; proptèr quod, & apud Grammaticos abstracta comparatiuis nominibus carent. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. quænam sint formæ augmentabiles, & non augmentabiles.

130. Adnotat secundo Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. Circà augmentum, & diminutionem formarum secundum participationem in subiecto, quod quià suscipere magis, & minus latitudinem quamdam importat: idcircò S Doctor ex indiuisibilitate excludente huiusmodi latitudinem, differentiam manifestat intèr formas sic augmentabiles, & non augmentabiles, & dupliciter hoc contingit. Primo si forma indiuisibilitèr se habeat ad subiectum: tunc enim constat, quod participatio eius latitudinem non habet, & hoc inuenitur intèr omnem formam substantialem, & eius subiectum, vt in art. 1. cit. dicitur, quià, scilicet, specificat subiectum: specificare enim, actus est in indiuisibili consistens, & est sermo de specificatione subiecti, non in tali, aut tali specie, sed simplicitèr, quod solùm inuenitur in forma substantiali: cæteræ enim specificant secundum quid. Secundo contingit si de ratione formæ sit indiuisibilitas non in partes quantitatiuas, sicut numerus, & circulus partes habent: sed in plura, quorum aliquo adiuncto, vel adempto perfectior, aut minus perfecta sit, quod est carere latitudine, & est sermo de forma, non de specificante ipsam. Iàm enim dictum est, quod omne specificans vt sic consistit in indiuisibili; nunc autèm dicimus, quod non omnis forma consistit in indiuisibili; sed quædam, sicut species figurarum, & numerorum; quædam verò non, vt multæ qualitates primæ, & tertiæ speciei: Calori enim ad empto aliquo gradu suæ latitudinis remissior est, & apposito gradu intensior est. Circulus autèm quocumque variato, aut non remanet circulus, aut æquè. Et sic habes, & quare quædam formæ secundum suas specificas naturas augentur, & quædam non, & hoc proptèr antiquos: & quare quædam formæ suscipiunt magis, & minus, vt respiciunt subiectum, & quædam non. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ex p. 2. q. 52. art. 3. quo in prima

131. Adnotat tertio Caiet. in p. 2. q. 52. art. 3. pro prima specie qualitatis pro notitijs, quod sicut antè genitum habitum in anima potuit anima intensiori actu generare ipsum; & ità post genitum, potest intensiori actu, quàm sit ille etiàm ad

quem

quem se extendit præsens habitus, augere eumdem, eodem vtens principio actiuo intensiùs, quàm prius vsus fuerit: ex hac namque parte habet vim augmentatiuam, vndè habet generatiuam: quamuis ad agendum non nihil operetur iàm inchoatus habitus non ea ratione, quià nihil prohibet augere aliquid se ipsum vt patet ex 2. de Anima, quoniàm hoc de augmento propriè sumpto dicitur: hoc autèm de quo loquimur augmentum metaphoricè dicitur augmentum: propriè verò est motus intensionis, sed ea potius ratione, quià actus elicitus ab habitû inchoato, & subiectum disponit præparans ipsum ad perfectius sortiendum habitum: & perfectior est, cùm ex tota virtute habitus procedit, ità vt ad perfectionem maiorem deducere possit habitum. Ità Caiet. loc. cit.

specie qualitatis, scilicet, in habitibus fit motus, &c

132. Adnotat quarto Caiet. in q. 52. art. 2. quod loquendo de intensione formæ, opportet dicere, vt corporalitèr respicit subiectum, quod sempèr quando est intensior sit perfectior secundum essentiam, & esse, & inesse subiecto, & æ conuersò; nec aliqua ibi interuenit corruptio, sed sola omnium prædictorum augmentatio. Diuus ergo Thomas de additione formalitèr iuxtà physicum morem tractans, primum modum, qui solus additionem formalem præfert, distinxit contrà alios duos, quos, & pro vnico computauit, quià quo ad intrinseca in hoc proposito non differunt, & quodammodo distinctionis eorum meminit in 2. 2. q. 24. & illum semper improbauit; imò in 1. sent. dist. 17. dicit se non posse intelligere illum formalitèr, hunc autèm firmauit: & hic quidèm quià tractat in communi, primo ex communibus, quià forma non fit, sed compositum: additio nonnulla esset, si forma fieret; Secundo ex proprijs additionis: quià, scilicet, additum distinguitur, & per hæc patet solutio ad obiecta. Et tu qui graduum additione vt eris disputando, si hanc expressurus dicis sententiam, à lapsu solo linguæ cohibendus restas, &c. Ità Caiet. de intensione qualitatum, &c.

Doctr. 4. Caiet. ex ar. 2. q. 52. dicens quod augmentum non fit per additionem gradus ad gradum.

133. Quo ad secundum Caiet. in art. 2. q. 52. de intensione, & remissione formarum recitat opinionem Scoti ex p. sent. q. 17. Ipse siquidem non solus, vt opinor, sensum non intentum à D. Th. sic impugnauit, vt in aliquo dissentiat secundum rem: Duo enim creduntur affirmari. Primum est, quod formæ intendantur propriè, & remittantur tantum secundum habitudinem ad subiectum. Secundum est quod res illa, quæ est forma, quando intenditur, & remittitur, nihil sui reale absolutum acquirit, aut perdit, sed solùm aliquid in ordine ad subiectum. Et vtrumque Scotus impugnat; in rei veritate tamèn, dictum secundum non est S. Thomæ sed contrà ipsum, vndè non opportet respondere suis obiectionibus. Primum vero est assertum à D.Th. nec mirum quod impugnetur à Scoto, quoniam discordauit à principio. D. enim Th. posuit formas habere quidquid habent, aut ex ratione formali, idest specifica, aut ex subiecto aut materia, ità quod quidquid materiale, idest non specificum in eis, ex materia posuit, Scotus verò non. Et propterea S. Doctor latitudinem formæ secundum magis, & minus, cùm infrà speciem sit, & materiale sit aliquid id in specie, ad subiectum reduxit, sicut, & cætera materialia. Scotus autèm sequens suas proprietates indiuiduales, vult quod (si per impossibile forma ità abstraheretur à subiecto) nec etiàm aptitudinalitèr respiceret magis, & minus: ità quod nec conuenit formæ in ordine ad subiectum, nec oritur quoquomodo ex subiecto; sicut quantitas molis, (si per impossibile non haberet inclinationem ad subiectum) adhuc esset maior, vel minor. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti recitata à Caiet. in p. 2. q. 52. art. 2. circà intensionem formarum.

134. In Resp. verò ad tertium art. 1. q. 50. ex D. Th. Caiet. recitat opinionem simplicij, & D. Th. circà motum per se ad has species qualitatis. Dicendo, quod dispositiones corporales, quæ sunt in prima specie qualitatis, vt quidam posuerunt, diffe-

Opinio simplicij, & aliorum tū propria D. Th.

recitata à Caiet. in q.50.art.1. p. 2. in Resp.ad 3. circa motum ad species qualitatis.

differunt à qualitatibus tertiæ speciei in hoc, quod qualitates tertiæ speciei sunt vt in fieri, & vt in motu: vndè dicuntur passiones, vel passibiles qualitates, quàndò autèm iàm peruenerint ad perfectum quasi ad speciem, tunc iàm sunt in prima specie qualitatis. Sed hoc improbat simplicius in prædicam. Qualitatis, quià secundum hoc calefactio esset in tertia specie qualitatis, calor autèm in prima: Arist. autem ponit calorem in tertia. Vndè Porphyrius dicit, sicut simplicius ibidem refert quod passio, vel passibilis qualitas, & dispositio, & habitus differunt in corporibus secundum intensionem, & remissionem. Quando enim aliquid recipit calliditatem secundum calefieri tantùm, non autèm vt calefacere possit, tunc est passio, si sit cito transiens, vel passibilis qualitas si sit manens, quando autèm iàm ad hoc perducitur, quod potest etiàm alterum calefacere, tunc est dispositio; si autèm vl erius in tantùm firmetur, quod sit difficile mobilis, tunc erit habitus, vt sic dispositio sit quædam intensio, seù perfectio passionis, vel passibilis qualitatis: habitus autem dispositionis. Sed hoc improbat simplicius, quià talis intensio, & remissio non important diuersitatem ex parte ipsius formæ, sed ex diuersa participatione ipsius subiecti, & ità non diuersificarentur per hoc species qualitatis. Et ideò S. Doctor alitèr dicit, scilicet, quod commensuratio ipsarum qualitatum passibilium secundum conuenientiam ad naturam, habent rationem dispositionis, & ideò facta alteratione circà ipsas qualitates passibiles, quæ sunt callidum, frigidum, humidum, & siccum fit ex consequenti alteratio secundum ægritudinem, & sanitatem. Primo autèm, & per se non est alteratio secundum huiusmodi habitus, & dispositiones. Ità D. Th. & Caiet. loc. cit.

Conclusio negatiua Caiet. ex cap. de quali cum sua prob. quo ad quartam speciē non detur motus.

135. Quo ad tertium Conclusio prima ponitur à Caiet. in cap. de quali circà finem sub his verbis. Absque omni dubio non conuenit omnibus qualitatibus motus per se, scilicet, suscipere magis, & minus, & præcipuè figura, quæ est quarta species qualitatis.

Probatur tali ratione à Caiet. Si in figuris inueniretur magis, & minus, aut hoc esset quo ad ea, de quibus non prædicatur diffinitio illius figuræ, aut quo ad ea, de quibus prædicatur, sed nèc in illis, nec in istis inuenitur figura aliqua cùm magis, aut minus: ergo figura non suscipit magis, aut minus. Minor in textu quo ad primam partem sic declaratur ab Arist. quià quæcumque diffinitionem trianguli, vel circuli suscipiunt, omnia similitèr, & non magis aut minus trianguli, aut circuli sunt. Quo ad secundam verò subditur ab Arist. Eorum verò, quæ non recipiunt trianguli, aut circuli rationem nihil magis alterum altero triangulus, aut circulus est, & subdit Arist. exemplum huius. Figura enim quadrata non est magis circulus, quàm figura altera parte longior: quià natura est circulus, seu circuli diffinitionem recipit: & simplicitèr, ac vniuersalitèr constat quod verum est, nihil esse magis tale, nisi sit tale, seù vt in textu dicitur, & idem est, nihil dici magis tale, quod propositi talis diffinitionem non recipit: quoniàm comparatiuum præsupponit suum positiuum: non ergo ad omnia qualia est motus, nec recipiunt magis, & minus. Horum itaque, quæ dicta sunt, nihil est propriè proprium qualitati: quià nihil horum conuenit omni qualitati. Ità Caiet. loc. cit.

2. Conclus. responsiua quæsiti ponitur à Caiet. loc. cit. cum sua probat. & habet duas partes.

136. Secunda Conclusio Responsiua quæsiti ponitur à Caiet. sic. Sola tertia species qualitatis, scilicet, passio, & passibilis qualitas respicit per se primo motum: aliæ verò si respiciunt, non nisi ex quadam consequentia respiciunt, & non per se primo.

Probatur prima pars à Caiet. sic. Ad illam speciem qualitatis debet dari per se motus propriè alterationis, vel intensionis, & remissionis dicens magis, & minus, per quam dicitur subiectum propriè pati, & alterari à dispositione sua naturali;

sed

sed sola qualitas passiua, quæ est tertia species qualitatis, non verò prima nec secunda obtinet de sui natura id: ergo vera Conclusio. Probatur minor. v.g. calor, & color, frigus, &c. dicuntur qualitates potiori iure, quià disponunt ad corruptionem, & introductionem formarum substantialium, & ideò per ipsas dicitur subiectum pati, & alterari à dispositione naturali, quod non verificatur in alijs speciebus qualitatis, & licet videatur D.Th. concedere in secunda specie qualitatis motum per se in p. 2. q. 49. art. secundo dicendo, quod modus, siuè determinatio subiecti secundum actionem, & passionem attenditur in secunda specie qualitatis, quæ est naturalis potentia, vel impotentia, idest vt aliquid facilè, vel difficile fiat: non tamèn hoc asserit in prima, & quarta specie qualitatis.

Probatur à Caiet. 2. pars. Illud dicitur acquiri per se primo per motum, quod per se primo producitur per motum; & per posterius, seù ex quadam consequentia, quod consequitur ad primum: sed si dantur aliæ species qualitatis, quæ per motum aliquid acquirant hoc contingit per posterius, seù ex quadam consequentia ad tertiam speciem qualitatis, ergo &c. Minor declaratur à D. Th. suprà in Adnet. nos experimur, ait, quod facta alteratione circà ipsas qualitates passibiles, scilicet, callidum, frigum, humidum, &c. Fit ex consequenti alteratio secundum ægritudinem, & sanitatem, quæ sunt qualitates alterius speciei, à tertia, ergo &c. Ità Caiet. & D.Th. ex notabilibus suprà. *Probatio 2. p. Conclus. facta à Caiet. ex D. Th.*

137. Quo ad quartum Arguit Caiet. in tertia parte cap. 4. de Quali sic. Latitudo, & distantia, quæ datur in qualitatibus requisita ad motum alterationis, vel sumitur ratione ipsarum qualitatum secundum se, vel ratione intensionis, & remissionis tantùm; si primo modo iàm non est ratio cur ad alias species qualitatis, scilicet, ad primam, & quartam non detur per se motus; si secundo modo, ergo in qualitatibus dabitur duntaxat motus penès intensionem, & remissionem, & non penès alterationem. *Arg. 1. Caiet. ex cap. de quali.*

Resp. Caiet. quod sumitur vtroque modo, ad obiectionem dicitur, quod qualitates aliæ à tertia specie non sunt intensibiles, & remissibiles, si præcisè sunt potentiæ, nec habent latitudinem, & contrarietatem, ità vt ex earum temperamento, & mixtura aliquæ potentiæ mediæ resultent, & sic non terminant motum per se primo immediatè, imò plerumque tanquàm passiones, & proprietates resultant ad productionem essentiæ. Qualitates verò in quarta specie resultant ex terminatione quantitatis, vndè ad motum quantitatis sinè alio motu distincto consequuntur, & resultant tanquàm motus terminationis eius, & non sicuti qualitates secundæ, quæ resultant, aut miscentur per motum distinctum ab eo, quo producuntur qualitates primæ. Ad id verò quod dicitur de contrarietate penès intensionem, & remissionem Resp. quod est distincta species motus à simplici alteratione, & quod eius contrarietas, & latitudo, se habet in magis, & minus, vt patet in luce, quæ terminat motum intensionis, licet non alterationis simplicis, quià non fit ex contrario, sed ex priuatiue. Ità Caiet. loc. cit. in cap. de quali. *Resp. Caiet. ad primum Arg.*

138. Arguit secundo Caiet. ex D. Th. in p. 2. q. 52. art. 1. probans, quod nullus sit motus, nec ex consequentia quadam in prima specie qualitatis, scilicet, in habitibus. In his quæ recipiunt magis, & minus contingit esse alterationem: Alterari enim dicitur, quod de minus callido, fit magis callidum: sed in habitibus non est alteratio, vt probatur in 7. Phys. tex. 15. & 17. ergo ad habitus non datur motus, nec augmenti. *Arg. 2. Caiet. ex D. Th. in p. 2. q. 52. art. 1.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad tertium dicendum, quod alteratio primo quidem est in qualitatibus tertiæ speciei: in qualitatibus verò primæ speciei potest esse alteratio *Resp. Caiet. ad secundum Arg.*

ex D. Th. ad tertium art. cit. per posterius. Facta enim alteratione secundum callidum, & frigidum sequitur animal alterari secundum sanum, & ægrum. Et similitèr facta alteratione secundum passiones appetitus sensitiui, vel secundum vires sensitiuas apprehensiuas, sequitur alteratio secundum scientiam, & virtutes, vt dicitur in 7. Phys. tex. 20. Ità Caiet. ex D. Th.

Arg 3. Caiet. ex p. 1. q. 52. art. primo. 139. Arguit tertio Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. in fine Comment. Naturales potentiæ quæ ponuntur in secunda specie qualitatis, vt intellectus, voluntas, concupiscibilis, &c. sunt absque magis, & minus, & tamèn non specificant, nec indiuisibilitatem habent, quod est contrà adnotationem secundam suprà.

Resp. Caiet. ad 3. Arg. in fine Comment. art. 1. cit. Resp. Caiet. quod naturales potentiæ, quæ consequuntur immutabilitèr substantias cùm formis specificantibus connumerantur, vndè hoc nihil obstat. Dico autèm immutabilitèr, quià si aliquæ consequerentur mutabilitèr, vt durum, & molle, nil prohibet eas suscipere magis, & minus. Alteratione enim facta, fiet magis molle, aut minus. Et sic vniuersalis regula videtur stare in formis absolutis, respectiuæ enim naturas absolutarum consequuntur, & secundum eas suscipiunt, vel non suscipiunt magis, & minus. Duplum enim non suscipit magis, & minus; simile autèm suscipit magis, & minus, quià qualitas suscipit magis, & minus, &c. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO III. QVINTI PHYSICORVM

Vtrùm motus augmenti sit propriè circà quantitatem

EX CAIETANO

Ex p. 2. q. 52. art. 1. & ex 2. 2. q. 24. & alibi, &c.

Doctr. 1. Caiet. ex p. 2. q. 52. art. 1. declarans quomodo augmentū proprium quantitatis transferatur ad qualitates, & formas spirituales accidentales.

140. CAiet. Adnotat pro notitia quæsiti in p. 2. q. 52. art. 1. quod cum augmentum circà quantitatem variabile in plus, aut minus sit; sicuti forma se habet ad quantitatem huius modi, ità se habet ad augmentum: Formæ autèm, quæ extraneum aliquod specificatiuum non respiciunt, nullam secundum specificas suas naturas quantitatem mutabilem sortiuntur: sed quantitatem tantùm perfectionis specificæ, vt sic in indiuisibili consistentem. Formæ autèm, quæ aliquod extraneum specificum respiciunt prætèr illam specificam perfectionem sortiuntur aliam quantitatem mutabilem, scilicet, secundum accessum maiorem, vel minorem ad illud specificans: & ideò illæ secundum se non augentur, aut minuuntur, istæ sic. Et sicut in habitibus est motus alterationis non primò, sed per quamdam resultantiam, vt diximus in præcedenti quæstione. Ità motus augmenti propriè est circà quantitatem vt in hoc 5. Phys. dicitur tex. 18. & augmentum spirituale est circà quantitatem spiritualem: Quantitas tamèn spiritualis coincidit cum qualitate, quoniàm in his, quæ non mole magna sunt, vt habitus intelligibiles idem est esse maius, quod melius, & ideò non est mirum si eorum augmentum in genere quantitatis coincidit cum esse in genere qualitatis, vt constat de nomine magnitudinis, quod deriuatur à quantitatibus corporalibus ad intelligibi-

gibiles perfectiones formarum, sic & nomen augmenti, cuius terminus est magnum. Hinc D. Th. & in p. 2. q. 52. & in 2. 2. q. 24. pro motu intensionis, & remissionis, qui est proprius qualitatum spiritualium, & corporalium, vtitur hoc nomine augmenti, quod est proprium quantitatis.Ità Caiet. loc. cit.

141. Adnotat secundo Caiet. in 2. 2. q. 24. art. 4. vbi S. Doctor explicat semper motum intensionis in formis, quæ sunt qualitates, nomine augmenti, & explicando modum intensionis dicit, quod sicuti in vero motu augmenti, cùm Socrates de tripedali fit quadrupedis, non abijcitur præcedens quantitas, sed solùm actualis terminatio quantitatis ad tripedalem mensuram, & peruenitur ad actualem terminationem quadrupedalis mensuræ eiusdem quantitatis, & propterea non remanet tripedalis in actu, sed in potentia. Vndè quemadmodum in motu diminutionis, cùm Socrates de quadripedali fit tripedalis, fit quantitas in actu tripedali. Similitèr in augmento formarum, seù qualitatum non remanent præcedentes gradus caloris in actu, sed in potentia; & sic etiàm in motu remissionis cùm de callido vt quattuor, fit callidum vt tria, fit calor in actu tertij gradus, nec refert vtrùm hoc fiat per motum, vt cum aliquid magis calefit, vel per mutationem, vt cùm aliquid magis illuminatur: Vtrobique enim est eadem ratio in intrinsecis. Et ex his patet solutio alterius difficultatis, an in huiusmodi intensione interueniat corruptio. Iàm enim patet, quod sola terminatio actualis secundum aliquem gradum corrumpitur, non gradus ipse, sicuti in quantitate molis declaratum est exemplaritèr. Et etiàm patet, quod in his, qualitatibus non fit intensio per additionem gradus ad gradum, vt diffusius S. Doctor, & nos in commentarijs super art. 2. q. 52. in p. 2. manifestauimus, sed per eductionem maiorem formæ de potentia subiecti, vel aliquid proportionatè in formis infusis ab extrà, vt est charitas. Ità Caiet. art. 4. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex 2. 2. q. 24. art. 4. explicans modum augmenti quantitatis molis, esse eundem proportionalitèr, scilicet, fieri, eodẽ modo in quantitatis virtualis augmento.

142. Adnotat tertio Caiet. ibidem ad primum D. Th. quod S. Doctor ibi non dicit quod quantitas continua intendatur in his, quæ rarefiunt; hoc enim esset falsum, quià aer rarior non est magis quantus, sed maius quantum. Sed mens S. Doctoris est, quod in rarefactione quantitas fit maior extensiuè non per additionem quanti ad quantum vt contingit in motu augmenti, sed per maiorem extensionem præcedentis quantitatis. Et hic modus augendi quantitatem est similis proportionalitèr modo, quo augetur quantitas virtualis formarum. Intenduntur enim non per additionem aduenientis quantitatis virtualis, sed per maiorem perfectionem præexistentis quantitatis, ità quod sicut in rarefactione est extensio quantitatis dimensiuæ præexistentis absque nouæ quantitatis additione; ità in intensione est quasi extensio quantitatis virtualis præexistentis absque additione. Et quià quantitas continua infrà latitudinem continui communicat in hoc cum formis suscipientibus magis, & minus (ex eadem namque radice, qua formæ intenduntur, & remittuntur, quantitas hoc modo extenditur, & contrahitur vt dicitur à S. D.) ideò fortè autor in p. 2. q. 52. art. 1. quantitatis continuæ vt sic species, non exclusit à suscipientibus magis, & minus: in veritate tamèn extrà illas sunt. Vndè, & in littera art. 4. non dicitur, quod quantitas in rarefactione intendatur, sed quod habet proprium augmentum, sicuti aliæ formæ accidentales per modum intensionis eius in subiecto. In his siquidem verbis modus augmenti, quo extenditur in rarefactione quantitas declaratur, quod est per modum, quo forma intenditur in subiecto, quià, scilicet, est per maiorem eductionem formæ de potentia subiecti, quod in quantitate dimensiua facit maius extensiuè, & in quantitate virtuali facit maius intensiuè. Et non significatur per illa verba, quod quantitas dimensiua intenditur, & remittitur, nisi proportionalitèr exponendo, vt declaratum est. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. ibidem art. 4. cit. ad primum declarans clariori doctrina motum augmenti vtrobiq; & in quantitate molis, & virtuali formarum.

Verba D. Th. ad primum Commentata à Caiet. sunt hæc. Charitati non conuenit quantitas dimensiua, sed solùm quantitas virtualis, quæ non solum attenditur, secundum numerum obiectorum, vt, scilicet, plura, vel pauciora diligantur, sed etiàm secundum intensionem actus, vt magis, vel minus aliquid diligatur, & hoc modo virtualis quantitas charitatis augetur. Ità D. Th. cum Caiet. art. 4. cit.

Explicatur sent. S.Th. à Caiet. in 2.2. q.24. art.4. circà modum augmenti, & in quãtitate molis, & in quantitate virtuali formarum accidentalium.

143. Quo ad secundum Caiet. in eodem art. 4. q. 24. in 2. 2. ex hoc, quod hoc nomen augmenti, & modus augmenti proprius quantitatis dimensiuæ, & molis, translatum est ad significandam maiorem intensionem, vel magis, & minus in intensione, & remissione qualitatum, & explicatur nedum ipsa intensio, & remissio, sed modus intensionis, & remissionis sub hoc nomine augmenti, & decrementi, quod conuenit soli quantitati ad quam est ipse motus, explicat, in quam Caiet. & recitat opiniones in art. 4. & 5. circà materiam intensionis, & remissionis formarum accidentalium nedum corporearum, sed etiàm spiritualium, puta charitatis, & habituum intellectualium, quas ibi, tu Discipulus Thomista, potes legere, sicuti, & etiàm confutationes earumdem opinionum, quæ sunt quattuor, vbi videbis quod Caiet. recitando, & explicando sententiam D.Th. & in modo augmenti quantitatis molis, & quantitatis virtualis in spiritualibus qualitatibus, & formis accidentalibus intus, & extrà infusis, videbis inquam, quod Caiet. dicit, quod partes, aut gradus simul permanentes in actu distinctos in vna, & eodem forma (vt tertia opinio dicit) audire erubescit scola peripatetica quæ didicit à suo præceptore, per actus, & potentiæ naturam existentia in aliquo distinguere; & addisces, vt in tertia adnotatione dicitur, modum augmenti proprium quantitatis esse consonantem sensui, & rationi, vt sicuti forma, quæ intenditur, & remittitur, gradualem perfectionis latitudinem habet, ità quod calor, & esse caloris, in esse eiusdem, latitudinem huiusmodi habet: & cùm de minus callido, puta vt duo, fit magis callidum, puta vt quattuor, non corrumpitur præcedens calor, sed abijcitur solum actualis terminatio caloris ad gradum vt duo, & peruenitur ad actualem terminationem caloris ad gradum, vt quattuor (sic enim saluatur motus de affirmàto in affirmatum absque formæ corruptione) ità etiàm saluatur verus motus augmenti spectans ad quantitatem molis, de affirmata in affimata quantitate absque quantitatis corruptione, sempèr proportionalitèr loquendo vtrobique, & in quantitate molis, & quantitate virtuali. Ità Caiet. in toto art. 4. q. 24. in 2. 2. & in p. 2. q. 52. art. 1.

Conclus. 1. Resp. quæsiti ipsius Caiet. cum sua probat. ex Doctrinis citatis.

144. Quo ad tertium Conclusio Caiet. cum D. Th. deducitur ex loc. cit. sic. Ad quantitatem datur motus per se propriè dictus, qui dicitur augmenti, & decrementi, & non alterationis. Probatur breuitèr à Caiet. loc. cit. ex suis doctrinis suprà, sub tali forma. Ad illud prædicamentum datur ille motus, qui est proprius ipsius per se primo: sed ad prædicamentum quantitatis non inuenitur alius motus, qui sit per se primo conueniens naturæ eiusdem, nisi motus augmenti, & decrementi, ergo vera Conclusio. Maior constat de se ex dictis. Minor est probata ab Arist. in hoc 5. Phys. tex. 18. vbi dicit, quod hoc nomen augmenti, & decrementi non est conueniens nisi soli quantitati molis; vndè si alijs sit commune, puta qualitatibus, hoc non nisi fit impropriè, & per translationem, similitudinariè, & proportionalitèr, vt in quantitate virtuali formarum spiritualium, vt ait D. Th. Ità Caiet. loc. cit.

2. Conclusio Caiet. in 2. 2. q. 24. art. 4. cum sua prob. circà augmentum, quo modo fiat.

145. Secunda Conclusio Caiet. circà modum augmenti in quantitate molis, ponitur sub his verbis in 1. 2. q. 24. art. 4. In modo augmenti, qui spectat ad quantitatem, non fit per additionem nouæ quantitatis, nec quo ad fieri, nec quo ad factum esse, sed augetur essentialitèr, non quidem ità quod esse quantitatis incipiat, vel esse quantitatis desinat in subiecto, sed ità quod magis, ac magis in subiecto esse incipiat, vt maior, &c.

Pro-

Probatur à Caiet. cùm D. Th. sic. Illa terminatio quantitatis, bipedalis puta, quæ est terminus à quo in augmento, non addit tantam quantitatem, sed addit actualitatem puta tripedalem: actus enim est terminare, distinguere, & separare: hæc enim deperditur, dum terminatur eadem quantitas ad tripedalem, & non deperditur quantitas ipsa bipedalis. Natura siquidem actus, & potentiæ hanc philosophiam aperit, ergo vera Concl. Patet consequentia ex 3. adnotatione suprà, & antecedens est D. Th. & Caiet. qui explicando sententiam S. Doctoris in antecedenti posita, sic respondet interrogantibus, quid sit illa terminatio? ait enim. Vndè si ab importunis, aut nouitijs inquiratur, quid sit illa terminatio, quæ abijcitur, vt terminus à quo, respondeatur pro vt in antecedenti, vbi redditur ratio à priori responsionis ibi allatæ. Ità Caiet. loc. cit.

146. Quo ad quartum Arguit Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. in fine Comment. sic. Si augmentum transfertur ad qualitates, quæ suscipiunt magis, & minus, quantitas etiàm suscipiet magis, & minus: sed non potest suscipere, ergo augmentum quod transfertur ad qualitates nec etiàm in ijs debet inducere magis, & minus, sed debent dici secundum illud augmentum maiores, & minores, vt augmentum infert in quantitate molis. Minor probatur quià sequela patet de se, si debemus stare in ipso nomine augmenti, ne in doctrinis fiat æquiuocatio: quià species quantitatis continuæ infrà latitudinem continui, vt linea, superficies, & corpus, in littera non tractantur, nisi vt induunt, discreti rationem, puta bicubiti, tricubiti &c. Et sic cùm non specificent, neq; indiuisibilitatem de sua ratione sortiantur suscipere debent magis, & minus, & tamèn constat decerto, quod non suscipiunt, ergo &c. *Arg. 1. Caiet. contrà 1. Concl. ex p. 2. q. 52. a. 1. in fine Comment.*

Resp. Caiet. quod subiectum discussionis art. 1. q. 52. in p. 2. est forma non essentialitèr quanta quantitate molis, quoniàm magnitudo formarum, de qua est ibi quæstio, circà quam est augmentum, & diminutio, quæ vocatur intensio, & remissio, distinguitur ibi in art. contrà magnitudinem quantitatis molis. Et sic quantitas molis tanquàm habens alterius generis magnitudinem, & augmentum, & diminutionem, extrà illam disputationem art. 1. cit. remanet. Est ergo ibi ratio litteræ art. 1. de formis non essentialitèr quantis quantitate molis; quarè vt dictum est in præcedenti quæstione, quædam suscipiunt magis, & minus, & quædam non; & meritò, quià de istis est dubium: illas enim constat non suscipere magis, & minus: Nec obstat quod Auctor, etiàm ad quantitatis continuæ species aliquas sermonem extenderit: quoniàm hoc ad perfectionem Doctrinæ spectat. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 1. ibidem loc. cit.*

Arguit Caiet. contrà secundam Conclusionem ex D. Th. art. 4. q. 24. in 2. 2. Augmentum quidam motus est, ergo quod augetur, mouetur. Quod ergo augetur essentialitèr, mouetur essentialitèr, sed non mouetur essentialitèr, nisi quod corrumpitur, vel generatur, ergo quantitas non potest augeri essentialitèr, nisi fortè de nouo generetur, vel corrumpatur, quod est inconueniens. *Arg. Caiet. contrà 2. Concl. ex D. Th. a. 4. q. 24. in 2. 2.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad 3. art. 4. quod quidam dixerunt quantitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solùm secundum radicationem in subiecto. Sed hi propriam vocem ignorauerunt. Cùm enim accidens sit eius esse, inesse. Sequitur quod nihil aliud est quantitatem augeri, quàm eam magis inesse subiecto, quod est magis eam radicari in subiecto. Augetur ergo essentialitèr, non quidèm ità quod esse incipiat; vel esse desinat in subiecto, vt obiectio prædicta procedit, sed ità quod magis, ac magis, in maius, in subiecto esse incipiat. Ità Caiet. ex D. Th. ad 3. art. 4. cit. *Resp. ad Arg. ibidem loc. cit. ad tertium.*

QVAE-

Vndè sumitur vnitas generica, specifica, & numerica ipsius motus pro vt etiàm se extendit ad mutationem

EX CAIETANO

In p. p. multis in locis, & in p. 2. & in 3. p.

Aperitur titulus; & status controuersiæ à Caiet. varijs in loc. cit. de quo motu sit quæstio.

148. CAiet. cùm D. Th. in 3. p. q. 62. art. 4. ad 2. cit. ly motus deriuatur etiàm ad spiritualia duplicitèr vno modo secundum quod omnis operatio motus dicitur; sic enim, & Diuina Bonitas quodammodò mouetur, & procedit in res secundum quod se communicat vt Dyon. dicit cap. 2. de Diu. nom. Alio modo motus dicitur ipsum desiderium tendens in aliud; & quies, quæ opponitur motui duplicitèr etiàm dicitur in spiritualibus, scilicet, pro cessatione, & impletione desiderij. Non est sermo de motu sic translatiuè sumpto, sed titulus quærit de motu propriè accepto, qui competit Physicè corporibus. Et quià omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis, non potest quæri in præsenti de vnitate propriè generica, quià motus eo quod est actus imperfectus non propriè est in aliquo genere, sed reducitur ad genus perfecti, sicuti alteratio ad qualitatem, eo modo, quo virtus instrumentalis, quià non est propriè loquendo in aliquo genere, reducitur ad genus, & speciem, virtutis perfectæ: Benè tamen quæritur de vnitate numerica propriè: quià experimur nos, quatuor concomitari ipsum motum, scilicet, agens à quo egreditur; Mobile, seù passum in quo recipitur; terminus à quo incipit, & terminus ad quem terminatur; vel distantia, seù medium per quod mobile transit, & sic propriè est quæstio, an ex omnibus prædictis simul sumptis, vel potiùs ex vno prædictorum dumtaxat, vnitas, & specifica, & numerica motus desumatur. Quæstio igitur est, ait Caiet. in p. 2. q. 31. art. 2. ad 1. dum sumus in Physicis de motu, qui est actus imperfecti, scilicet, existentis in potentia in quantum huiusmodi, & qui est successiuus in tempore; & non de motu, qui est actus perfecti, scilicet, existentis in actu sicut intelligere, sentire, velle, delectari, & huiusmodi, qui non sunt successiui, nec per se in tempore; hi enim motus spectant ad Metaphysicum, & Theologum. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

Doct. 1. Caiet. ex p. p. q. 23. a. 1. ad 3. & ex alijs locis declarans terminum ad quē in motibus, & in mutationibus Physicis, & Metaphysicis.

149. Adnotat 1. Caiet. in p. p. q. 23. a. 1. ad 3. ex D. Th. & ad 2. in p. 2. q. 12. a. 3. quod motus non accipit speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Nihil enim refert, quantùm ad rationem dealbationis, vtrùm ille qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus. Et in p. 2. art. 3. cit. ait, quod vnius motus possunt ex vna parte esse plures termini, si vnus ad alium ordinetur, sed duo termini ad inuicem non ordinati ex vna parte vnius motus esse non possunt. Et in p. 2. q. 113. art. 6. in principio Comment. ait, super illam propositionem, scilicet, expulsio termini à quo, in nullo motu habet rationem termini ad quem, quod quemadmodum in omni mutatione ordo naturæ ex parte agentis exigit, quod duorum, quæ inueniuntur in termino ad quem, scilicet, inductionis formæ intentæ, & vltimo fit expulsio oppositi, vt patet in illuminatione, quà licet simul aer illuminetur, & excludatur à tenebra ex hoc tamèn, quod illuminatur excluditur à tenebra: ac per hoc expulsio est consummatio, & peruentio ad terminum; & ascendendo ex motibus, seù mutationibus

bus physicis ad Metaphysicales, & spirituales, dicimus quod in motu iustificationis impij terminus ad quem habet in se duo, scilicet, inductionem iustitiæ, & remissionem culpæ, & hæc habet vltimi rationem, & propterea dicitur in litt. art. cit. quod in remissione peccatorum consumatur iustificatio impij. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

150. Adnotat 2. Caiet. in p. 2. q. 113. art. 6. quod motus, seù mutatio est duplex. Quædam de cuius termini inductionis ratione est expulsio contrarij, seù priuatiui; quædam cui accidit hoc. Exemplum primi est motus omnis, seù mutatio tàm successiua, quàm per se terminus successiuè. Exemplum secundi est illuminatio partium orbis Solis coæua Soli, quià nunquàm fuerunt in tenebris, nec terminat illuminatio illa aliquem motum, vt patet in primis motibus; Species sumitur ab inductione termini, & non ab expulsione oppositi. In secundis, quia inueniri possunt dupliciter, scilicet, coniunctæ expulsioni oppositi, & separatæ ab illis, vt patet de illuminatione, quæ inuenitur vtroq; modo, ad denotandum differentiam intèr vtrumq; modum, quando occurrit cùm expulsione oppositi, specificatio fit ab exclusione oppositi tanquàm ab vltima ratione termini ad quem, ex qua sumitur propria differentia ipsius, v. g. quià duplicitèr fit illuminatio, scilicet, per modum simplicis generationis, vt patet cùm partes orbis coæuæ sempèr illuminantur; & per modum motus, vt patet cùm aer ex tenebroso fit illuminatus. Et in primo modo fit lumen tantùm, & non fit lumen expellens tenebras; in secundo autèm fit totum hoc, scilicet, lumen expellens tenebras. Et ex hoc ista illuminatio differt ab illa, quoniàm ex hoc habet rationem motus, seù mutationis de contrario, seù priuatio in contrarium, seù formam, proptèr quod differt à prima, quæ habet rationem simplicis productionis, ex simplici negatione in affirmationem, ideò ab ista vltima ratione termini ad quem, quià expellit oppositum, motus huiusmodi dicitur sumere speciem. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p. 2. q. 113. a. 6. declarans quomodo terminus ad quem in motu, & mutatione, de speciem ijs.

151. Adnotat 3. Caiet. ibidem art. 6. cit. quod non de rerum omnium idemtitate par est ratio quando dicitur quod expulsio termini à quo, est in termino ad quem vt consumata, quià quædam sunt, quæ ità se habent, quod & si vnum possit absolui ab altero, illud tamèn alterum non potest absolui ab illo, & non solùm non potest absolui, sed concurrit in idemtitatem cùm illo realem. Animal enim licet possit esse sinè homine, homo tamèn non potest esse sinè animali, ità quod opportet, quod sit idem, quod animal, & albedo potest esse sinè hoc quod sit intensa, intensus tamèn gradus albedinis non potest esse sinè ea, & idemtificatur illi. Et quod ad propositum facit, illuminari potest absolui ab exitu à tenebra, exire tamèn à tenebris non potest absolui ab illuminari; vndè sicut illuminari absolutè est mutatio ex non lumine ad lumen, illuminari autèm tenebrosum est mutatio ex lumine priuatiuè in lumen, & est vna mutatio simplex de tenebra ad lumen intèr duos tantùm terminos, scilicet. priuationem, & formam; Simplex namq; negatio contracta ad priuationem, eumdem constituit terminum à quo. Ità Caiet. in art. 6. cit. in fine Comment.

Doctr. Caiet. 3. ex art. 6. cit. explicans, quod si aliquando terminus à quo idemtificetur cùm termino ad quem, nõ tamèn dat speciẽ sinè motui, sinè mutationi.

152. Quo ad 2. Caiet. in p. 2. q. 113. art. 6. recitat opinionem Scoti in controuersia ibi posita circà mentem Auctoris, an intendat in mutationibus, vbi est maior difficultas, sit idem terminus à quo, & terminus ad quem, scilicet, exire à tenebris, & illuminationem; & ascendendo ad mutationes spirituales, an gratiæ infusio, & remissio culpæ sint idem secundum substantiam, & distinguantur secundum terminos, vel sic conueniant, & distinguantur sicut generatio, & corruptio, cùm generatio vnius sit corruptio alterius. Scotus probat, quod sumendo generationem, & corruptionem vt sunt actiones, non distinguantur secundum terminos, Caiet. explicat

Opinio Scoti impugnata à Caiet. in p. 2. q. 113. art. 6. circà mutationis specificationem, & opinio S. Th. simul etiàm ab eodem explicata.

plicat mentem S. Th. dicens, quod sicuti ex aqua quando fit ignis, sunt ibi simul duæ mutationes secundum substantiam, & quatuor termini. Altera est generatio de non esse ad esse ignis, altera est corruptio de esse in non esse aquæ, itá non est idem secundum substantiam gratiæ infusio, & remissio culpæ, & si non est sic, non differunt, & conueniunt vt generatio, & corruptio vt dicitur à D. Th. in litt. art. 6. cit. hic tamèn opportet esse cautum, addit Caiet. ne diuertamus de vno in aliud, & fallamur; nàm distinguere opportet de generatione, & corruptione, vt sunt actiones, & vt sunt mutationes. Si namq; est sermo de actione generatiua, & corruptiua, sic dicendum est, quod est eadem secundum substantiam, & distinguitur secundum terminos. Eadem namq; actio est, qua callidum generat calorem, & corrumpit frigus, scilicet, calefactio, quæ in quantùm terminatur ad expulsionem frigoris dicitur corruptio actiuè, & in quantùm terminatur ad calorem, dicitur generatio actiuè, & sic tàm gratiæ infusio, quàm remissio culpæ actionem significat; illa generatiuam, ista expulsiuam. Si autèm est sermo de generatione, & corruptione; vt sunt mutationes, tunc dicendum est, quod non est simile de eis: nàm generatio, & corruptio, vt dictum est sunt duæ mutationes intèr quatuor terminos; In iustificatione autèm impij est vna sola mutatio intèr duos terminos, scilicet, de culpa ad gratiam, seù iustitiam. Et ratio est, quià culpa non est aliquid positiuum, à cuius esse ad non esse opporteat esse mutationem, quæ est corruptio, sed, vt dictum est, priuatio gratiæ est. Itá Caiet. quantum ad mutationes &c.

Opinio Scoti circá motus vnitatem specificam, & numericam recitata à Caiet. ibidem in art. 6. cit. & in p. p. q. 23. a. 1. ad 3. opinio S. Th. ab eodem explicata.

Quo ad verò vnitatem specificam motus, prout non est mutatio, Caiet. dicit vnitatem specificam desumi à termino ad quem cùm D. Th. in p. p. q. 23. art. 1. ad 3. quod quidem Scotus approbat. Circá vnitatem numericam dissentit Scotus, qui vult, quod vnitas numerica idemtitatis ad se ipsum desumatur à propria hæcheitate, quæ vocatur intrinseca Metaphysica. In continuitate autèm motus vult, quod sumatur à mobili, termino ad quem, & tempore, & non à motore: extrinseca tamèn vnitas numerica vult, quod dignoscatur à mobili, & à termino ad quem, non autèm à tempore, & motore. Caiet. ipsum impugnat, asserendo varijs in locis, quod vnitas numerica motus præsupponit quidem vnitatem eius specificam desumptam à termino ad quem, sed ad sui vnitatem numericam exigit duplicem continuitatem, scilicet, temporis, quod non interrumpatur per quietem; & mobilis, scilicet, quod non interrumpatur diuersitate subiecti. Itá Caiet. loc. cit.

Concl. 1. Caiet. responsiua quæsiti de vnitate specifica motus hàbens duas partes eùm probatione primæ partis.

153. Quo ad tertium Conclusio 1. Caiet. Resp. circá vnitatem specificam, est sub his verbis. Motus, non accipit speciem à termino à quo per se primo, sed consecutiuè; à termino autèm ad quem per se primo.

Probatur prima pars à Caietano sic. Vnitas in motù est specifica consecutiuè, quandò consequitur ad vnitatem specificam per se primo inspectam: Sed vnitas specifica termini à quo, itá se habet respectu termini ad quem, ergo &c. Probatur minor, quià cùm motus sit via ad terminum ad quem, hunc tanquàm contrarium termino à quo per se solummodo respicit, & in quantùm contrarij sunt vnius speciei; vndè si termini ad quem sunt diuersæ speciei, & termini à quo etiàm sunt diuersæ speciei, ergo non nisi consecutiuè vnitas specifica motus erit à termino à quo.

Prob. 2. partis Caiet.

Probatur secunda pars. Motus, vt dictum est, est via ad terminum, acquisitio eiusdem, ergo hunc non potest nisi per se primo ex natura sua respicere, ab ipso perfici, & denominari, ergo non nisi ab ipso per se primo sumere vnitatem suam specificam. Consequentia prima patet; quià à calore specificatur calefactio, à sanitate, sanatio. Et Generatio dicitur perfectior alteratione, quià terminus ad quem est nobilior, cùm sit forma substantialis, termino alterationis, qui est forma accidentalis,

idest

idest qualitas. Et motus localis est perfectissimus omnium motuum corporalium, quia ille perficitur tantùm extrinsecè à termino ad quem: isti verò, & extrinsecè, & intrinsecè perficiuntur, à terminis suis ad quem. Consequentia secunda etiàm patet: quià terminus à quo siuè priuatiuus, siuè negatiuus, siuè positiuus, euanescit in motu, & nihil refert, puta quantùm ad dealbationem, si ille qui dealbatur, fuerit niger, vel pallidus, vel rubeus, ergo signum euidens est, quod tota inspectio, & cura est circà terminum ad quem, & quod sit ille, qui per se primo dat illi vnitatem specificam. Ità Caiet. loc. cit.

154. Secunda Conclusio responsiua quæsiti Caiet. quo ad vnitatem numericam motus est huiusmodi. Ad vnitatem numericam motus requiritur per se vnitas numerica mobilis, & temporis. *2. Concl. Caiet. de vnitate numerica motus habens duas partes, cùm probatione 1. partis.*

Probatur prima pars. Vnitas numerica motus est vnitas continuationis, & ideò omnes partes eiusdem numero motus, vtpotè alicuius continui, debent esse intèr se vnitæ, ergo necessario requiritur vnitas numerica subiecti, seù mobilis; patet consequentia quià hanc continuitatem non potest habere nisi in vno subiecto; & hoc indicat differentia, quæ est intèr partes continui, & contigui. Ità Caiet.

Probatur secunda pars à Caiet. sic. Vnitas numerica motus est vnitas continuationis, ergo ad continuationem partium eiusdem motus, quæ sunt etiàm eiusdem speciei, requiritur esse vnum tempus continuum mensurans omnes eius partes. Patet consequentia quià si est distinctum tempus, intercedit quies saltèm negatiua, quæ est interruptio, & intersecatio eiusdem motus, & sic ille motus non est ampliùs continuus; dicitur in consequenti, quod partes debent esse eiusdem speciei, vnitate desumpta à termino ad quem, quià quæ differunt specie non possunt intèr se continuari, & virga cuius medietas est viridis, & alia sicca, non est continua, quià sunt ibi duæ superficies quasi conglutinatæ. Et arbor alteri insita, non est vna arbor continua, sed conglutinantur ad inuicem, ità vt insita vtitur trunco vt via, per quàm recipiat humorem. Ità Caiet. loc. cit. *Prob. 2. partis Caiet.*

155. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. contrà secundam Conclusionem cùm alijs Thomistis sic. Canis viuus cadens ex alta turri, & in medio cursu moriens, est idem Canis numero, & tamèn ibi sunt duo motus, & viuentis, & mortui, ergo non requiritur vnitas mobilis ad vnitatem numericam motus. *Arg. Caiet. contrà 2. Concl.*

Resp. Caiet. cùm Thomistis (contrà Scotum, qui dicit esse idem mobile, & esse eundem numero motum, proptèr vnitatem materiæ primæ, quæ est subiectum accidentium) negando esse vnum numero motum, quià est duplex mobile: Compositum enim per D. Th. est subiectum accidentium, & in tali casu est duplex compositum, scilicet, mobile, Canis viuus, & Canis mortuus. Est vtiq; ille motus continuus extrinsecè per apparentiam, sed est duplex intrinsecè, quià separantur isti duo motus per diuersa mutata esse, & ideò intrinsecè. Ità Caiet.

156. Arguit Caiet. contrà primam Conclusionem probans in p. 2. q. 113. art. 6. ex mutationibus physicis, & spiritualibus, quod non omnis motus speciem sumit à termino. Iustificatio impij, dicitur à D. Th. quod est ipsa remissio peccatorum secundum quod motus omnis speciem accipit à termino: Sed hoc est falsùm, ergo &c. Probatur quià plùs requiritur ad esse terminum specificantem motum, quàm ad esse terminum eiusdem, & propterea licet expulsio oppositi habeat rationem vltimi termini, non habet tamèn rationem termini specificantis. Non enim specificatur illuminatio ab expulsione tenebræ, sed à lumine; malè ergo dicitur, quod motus iste dicitur remissio peccatorum, secundum quod omnis motus speciem sumit à termino, tanquàm remissio culpæ sit terminus specificans talem motum. *Arg. Caiet. contrà vnitatem specificam motus, qui dicitur mutatio ex p. 2. q. 113. art. 6.*

Resp. Caiet. ad Arg. Resp. Caiet. quod iustificatio dupliciter fieri potest, scilicet, per modum simplicis generationis ex negatione iusti ad faciendum iustum, & per modum motus de contrario in contrarium, de culpa in iustitiam. Quando primo modo fit, terminus ad quem, est sola iustitia; quando secundo modo fit, terminus ad quem est iustitia expellens culpam. Et quia ex hoc habet vltimam differentiam iustificatio ista, per quàm differt à iustificatione etiàm compari: ideò ex hac iustificatio impij dicitur sumere speciem, sicut motus à suo termino. Et ex hoc soluitur dubium in litt. articulo sexto citato, quià ad iustificationem impij concurrit remissio culpæ, vt substantia eius non absolutè, sed pro quanto speciem habet motus à termino. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. ibidem art. 6. cit. 157. Arguit secundo Caiet. contrà terminum à quo, & terminum ad quem explicatum in tertia Adnotatione suprà. Idem simpliciter non potest plurificari, & non plurificari, & hoc accipiendo terminos vniformiter, sed remissio culpæ plurificatur in iustificatione impij, consecutio gratiæ non plurificatur ergo &c. Probatur minor, quià cuilibet culpæ respondet propria remissio. Probatur quià potest remissio vnius separari ab altera, puta si commisisset tot culpas.

Confirm. Arg. Confirm. Idem non separatur ab eodem, & hoc vniformiter sumendo terminos, sed expulsio culpæ, & acquisitio gratiæ separantur ab inuicem, vt patet ex eo, quod gratia datur innocentibus Angelis, & Adæ in principio, & Deus potest de potentia absoluta parcere absq; infusione gratiæ.

Resp. ad Arg. ex Caiet. Resp. ad Argumentum Caiet. quod idem in quantum idem inconuenit multiplicari, & non multiplicari, sed in quantum alio modo differens est à se ipso, potest multiplicari, & non multiplicari. Et sic est in proposito, quià exitus à culpa in quantum est idem consecutioni gratiæ, scilicet, in quantum est eadem mutatio secundum substantiam non habet hoc, quod multiplicetur, & non multiplicetur, sed in quantum est aliquo modo differens ab ea, idest à se ipsa, vt idemtificatur illi. Differt enim in hoc, quod se tenet ex parte termini à quo, illa verò ex parte termini ad quem, & sic potest multiplicari ex hac parte, & non multiplicari ex alia.

Resp. ad Confir. ex Caiet. Resp. Caiet. ad Confirmationem, quod idem realiter, & conuertibiliter impossibile est separari, sed quæ sunt idem realiter, & non conuertibiliter possunt separari ex parte, qua non est conuertibilitas, vt patet de animali, & homine; & albedine intensa, vt iàm diximus in tertia Adnotatione. Ità Caiet. art. 6. cit. in fine Commentarijs.

QVAE-

QVÆSTIO V. QVINTI PHYSICORVM

Vndè desumenda sit contrarietas motuum

EX CAIETANO

In p. p. & in p. 2. diuersis in locis &c.

Doctr. 1. Caiet. in 2.2 q. 180. a. 6. & in p. p. docens quod motus carens contrarietate reddit mobile incorruptibile.

158. ADnotat primo Caiet. pro contrarietate motuum in 2. 2. q. 180. art. 6. & in p. p. quod corpus Cœleste habet naturalem motum diuersum à naturali motu Elementorum, & ideò sequitur, quod eius natura sit alia à natura quatuor Elementorum. Et sicuti motus circularis, qui est proprius corporis Cœlestis, caret contrarietate, & motus Elementorum sunt inuicèm contrarij vt qui est sursum, est contrarius ei, qui est deorsum; Ità corpus Cœleste est absq; contrarietate, corpora verò Elementorum sunt cùm contrarietate, & quià corruptio, & generatio sunt ex contrarijs, sequitur, quod secundum suam naturam corpus Cœleste est incorruptibile: Elementa verò sunt corruptibilia. Hoc idem confirmat Caiet. cùm D. Th. in 2. 2. art. 6. cit. Motus corporales locales sunt perfectiores alijs motibus, & sunt primi vt probatur in 8. Phys. 55. & 57. tex. & ideò sub eorum similitudine potissimæ operationes intelligibiles describuntur, quorum quidèm sunt tres differentiæ. Nàm quidam est circularis, secundum quem aliquid mouetur vniformitèr circà idem centrum. Alius autèm est rectus secundum quem aliquid procedit ab vno in aliud. Tertius autèm est obliquus, quasi compositus ex vtroq; & ideò in operationibus intelligibilibus id quod simplicitèr habet vniformitatem, attribuitur motui circulari. Operatio autèm intelligibilis secundum quam proceditur de vno in aliud, attribuitur motui recto. Operatio autèm intelligibilis habens aliquid vniformitatis simùl cùm processu ad diuersa attribuitur motui obliquo. Addit Caiet. Et scias quod iste sermo est parabolicus ad similitudinem motus circularis, qui proprius est Cœlo; & motus recti, scilicet, à medio, vel ad medium, qui proprius est Elementis: & motus obliqui, quem experimur continuè in agitatione ventorum, & proprius est mistis. Vndè non opportet omnimodam similitudinem in metaphora hac quærere, sed sat est, quod intelligitur de motibus hominis, & Angeli. Ità Caiet.

Doctr. 2. Caiet. in p. 2. q. 35. a. 4. quandm sit contrarietas secundum formam genericam, & secundum formam specificam.

159. Adnotat 2. Caiet. in p. 2. q. 35. art. 4. cùm D. Th. in corpore quod in 10. Met. Contrarietas est differentia secundum formam: Forma autèm est, & generalis, & specialis, vndè contingit esse aliqua contraria secundum formam generis, sicut virtus, & vitium; & secundum formam speciei sicut iustitia, & iniustitia. Est tamèn considerandum quod quædam specificantur secundum formas absolutas, sicut substantiæ, & qualitates: quædam verò specificantur per comparationem ad aliquid extrà sicut passiones, & motus recipiunt speciem ex terminis, & in his contingit, quod species contrariorum generum, non solùm non sunt contrariæ ad inuicem, sed etiàm habent quamdam conuenientiam, & affinitatem, eo quod eodem modo se habere ad contraria contrarietatem inducit, sicut accedere ad album, & acce-

dere ad nigrum, habet rationem contrarietatis: sed contrario modo se habere ad contraria habent rationem similitudinis, sicut recedere ab albo, & accedere ad nigrum: & hoc maximè apparet in contradictione, quæ est principium oppositionis. Nàm in affirmatione, & negatione alterius, attenditur conuenientia, & similitudo, vt si dicam nigrum, & non album. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in p. p. q. 23. a. 2. quod contrarietas motuum infert contrarietatem in passionibus, qui sũt quidam motus.

160. Adnotat Caiet. in p. p. q. 23. art. 2. cùm D. Th. in corpore. Quod passio quidam motus est, vt dicitur in 3. Phys. tex. 19. 20. 21. & alijs. Vndè opportet contrarietatem passionum accipere secundum contrarietatem motuum, vel mutationum. Est autèm duplex contrarietas in mutationibus, & motibus vt dicitur in 6. Phys. à tex. 46. vsq; ad 52. Vna quidèm secundum accessum, & recessum ab eodem termino: quæ quidèm contrarietas est propriè mutationum, idest generationis, quæ est mutatio ad esse, & corruptionis, quæ est mutatio ab esse. Alia autèm secundum contrarietatem terminorum, quæ propriè est contrarietas motuum; sicut dealbatio quæ est motus à nigro in album, opponitur denigrationi quæ est motus ab albo in nigrum, & in passionibus irascibilis inuenitur contrarietas secundum contrarietatem boni, vel mali, sicut intèr spem, & timorem. Et iterum secundum accessum, & recessum ab eodem termino, sicut intèr audaciam, & timorem. Ità Caiet. cùm D. Th. art. 2. cit. q. 23.

Opinio Scoti recitata à Caiet. de contrarietate motuum in gradibus remissis in p. 2. q. 52. art. 2.

161. Quo ad secundum quæ de contrarietate motuum dicuntur à D. Th. & à Caiet. ab omnibus approbantur. Contrà Scotum Caiet. in p. 2. q. 52. art. 2. habet hoc tantùm, scilicet, falsum esse quod contrarietas in motibus remissis sit compossibilis, idest falsum esse, quod motus contrarij in gradu remisso, licet non in summo, sint compossibiles falsum est, ait Caiet. loquendo de contrarijs formalitèr, non virtualitèr inuentis in medio, & falsum est etiàm secundum se, licet non secundum extrinsea, puta secundum animam, vel Cœlum, vel formam misti. Contraria enim cùm ex specifica differentia contraria sint, vt patet in 10. Met. ex hoc sunt incompossibilia in eodem; vndè Arist. omnes conditiones contrariorum, intèr quas est incompossibilitas in eodem, reducit ad perfectam differentiam, vt patet ibidem. Contraria ergo in quocumq; sint gradu, contraria sunt, & incompossibilia in eodem, & alterum contrà alterum pugnat, quod autèm in mistis maneant remissa, hoc facit forma misti continens; & nihilominus mutuò contrà se nituntur remissa, sicuti in summo, proportionalitèr tamèn. Ità Caiet. art. cit.

Concl. Caiet. responsiua quæsiti ex loc. cit. cùm sua probatione.

162. Quo ad 3. Sit Vnica Conclusio responsiua Quæsiti Caiet. Contrarietas intèr motum, & motum, & intèr motum, & quietem, primo, & per se attenditur penès terminos ad quos; extrinsecè autèm, & per concomitantiam, seù consecutiuè, quod est idem, penès terminos à quo.

Probatur à Caiet. primo locis citatis. Contrarietas motuum intèr se, & intèr quietem, & motum oritur tota ex eorum vnitate specifica: sed vnitas specifica est primo, & per se penès terminos ad quem; consecutiuè verò penès terminos à quo, ergo vera Conclusio. Maior constat euidentèr intèr contrarietatem qualitatum; àn verò possint esse simul spectat ad libros de Gen. Minor probata est in præcedenti quæsito. Moueri enim à contrario termino dicit recessum: moueri autèm ad contrarium terminum dicit acessum; cùm hoc tamèn, quod motus, vt motus principalitèr, & per se dicit acessum, & ideò à termino ad quem sumit speciem per se primo. Ità Caiet.

Explicatio eiusdem prob. in p. 2. q. 52. art. 2.

Quod verò maior sit contrarietas intèr motum, & motum, quàm intèr motum, & quietem: Constat ex S. Doctore, quià motus calefactionis non potest esse simul cùm motu frigefactionis in æquali gradu; benè tamèn potest esse simul, cùm frige-

factio-

factione in aliqua quiete, scilicet, in gradu remisso: quià id quod calefit recedit à frigore, & quod frigefit accedit ad frigus, & sic mouetur prædictis motibus contrarijs in quocumque gradu; sicuti etiàm idem mobile non potest simul accedere, & recedere ad vbi sursum, & deorsum, etiàm si ille acessus, & recessus sit exiguus; vndè concesso quod duæ qualitates calor, & frigus possint esse simul: non tamen potest concedi, quod duo motus contrarij possint esse simul, quià motus, seù fieri vnius formæ contrariæ quantum est ex se, est abiectio alterius, & impedimentum motus, seù fieri quo ad aliud contrarium. Ità Caiet. in p. 2. q. 52. art. 2. contrà Scotum, & alibi in Commentarijs, &c.

163. Quo ad quartum Arguit Caiet. ex D. Th. in p. 2. q. 35. art. 6. contrà id, quod maior sit contrarietas intèr motum, & motùm, &c. Actio contrarij, facit ad velocitatem, & intensionem motus: Aqua enim callida citius, & fortius gelatur, vt dicit Philosophus in lib. 1. Met. ergo &c. *Arg. Caiet. in D. Th. p. 2. q. 35. art. 6.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad secundùm art. cit. quod alitèr est in motu, qui est ab interiori, & alitèr in motu, qui est ab exteriori. Motus enim, qui est ab interiori, magis tendit in id, quod est conueniens, quàm recedat à contrario, vt dicitur de motu naturali: sed motus, qui est ab extrinseco, intenditur ex ipsa contrarietate, quià vnùmquodque suo modo nititur ad resistendum contrario, sicut ad conseruationem sui ipsius. Vndè motus violentus intenditur in principio, & remittitur in fine. Et loquendo de motu appetitiuæ partis ab intrinseco, cùm sit ab anima ad res, ideò per se loquendo magis appetitùr delectatio, quàm quod fugiatur tristitia; motus verò sensitiuæ partis est ab exteriori, quasi à rebus ad animam: vndè magis sentitur, quod est magis contrarium, & sic etiàm per accidens in quantùm sensus requiritur ad delectationem, & tristitiam, magis fugitur tristitia, quam delectatio appetatur. Addit Caiet. ad secundum. Aduerte, quod motus ab extrinseco ex parte actiui est fortior in principio ex ratione contrarietatis, quià vnumquodq; & se ipsum imprimere, & opposito contrarianti obsistere nititur. Ex hoc sequitur, quod triste coniunctum fortius agit vt potè contrarium, & consequentèr magis sentitur priuatio delectationis, quàm sentiebatur ipsius coniunctio; & sic per accidens vehementius fugitur tristitia, quàm acceptabatur delectatio, ratione cuius hæc fugitur. Ex parte patientis motus ab extrinseco minor est in principio. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg.*

LIBER SEXTVS
Physicorum

QVÆSTIO PRIMA

Vtrùm continuum componatur ex Solis indiuisibilibus

EX CAIETANO

In suis Commentarijs multis in locis.

Explicatio status quæst. facta à Caiet. remittendo Discipulum Thomistam ad Physicam suam conscribendã suo tempore, quæ vsq; inuenta non est: sic p. p. q. 53. art. 1. in principio art.

164. CAiet. in p. p. q. 53. art. 1. quærendo cùm D. Th. Vtrùm Angelus possit moueri localitèr, promittit se resoluturum hanc præsentem quæstionem in 6. Physicorum de diuisione motus penès partes ex quibus integratur, scilicet, de compositione continui; in præcedentibus enim Arist. explicauit diuisionem motus per eius species, & contrarietates. Et concludit sic pro explicatione tituli. Corpus est in loco, & commensuratum ei, ergo motûs eius necessariò est secundum exigentiam loci, ac per hoc ex continuitate eius est continuitas motus, & ex priori, & posteriori eiusdem, est prius, & posterius in motu, ergo Angelus qui non est corpus, &c. Assumpta patent ex præcedenti quæstione 52. & ex 6. Physicorum: remanet tamên hic vnum dubium an vera sit illa propositio causalis, quod continuitas ex magnitudine, seù spatio redundet in motum, per hoc, quod mobile commensuratur illi magnitudini, ex hoc enim pendet, quæstionis multiplicis solutio, an, scilicet, indiuisibile possit moueri, vt subiectum veri motus localis continui, & an diuisibilitas spatij sola, sit sufficiens ratio continuitatis motus, &c. Et quoniàm hæc dubitatio 6. Phys. est propria, ideò ibidem discutienda est, Domino concedente, vbi opinio, & rationes Scoti circà hoc in 2. sent. dist. 2. q. 9. examinabuntur. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. in p. p. q. 85. art. 8. explicans de quo indiuisibili sit sermo in quæstione præsenti.

165. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 85. art. 8. cùm D. Th. in corpore circà ly indiuisibile quod indiuisibile in 3. de anima tex. 23. 24. & 25. dicitur triplicitèr. Vno modo sicut continuum est indiuisibile, quià est indiuisum in actu, licet sit diuisibile in potentia. Et huiusmodi indiuisibile priùs est intellectum à nobis quàm eius diuisio, quæ est in partes: quià cognitio confusa est prior, quàm distincta, vt diximus in primo Phys. Alio modo dicitur indiuisibile secundum speciem, sicut ratio hominis est quoddam indiuisibile. Et hoc etiàm modo indiuisibile est prius intellectum, quàm diuisio eius in partes rationis vt dicitur in art. 2. q. 85. ad tertium. Tertio modo dicitur indiuisibile, quod est omninò indiuisibile, vt punctus, & vnitas, quæ nec actu, nec potentia diuiduntur, & huiusmodi indiuisibile per posterius cognoscitur per priuationem diuisibilis; vndè punctum priuatiuè diffinitur. Punctum est cui pars non est. Et similitèr ratio vnius est quod sit indiuisibile vt dicitur in 10. Met. Et huius ratio est, quià tale indiuisibile habet quandam oppositionem ad rem corporalem, cuius quidditatem primo, & per se intellectus accipit. Et addit

dit Caiet. Aduerte hic, quod genus hoc tertium indiuisibilium, quod solum propriè dicitur indiuisibile, dicitur opponi rei corporeæ, quià priuatiuè opponitur illi, dùm hoc priuatione diuisionis reperibilis in continuo, & numero, indiuisibile est, & dicitur. Et de hoc indiuisibili est sermo in præsenti quæstione quando quæritur an indiuiduum componatur ex solis indiuisibilibus. Ità Caiet. in loc. cit. q. 85.

166. Adnotat secundo Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 8. art. 1. in Resp. ad secundum quod indiuisibile est duplex, vnùm quod est terminus continui, vt punctus in permanentibus, & momentum in successiuis. Et huiusmodi indiuisibile in permanentibus, quià habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis; & similitèr indiuisibile actionis, vel motus, quià habet determinatum ordinem in motu, vel actione non potest esse in pluribus partibus temporis. Solùm indiuisibile, quod est extrà totum genus continui, vt substantiæ in corporeæ, Deus, Angelus, & Anima non applicatur ad continuum, sicut aliquid eius, sed in quantum contingit illud sua virtute, vndè secundum quod virtus sua, se potest extendere ad vnum, vel multa, ad paruum, vel magnum, secundum hoc est in vno, vel in pluribus locis, & in loco paruo, vel magno. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. ex p. p. q. 8. in Resp. ad 2. explicans vt fuerit ipsum indiuisibile.

167. Quo ad secundum Caiet. cum D. Th. & tota Scola Thomistica ait, in continuo sunt ponenda necessariò indiuisibilia continuatiua, & terminatiua, vt entia realia positiua, distincta realitèr intèr se, & à partibus, vt res à re; & cum sint actu in continuo reddunt partes formalitèr vnibiles; vndè iàm est antiquata illa sententia Stoicorum, Zenonistarum, Pythagoricorum, Leucippi, & Democriti, qui dixerunt continuum non componi ex partibus, sed ex quibusdam athomis inuisibilibus extractis à quodam chaos magno, & sic secundum istos mundus consurrexit ex concursu indiuisibilium.

Opinio D. Th. recitata contrà illam Philosophorum antiquorum.

Moderni conantur suscitare de sepulcro hanc opinionem, contrà quos stat Caiet. & Magistes noster Picinardus Brixiensis olim publicus Metaphysicæ professor in Vniuersitate Patauina celeberrima, & modo Theologus Vniuersitatis instituendo quæstionem famosissimam nouissimis hisce nostris temporibus in sua Philosophia prælo mandata dogmatica. Legas ipsum, si vis, ò Thomista; cùm Caiet. loc. cit. & in sua Logica, & in Comment. vbiq; probando, quod dentur in indiuisibili continuo indiuisibilia tàm terminatiua quàm continuatiua.

168. Quo ad tertium vnica Conclusio Caiet. ex suis Comment. sic ponitur. Indiuiduum continuum non constat ex solis indiuisibilibus: sed coalescit ex indiuisibilibus tàm terminatiuis, quàm continuatiuis partium ipsius indiuidui.

Conclus. Caiet. habens duas partes cùm probatione 1. partis.

Probatur prima pars negatiua à Caiet. ratione à priori sic. Omne continuum debet necessariò coalescere ex his, ex quibus nata est resultare propria ipsius extensio, cum eam aliundè non habeas, ergo ex solis indiuisibilibus non potest constare. Probatur hoc. Ex his, quæ carent extensione non potest resultare extensio non enim resultat extensio ex partibus, nisi quatenus illæ suam entitatem, & extensionem, qua pollent, ipsi toti communicant. Ergo impossibile est quod ex his constet, & coalescat continuum cum sua extensione; patet hoc, quià indiuisibile, & inextensum idem sunt.

Confirmatur à Caiet. alibi cum D. Th. si vna linea constat v. g. ex solis decem punctis, non potest dici maior alia, quæ constet ex vndecim; ergo ex his solis continuum non potest constare. Consequentia patet euidentèr, quià punctum nullius est extensionis, & magnitudinis, & per consequens repugnat quod vna linea ratione illius puncti in quo excedit alteram sit longior alia; sicut impossibile est omninò,

Confirm. ratione 1. pars Conclus. à Caiet.

quod

quod vnum corpus ſit magis album, quàm aliud, ratione alicuius entitatis, quæ non ſit albedo. Ità Caiet. pluribus in locis Comment.

Probatio Caiet. pro 2. p. Concluſ. Probatur ſecunda pars ab eodem Caiet. Si non darentur indiuiſibilia terminatiua contigua non poſſent ſe realitèr tangere; Et ſi non admitterentur continuatiua, nulla eſſet differentia intèr contigua, & continua, ergo &c. Probatur à Caiet. prima ſequela: non enim illa poſſunt ſe realitèr tangere in carentia extenſionis, cùm hæc nihil ſit; neque in profunditate partium, quià vnum corpus non poteſt tangere profunditatem alterius, niſi intromittatur in illud, ſaltèm ſecundum aliquam ſui partem; & ſic fieret aliqua penetratio, quæ naturalitèr eſt impoſſibilis, ergo ſolum ſe tangunt ratione illorum, &c.

Probatur à Caiet. Secunda ſequela, quià ſi duæ partes quantitatis continuæ non addunt nexum poſitiuum, ideſt indiuiſibile quo nectantur, fit vt duæ partes vnius lapidis ſint continuæ, & per conſequens, quod ſint eiuſdem naturæ, & quod non diſtent intèr ſe: ſed hoc totum habent duo lapides intèr ſe contigui, ergo vera eſt ſecunda ſequela. Ità Caiet.

Arg. Caiet. contrà 1. p. Concluſ. 169. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà ſuam Concluſionem quo ad primam partem in Comment. ſub tali forma. Dantur ſola indiuiſibilia, quæ componunt formalitèr continuum, ergo &c.

Probatur antecedens. Vnitas prædicamentalis ſecundum ſe eſt indiuiſibilis, & tamèn vnita alijs vnitatibus facit numerum, qui verè eſt quantitas extenſa. Itèm inſtans temporis additum tempori reddit ipſum longius; quià res durans per horam, & in inſtanti eius terminatiuo, magis videtur durare, quàm illa quæ duraret per horam, & deſineret in inſtanti terminatiuo, quià de prima re verificatur, quod ſit, de ſecunda re, verificatur, quod non ſit. Cur, ergo punctum, quod per te eſt inextenſum ſecundum ſe, eodem modo non efficiat, ſi cum alijs punctis coniungatur, quantitatem in extenſam?

Confirm. Arg. Caiet. contrà 1. p. Concluſ. Confirmatur Argumentum de puncto, ſeù de globo ſuper planum perfectè ſphærico, qui ſuper corpus perfectè planum motu continuo moueretur, & tamen tangeret in puncto vt demonſtrat Euclides lib. 3. prop. 16.

Reſp. Caiet. ad Argum. Reſp. Caiet. ad Argumentum ad primum exemplum, quod non eſt ſimile de quantitate continua, & de diſcreta, quià ad hanc formalitèr ſumptam non deſideratur magnitudo extenſionis, ſicut deſideratur, ad illam, ſed tantùm deſideratur magnitudo pluralitatis; Ideò quantitas continua non poteſt componi ex ſolis indiuiſibilibus: bene tamèn diſcreta ex vnitatibus formalitèr indiuiſibilibus, & materialitèr extenſis. Indiuiſibile enim additum indiuiſibili, licet non faciat maius, aut extenſius, facit tamèn plus. Et ſic Reſp. ad ſecundum exemplum, quod inſtans facit maius in duratione, non tamèn maius aut extenſius tempus: quià maius tempus, quod eſt quid quantum, importat maiorem extenſionem, & ſic non dicitur tempus extenſius: at duratio, quià abſtrahit ab extenſione, & non extenſione: ſicut enim poteſt dari ſucceſſiua duratio, & quantitatiua, qualis eſt tempus, ità duratio indiuiſibilis; vnde maior duratio, ſeù magis durationis poteſt prouenire ab eo, quod eſt omnino indiuiſibile. Lineæ, ſi addatur aliquod punctum, habebit plus de entitate, quæ abſtrahit à diuiſibili, & indiuiſibili, non verò eſſe maior, aut longior entitas, ratione dicta. Ità Caiet.

Reſp. ad Confirm. Arg. Ad Confirmationem relictis alijs reſponſionibus. Caiet. Reſp. quod admittendo illum globum ſphæricum continuè tangentem planum, non tamèn in illo caſu tangeret in punctis dumtaxat, ſed tangeret in punctis, & etiàm in partibus indeterminatis minoribus, & minoribus in infinitum. Itaq; globus ille percurrendo planum,

non

non solùm tangeret omne determinatum, quod est solùm indiuisibile, sed etiàm tangeret indeterminatum, dicens partes minores, & minores, quæ appellantur proportionales. Ità Caiet.

170. Arguit Caiet. contrà secundam partem Conclusionis. Prescindamus per intellectum lineam à puncto terminatiuo, non minùs manebit simplicitèr finita sinè illo, quàm cum illo; ergo ad quid recurrere ad terminatiuam? Et separentur per potentiam Diuinam à linea omnia continuatiua, in tali casu reuera maneret continua, quià illud, quod remaneret in linea, non esset aliquod indiuisibile alioquin non essent ablata omnia indiuisibilia, sed diuisibile, & esset continuum habens partes intrinsecè vnitas sinè punctis: ad quid ergo recurrere ad puncta continuatiua? &c. *Argum. Caiet. contrà 2. p. Conclusionis.*

Resp. Caiet. ad primum suppositum; quod indiuisibilia non sunt necessaria ad terminandum vtcumque quantitatem, sed ad eam positiuè finiendam: quantitates enim nisi maneant positiuè terminatæ non poterunt contiguari, nec tangere se sine penetratione: sola autèm entitas vltimæ partis, non est satis ad positiuè finiendum: ideoque requiruntur indiuisibilia terminatiua; Vndè si per intellectum præscindatur linea à puncto, manebit finita negatiuè; non positiuè. Ad secundum dicitur quod est impossibile, quià alias maneret continuum diuisum in omnem sui partem vt supponitur, & non maneret diuisum in omnem sui partem, cùm sit contrà naturam continui, vt diuisione exhauriatur. Vndè ablatis omnibus indiuisibilibus continuatiuis, quæuis alia entitas perit, quæ in ipso continuo reperitur. Ità Caiet. pluribus in locis. *Resp. Caiet. ad Argum.*

QAESTIO II. SEXTI PHYSICORVM

Vtrùm partes in continuo sint infinitæ

EX CAIETANO

Pluribus in locis suorum Commentariorum.

171. CAiet. in sua Logica cap. de Quant. probata necessitate ponendi indiuisibilia continuatiua, & terminatiua in continuo quanto, quæ in linea sunt puncta; in superficie sunt lineæ pro vt indiuisibiles secundum latitudinem; in corpore sunt superficies pro vt indiuisibiles secundum profunditatem; in tempore, & in motu sunt instantia: probat cum Arist. in eodem capite, quod indiuisibile est illud, quod habet positionem in continuo, & caret diuisione quantitatiua. Et ait, quod continuo successiuo, scilicet, tempori deseruiunt instantia, quibus partes copulantur, & terminantur. Et motui deseruiunt alia indiuisibilia, quæ dicuntur mutata esse: Motus enim in fieri terminatur per mutatum in facto esse, & hoc ipsum copulat vnam partem cùm alia, nisi ibi sistat motus: hæc autèm mutata esse in motu correspondent ipsis instantibus temporis, & distinguuntur sicuti motus, & tempus. His probatis, quærit Caiet. An in continuo sint actu partes aliquotæ, & partes proportionales, & istæ an sint infi- *Explic. quæst. facta à Caiet. in sua Logica cap. de Quant.*

 nitæ

nitæ in actu, vel in potentia. Itá Caiet. in sua Logica cap. de Quant. cit.

Doctr. 1. Caiet. de partibus aliquotis, & proportionalibus ex D. Th. in Comment. & cap. in quant.

172. Adnotat primo Caiet. in sua Logica, & in Comment. ex D. Th. Quod partes continui aliquotæ, sic dicuntur, quiá sunt æquales, & eiusdem magnitudinis ad inuicem v. g. in ipsa vlna, vnus palmus est pars æqualis, quiá est æqualis magnitudinis cùm alio palmo. Vocatur etiàm aliquota, quiá si aliquotiès repetatur, tùnc exhauriet, & mensurabit totum continuum, & vocatur etiàm pars non se communicans, quiá in cæteris non continetur, sed est omninò extrà illas; & vocatur etiàm pars signata, seù designata, quiá est determinatæ magnitudinis: de his partibus non est difficultas, quiá constat ad sensum, quod dentur. Aliæ partes in continuo dicuntur proportionales, quæ continentur in aliquotis, quiá componunt cum quadam proportione, quæ quidem proportio consistit in eo quod in maioribus sunt inclusæ minores, & in his includuntur aliæ minores, & in his aliæ, & sic in infinitum, & per hoc solent dici minores, & minores, medietas medietatis. Et vocantur partes se communicantes, quiá cum æqualibus communicant; & vocantur indesignatæ, seù indeterminatæ: quiá quamuis debeant habere aliquam magnitudinem, seù extensionem, non tamèn requirunt illam, quæ sit signata, vel determinata: quælibet enim sufficit, vt componat alias æquales. Itá Caiet. ex D. Th. de quibus solùm est difficultas, &c.

Doctr. 2. Caiet. ex p. p. q. 53. a. 2. cum D. Th. quod intèr duo loca sint infinita loca media, & intèr duas partes sunt infinitæ partes proportionales.

173. Adnotat Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 53. art. 2. in corpore quod motus localis in loco potest esse continuus, & non continuus: intèr quælibet autèm duo loca extrema, sunt infinita loca media, siuè accipiantur loca diuisibilia, siuè indiuisibilia. Et de indiuisibilibus manifestum est: quiá intèr quælibet duo puncta, sunt infinita puncta media, cùm nulla duo puncta consequantur se ad inuicem sine medio, vt in 6. Phys. in principio libri probatur. De locis autèm diuisibilibus necesse est dicere. Et hoc sic etiàm sensibilitèr apparet. Sit enim vnum corpus vnius palmi, & sit via per quam transit duorum palmorum, manifestum est, quod locus primus à quo incipit motus, est vnius palmi, & locus ad quem terminatur motus, est alterius palmi. Manifestum est autèm, quod quando incipit moueri, paulatim deserit primum palmum, & subintrat secundum; ex hoc, ergo quod diuiditur magnitudo palmi, secundum hoc multiplicantur loca media; quiá quodlibet punctum signatum in magnitudine primi palmi, est principium vnius loci: & punctum signatum in magnitudine alteriùs palmi, est terminus eiusdem. Vndè cum magnitudo sit diuisibilis in infinitum, & puncta sint etiàm infinita in potentia in qualibet magnitudine: sequitur quod inter duo loca, sint infinita loca media. Mobile autèm infinitatem mediorum locorum non consumit nisi per continuitatem motus, quiá sicut loca media sunt infinita in potentia; itá, & in motu continuo est accipere infinita quædam in potentia: si ergo motus non sit continuus, omnes partes motus erunt numeratæ in actu. Si ergo mobile quodcumque moueatur motu non continuo sequitur, quod vel non transeat omnia media, vel quod actu numeret media infinita, quod est impossibile. Moueri autèm de extremo in extremum, & non per medium, non potest conuenire corpori: quiá corpus mensuratur, & continetur, sub loco; vndè oportet quod sequatur leges loci in suo motu. Itá Caiet. cum D. Th.

Duæ partes continui, formalitèr loquendo, secundum Caiet. duo loca non sunt, quæ vis sic formalitèr non distant,

174. Addit Caiet. quod S. Doctor optimè dixit, quod intèr quælibet duo loca sunt infinita loca media, & non dixit quod intèr quaslibet duas partes sunt infinitæ partes, quiá ibi suprà loc. cit. tantùm de pluralitate locorum, vt plura sunt formalitèr, loquebatur, & non de partibus continui absolutè: quiá duæ partes continuæ magnitudinis dupliciter sumi possunt vno modo ex ea parte qua continuantur, vel contiguantur, & sic cùm in eodem sint loco, duorum locorum rationem habere non pos-

possunt: Si verò sumantur ex ea parte, qua aliqualitèr ab inuicem distant sic de vna in aliam potest esse motus localis, & intèr eas sunt infinita media tàm diuisibilia, quàm indiuisibilia, vt patet ex ratione continui. Ità Caiet. in Comment. art. 2. cit. q. 53 p. p.

Quo ad secundum Caiet. pro sua opinione communi omnibus Thomistis, quod, scilicet, in continuo dentur partes proportionales infinitæ citat D. Th. p. cont. gent. c. 25. & in p. sent. dist. 8. q. 1. art. 1. & q. 1. de verit. art. 1. prætèr ea, quæ expresè habet in q. 53. p. p. art. 2, per extensum.

175. Quo ad tertium vnica Conclusio à Caiet. ponitur cum D. Th. in p. p. q. 53. art. 2. Intèr quaslibet duas partes in magnitudine continua, sunt infinitæ partes proportionales.

Conclusio Responsiua quæsiti Caiet. ex p. p. q. 53. art. cum sua probatione formalizata ex Doctrina 2. posita supra in explicatione quæst. &c.

Probatur à Caiet. ex D. Th. Doctrina sua secunda suprà art. 2. cit. tali ratione in forma. Media intèr quæcumque extrema loca sunt infinita: ergo partes proportionales intèr quascumque partes sunt infinitæ, vel dicatur sic, ergo medietates partium proportionalium sunt infinitæ. Antecedens probatum est suprà à D. Th. in Doctrina secunda allata, tùm quo ad loca diuisibilia, tum quo ad indiuisibilia, ratione, & inductione; Consequentia satis euidentèr ex antecedenti est deducta, quià in tantùm intèr duo loca sunt infinita loca media, in quantùm illa duo loca habent rationem magnitudinis continuæ, & cùm de ratione magnitudinis sit esse diuisibilem in infinitum sequitur necessario quod si inter duo loca, &c. etiàm intèr duas partes, sint infinitæ partes proportionales in potentia: quoniàm infinitas potentialis, ab infinitate potentiali æquari potest, sibique inuicem possunt respondere, vt quemadmodum in locis sunt infinitæ partes, & infiniti termini in potentia, ità in correspondente sibi, sit potentialis infinitas partium, & terminorum, vt partes partibus, & termini terminis, æquentur, ergo loca siue sint diuisibilia siuè indiuisibilia, & inter partes siue sumantur medietates, siuè indiuisibilia, semper inter illa, & intèr istas, erunt infinita loca media, & infinitæ medietates, cum infinitis indiuisibilibus continuatiuis, & terminatiuis partium continui eiusdem seù magnitudinis continuæ. Et non potest dici quod sint finitæ, quià demus quod in continuo sint duæ, vel decem partes, inquiritur an quæuis earum sit vltrà diuisibilis, nec ne? Si hoc secundum dicatur, ergo continuum istud constat solum ex duobus indiuisibilibus, vel decem, si quidem solùm constat est illis duabus, vel decem partibus, vel viginti, &c. quæ hoc ipso quod non sunt vlterius diuisibiles, sunt indiuisibiles; si dicatur primum, iàm illæ partes non erant duæ, nec decem, nec viginti, sed quattuor, vel viginti, vel quadraginta; & cum de istis, & de alijs idem argumentum fieri possit vsque in infinitum, dicendum necessario est, ibi esse multitudinem partium infinitam, ità vt non possit in ea assignari prima, & vltima. Ità Caiet. loc. cit. & alibi.

176. Quo ad quartum Arguit Caiet. sic. Ex 4. sent. dist. 10. q. 1. art. 3. In illo continuo, vel partes istæ proportionales sunt entia actu plura, vel in potentia tantùm: neutrum dici potest, ergo &c. non primum, quià daretur infinitum in actu, & Corpus Christi esset infinities sub dimensionibus ijsdem panis, cùm dimensiones panis remanentes possint in infinitum diuidi. Non secundum quià si ob aliquam rationem non essent actu plura entia, vt constituant multitudinem infinitam, esset maximè ex hoc, quià existunt per vnam, & eamdem essentiam totius: sed hæc ratio est nulla, quià si daretur, quantitas habens infinitas partes æquales, seù aliquotas esset simplicitèr infinita, & eius partes essent infinitæ secundum multitudinem: & tamèn nulla earum haberet propriam existentiam, sed existerent per existentiam totius, ergo &c. Ità Caiet. 3. p. q. 76. art. 3. ad primum.

Arg. vnicum Caiet. sumptum ex D. Th. 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 3. & 3. p. q. 76. art. 3. ad primum.

Resp. Caiet. ad Arg. D. Th. art. 3. cit. ad 3. soluens quæcumque alia Argum. quæ possent afferri cõtrà Conclus.

Resp. Caiet. ex D. Th. ad tertium loc. cit. quod partes illæ non sunt actu plura entia, sed tantùm in potentia, quià ens dicitur ab actu essendi, seù existendi, & ideò quod non habet proprium esse actu, non dicitur ens actu, & consequentèr, quià partes continui non habent in illo proprium esse seù existentiam ideò non dicuntur propriè, plura entia actu, nec ibi adest numerus, quià numerus propriè importat multitudinem actu diuisam.Ità paritèr Corpus Christi antè diuisionem hostiæ, quamuis sit totum in qualibet parte hostiæ, non est tamèn pluries actu sub partibus illis, sed tantùm potentia, nec est inconueniens, quod sit ibi infinities in potentia: quià vt toties cùm Arist. S. Doctor repetit, vnitas rei consequitur esse ipsius: partes autèm homogenei continui, antè diuisionem non habent esse actu sed potentia tantum: & ideò nulla illarum habet vnitatem propriam in actu, vndè actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantùm. Ità Caiet.

177. Ad obiectionem Resp. Caiet. negando paritatem, quià, & si omnes partes illius quantitatis infinitæ non existerent per se de facto, haberent tamèn potentiam proximam ad sic existendum, quià omnes illæ possent esse separatæ, cum sint aliquotæ, & æquales vni signatæ: at partes verò proportionales infinitæ, quæ sunt in continuo finito, nullo modo possunt esse simul separatæ. Concluditur ergo quod si daretur quantitas continua habens infinitas partes æquales vni certæ, esset ibidem simplicitèr infinitum in actu, non quià haberet infinitas partes, quæ essent entia actu: sed quià haberet illas potentes proximè per se existere simul, & esse entia in actu simul. Non autèm sic potest dici de quantitate continua habente infinitas partes proportionales, quæ non sunt actu plura entia, sed tantùm in potentia; & ideò non sequitur dari infinitum in actu, Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

LIBER

LIBER SEPTIMVS Physicorum

QVAESTIO PRIMA

Vtrùm ista propositio omne quod mouetur ab alio mouetur comprehendat omnia corpora

EX CAIETANO

Pluribus in locis Commentariorium cùm D.Th.

Explicatio status quæstionis facta à Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. & in 3. p. q. 32. art. 4.

178. Caietanus cùm Arist. & D. Th. in hoc libro 7. Phys. prosequitur inuestigationem motus in ordine ad primum motorem, qui ostenditur primo primus ex natura ipsius motus in hoc eodem 7. libro, & 8. ab Aristotele; vndè natura, quæ est principium ipsius motus, & de qua egit in primo, & secundo Phys. non est primum mouens, sed solus Deus est ipsum primo primum mouens immutabile, & æternum, & hoc probat Arist. ex duobus his principijs, ex primo, scilicet, quod omne quod mouetur ab alio mouetur; ex hoc alio secundo, scilicet, quod non datur processus in infinitum in causis mouentibus. Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. probat cùm D. Th. quod Deus sit, ex prima ratione desumpta ex parte motus ex 7. & 8. Phys. Scotus, impugnat hanc propositionem, nihil mouet se ipsum primò, in materia de grauibus, & leuibus, & voluntate &c. Sed quoniàm hoc esset exire nostros limites, erit de hoc quæstio specialis, quæ tractatur in præsenti libro 7. (& in 3. p. q. 32. art. 4. ait hic aduerte, (scilicet, in art. 4.) quod opportet digredi ad quæstiones multas si examinandæ essent hæ rationes. Nàm & de inchoatione formarum, & de motu grauium, & leuium, & de maxima, atq; vetustissima ambiguitate, scilicet, an aliquid se ipsum mouere possit, tractare; opporteret non Theologiam, sed puram Philosophiam tradere opere longo, propterea extrà librum hunc (scilicet, 3. p.) sunt tractanda, & proprius locus est hic 7. Physicorum huius primæ quæstionis, quod est idem quærere, an aliquod corpus possit se ipsum mouere primo, ità vt ab alio non moueatur. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. pulcherrima Caiet. ex p. p. q 3. a. 2. docens quomodo esse mouentium per se primo conueniat corporeo agenti, & mouenti.

179. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 3. art. 2. quod posset dubitari, an ex hoc quod aliquid est per se primo agens, inferri possit, quod sit per se primo forma, vt infert S. Doctor in art. 2. cit. vel hoc tantùm, scilicet, quod per se primo habeat formam, quæ est sola ratio agendi. Et ideò opportet aduertere duo; primò, quid importet ly per se primo; secundo quod sermones interpretandi sunt semper secundum subiectam materiam: ex his enim omnia erũt manifesta. Per se primò tale, vt dicitur in primo post. significat, quod sit tale non per aliud, & reliqua, sint talia per ipsum, sed cum dicitur non per aliud, excluduntur non solùm extrinseca, sed

etiàm

etiàm partes vt dicitur in hoc 7. Phyſ. ità quod illud quod eſt tale ratione partis, non eſt per ſe primo tale; ac per hoc illud, cui conuenit mouere, & eſſe agens ratione partis, ſcilicet, formæ, non eſt per ſe primo agens, nec mouens, ſed neq; per accidens: ſed per aliud, ſcilicet, per partem. Et propterea nullum corpus, quod eſt compoſitum ex materia, & forma poteſt eſſe per ſe primo actiuum, & motiuum, quoniàm omnia agunt non ſe totis, quià non ratione materiæ, cui repugnat eſſe rationem agendi, cùm de ratione eius ſit potentia oppoſita actui, qui eſt ratio agendi. Et in ſubiecta materia, eſſe actiuum in communi nullam perfectionem includit, & conuenire poteſt alicui rei ſubſiſtenti in natura, per ſe primò proprijſſimè, vt Deo; eſſe verò calefactiuum imperfectionem claudit, quoniàm dicit eſſe actiuum ſic, ideſt materialitèr, & impoſſibile eſt quod conueniat alicui primò ſimplicitèr, & abſolutè loquendo, quià opportet quod conueniat compoſito ex materia, & forma, cui non poteſt conuenire agere, niſi ſecundum partem: ſed tamèn huiuſmodi materiales actiuitates ſecundum proprias rationes ſumptæ, dicuntur conuenire alicui primo, eo modo, quo poſſibile eſt inueniri primò in conuenientia talium, ſcilicet, in genere materialium agentium, & non ſimplicitèr. Et ideò in igne, & calore, & alijs materialibus rationibus actiuis, non inuenitur eſſe agens, nec eſſe tale agens, & mouens primò, ſed eſſe tale agens, & mouens primò in genere mouentium materialium, vbi primitas non excludit partem, & tamèn conſtat partem excludi per primitatem ſimplicitèr. Et ſic ſolus Deus eſt per ſe primò mouens, quià per ſe primò forma, & eſt per ſe primò mouens non per aliud, ideſt, nec etiàm per partem, ſed ſe toto, & opportet totum eſſe formam, & per conſequens incompoſitus ex materia, & forma. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 2. Caiet. ex p. p. q. 18. a. 3. inter mouentia ſe, quodnam ſit illud, quod ab aliono mouetur.

180. Adnotat 2. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 18. art. 3. quod tria ſunt, ex quibus mouentia ſe, graduantur, ſcilicet, finis, forma, & executio. Et propterea aliqua mouent ſe ad executionem tantùm, aliqua ad executionem, & formam, & hæc perfectius mouent ſe; aliqua ad executionem, formam, & finem, & hæc perfectiſſimè. In primo ordine ſunt plantæ, vt patet ex motu augmenti; in ſecundo ſunt animalia, vt patet ex eo, quod principium motus eorum non eſt forma à natura indita, ſed per ſenſum accepta, & ratione latitudinis in ipſis animalibus inuentæ, ſcilicet, quod quanto perfectius ſentiunt, tanto perfectius mouent ſe ipſa, quod manifeſtatur in differenti motione animalium perfectorum, & imperfectorum. In tertio ſunt intellectum habentia, quod probatur quià ſolius rationis, at intellectus eſt cognoſcere proportionem finis, & eius quod eſt ad finem, vnumq; in alterum ordinare; & declaratur ex ſigno eminentia huius vitæ, ex eo quod in vno, & eodem homine pars intellectiua mouet potentias ſenſitiuas, & per illas corporalia organa. Nota tamèn, addit Caiet. quod mouentium ſe ad executionem, formam, & finem, alia mouent ſe quo ad quædam, quædam verò ab alio ſortiuntur. Alia mouent ſe quo ad omnia, ideſt ità quod nihil ab alio habent. In primo ordine ſunt intellectus creati; in ſecundo Deus ipſe. Quo ad intellectum quidem creatum, quià præſtituta ſunt ei prima principia; quo ad voluntatem, quià præſtitutus eſt ei vltimus finis, quem non poteſt non velle, vt patet ex proceſſu Ariſt. in 12. Met. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. 3. Caiet. ex p. p. q. 115. a. 3. quod corpus Cœleſte ſit etiàm actiuum virtua-

181. Adnotat 3. Caiet. in p. p. q. 115. art. 3. circà illam propoſitionem D. Th. ſcilicet, quod neceſſe ſit pratèr corpora inferiora, ponere corpus Cœleſte eſſe actiuum effectuum inferiorum. Duplex eſt principiorum actiuorum ordo, quædam enim ſunt principia actiua formalitèr, quædam verò virtualitèr. Actiua formalitèr voco, quæ ſunt principia elicitiua actionum, qualia ſunt calidum, & frigidum &c. Actiua autèm virtualitèr dico illa, quæ non eliciunt actiones, ſed ſunt, quo-

rum

rum virtute actiones eliciuntur, qualia sunt omnia corpora secundum substantias. Dictum est in secundo Phys. quod substantia creata nullius actionis est eliciti uum principium, & quod tamen est id, cuius virtute qualitates, & potentiæ actiuæ agunt. Hoc autem duplex genus actiui principij in corporibus sic se habet, quod formale sequitur virtuale, & sic virtuale est prius formali secundum rem; sed secundum nomen est totum oppositum, quoniam actiuum formale adeò sibi nomen actiuitatis vendicauit, vt communitèr dicatur, quod nullum inuenitur in istis inferioribus actiuum principium, nisi qualitas elementaris &c. Sequitur igitur benè, quod omnia actiua formalitèr in istis inferioribus se habent, vt materiam disponentia, & ex hoc necesse est ponere aliquod in superioribus actiuum formale, quod se habeat vt perficiens, & cùm tale opporteat esse mobile sequitur, ergo est corpus Cœleste. Opportet igitur habere recursum ad altius actiuum formale, vt omnis ordo actiuorum sit completus, & sic fit reductio ad corpus Cœleste, quod manifestè actionem elicit, non per qualitatem materialitèr se habentem ad naturam corporum inferiorum, sed per altiores proprietates, qualis est lux, & influxus &c. Corpus agit secundum quod est actu in aliud corpus (ait S. Doct.) secundum quod est in potentia. Ità Caiet. loc. cit.

le, & formale, licet sit etiàm mobile, in hac inferiora corpora.

182. Quo ad secundum Caiet. in p. p. q. 2. & 3. & alibi cùm D. Th. in p. cont. gent. c. 13. conciliat Platonem, & Arist. in deueniendo ad vnum primum primo mouens, quod ab alio non mouetur, & quod omnia alia mouet: quià Arist. ponendo primum omninò immobile, sumit motum pro vt est actus existentis in potentia in quantum huiusmodi: Plato verò ponendo primum mouens, quod mouet se primo accipiebat motum pro qualibet operatione, etiàm intelligere. Et conditiones quas attribuit Arist. in 12. Met. ipsi primo motori separato, attribuit, & etiàm in 8. Phys. ipsi primo motori, quem inuestigat in hoc 7. Phys. per motum, scilicet, quod est æternus, immortalis, immaterialis, & virtutis infinitæ, & hoc contrà Philosophos antiquos, in hoc 7. lib. disputando, qui motum solummodò corporum considerabant (de quibus etiàm Caiet. discurrit cùm D. Th. in p. p. q. 115. cit.) vndè demonstrando Arist. contrà ipsos, quod si aliquid est, quod omninò tali motu corporeo, sit immobile, ità vt nec per se, nec per accidens motu corporum moueatur, illud opportet, apud ipsos, quos impugnat Arist. Deum esse; nomine enim Dei intelligitur primus motor omninò immobilis.

Caiet. conciliat cùm D. Th. & alijs Arist. & Platonem in medio quod diuersimodè videntur assumere ad probandum primo motorem.

In acceptanda verò istam propositionem, omne quod mouetur ab alio mouetur, differunt Thomistæ, & Scotistæ, ait Caiet. nos acceptamus ipsam in sensu vniuersali, & sufficientèr demonstratur existentia primi motoris per hoc medium Physicum, quod est motus, quamuis non respuamus medium Metaphysicum, quod est causalitas, & productio rerum, vt probatur in Met. Scotistæ verò qui tenent illam non verificari in sensu vniuersali, asserunt quoq; non sufficientèr demonstrari, per illam, scilicet, per motum, existentia primi motoris. S. Doctor in p. p. q. 2. art. 3. ait quod ad demonstrandum Deum esse, prima, & manifestior via est illa, quæ sumitur ex parte motus. Et addit Caiet. Et ex hac via ex parte motus, sat est, quod inferatur, ergo datur primum mouens immobile, non curando pro nunc. Vtrùm istud sit anima Cœli, aut Mundi: hoc quæritur in quæstionibus sequentibus ad primam, secundam, & tertiam p. p. in Theologia. Ità Caiet. in loc. cit.

Caiet. assignat differentiam intèr Scotistas, & Thomistas circà medium idem, quo probatur primus motor.

183. Quo ad tertium Conclusio vnica Caietani est in p. p. q. 3. art. 1. cùm D. Th. sub his verbis. Nullum Corpus est mouens immobile; vndè si mouet, ab alio mouetur.

Probatur à Caiet. prima pars sic per Inductionem. Omne quod mouetur, aut mo-

Concl. Resp. quæsiti Caiet. ex p. p. q. 3. a. 1. cùm sua prob. inductiua primæ partis.

mouetur per se, aut per accidens; Si mouetur per accidens iàm non mouetur à se ipso, sed ab alio; quià mouetur ad motum alterius. Si mouetur per se, vel hoc est per violentiam, vel per naturam intrinsecam; Si primum, iàm est manifestum, quod mouetur ab alio; Si secundum vel hoc quod mouet se est animal; vel sunt grauia, & leuia: Si animal, iàm constat ab anima moueri; Si grauia, & leuia, de his constabit in sequentibus, quod mouentur à generante, vel remouente prohibens, ergo de primo ad vltimum constat inductiuè, quod omne quod mouetur ab alio mouetur, quidquid dicat Scotus cùm suis discipulis qui existimant non requiri realem distinctionem intèr id, quod mouet, & intèr id quod mouetur. Ità Caiet. loc. cit.

Prob. Caiet. & Arist. & D. Th. pro 2. parte &c. Conclusionis.

Probatur à Caiet. cùm Arist. & D. Th. secunda pars ratione efficacissima. In p. p. q. 3. art. 1. ratione secunda D. Thom. Corpus agit secundum quod est actu, in aliud secundum quod est in potentia: Sed idem non potest esse in actu, & in potentia respectu eiusdem, nec idem potest esse dependens à se ipso, ergo si mouetur corpus, ab alio mouetur, & per consequens se ipsum non potest mouere, alitèr esset in actu, & in potentia, & à se ipso dependeret. Propositiones syllogismi sunt de se claræ: & declarantur ostendendo differentiam ordinis intèr actum, & potentiam simplicitèr, & respectu alicuius, cui conuenit vtrumq; quià, scilicet, in respectu ad hoc potentia est prior; Sed simplicitèr non in hoc, vel in illo: Actus semper est prior, quià omne quod est in potentia, vt corpus, non reducitur ad actum, nisi per aliquod ens actu; quod sit in potentia probatur, quià omne corpus est continuum, in cuius ratione cadit potentia ad diuisionem: Est enim diuisibile in semper diuisibilia vt dicitur in 6. Phys. Ità Caiet.

Arg. 1. Caiet. ex p. p. q. 2. art. 2.

184. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. contrà id, quod dicitur, quod per istud principium, omne quod mouetur, ab alio mouetur, infertur existentia primæ causæ, seù primi motoris. Secundum se ista conditionalis est vera, si procederent in infinitum causæ, omnes causæ essent causæ mediæ: ergo ad rationem causæ mediæ non requiritur dependentia à prima, sed à priori, respectu cuius, & posterioris dicatur media.

Resp. ad Arg. 1. eiusdem Caiet.

Resp. Caiet. negando, quod illa conditionalis sit Arist. aut ñostra simplicitèr, sed est ad hominem ponentem infinitatem cùm causis huiusmodi: apud nos namq; sequitur optimè, quod cùm omnes ponantur causæ, & nulla prima, igitur mediæ. Sed secundum veritatem ex illo antecedenti (proceditùr in infinitum in causis) sequitur, ergo nulla causa est, vt Arist. & S.Th. deducunt, quià sequitur, ergo non est prima, ergo nec media: quià prima est causa mediæ. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. contrà illam propositionem omne quod mouetur &c. ex p. p. q. 3. art. 1.

185. Arguit 2. Caiet. contrà Conclusionem in p. p. q. 3. art. 1. quando dicitur in Conclusione nullum corpus mouet non motum; vel sumitur ly non motum actu, vel potentia; vel non motum actu; Si primo modo, est manifesta, & verè patet inductiuè, & habetur intentum ex illa, ergo Deus est mouens immobile; Si sumatur secundo modo, obstat inductioni, quià magnes immotus trahit ferrum, & nix immota frigefacit, & coloratum immutat visum &c.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. & de aqua calefacta vide duas Resp. in Caiet. p. p. q. 54. art. 2.

Resp. Caiet. quod etiàm sumpta propositio illa in secundo sensu est vera, loquendo de motione purè locali, & ratio eius assignatur in 1. cont. gent. cap. 20. quià mouens opportet esse simul cùm moto: ex hoc enim euidentèr sequitur, quod corpus mouens non potest manere, & corpus motum mutare locum, quoniàm si motum, locum solum mutat, definit esse simul cùm corpore mouente, quod manere supponitur in loco contiguo illi toto, vndè in mouente motum est. Et ex hoc apparet exclusio instantiarum, quoniàm non de motione purè locali erant, & de cæteris quidèm patet. De magnete autèm, & similibus habes ab Auuerr. 7. Phys. Comment. 10.

quod

quod ipsa non mouent, sed alia mouentur ad ipsa, quamuis non vndecumq; proptèr priuationem dispositionis, quam ab eis per modum alterationis spiritualis acquirunt alicubi: sed de his, in sermone de dependentia reliquorum motuum à motu Cœli amplius dicetur. Nunc hæc sufficiant hoc, scilicet, in art. 1. cit. vbi ex locali motu proceditur. Ità Caiet. loc. cit. Et de aqua calefacta quæ ex se ipsa frigescit; vide in Caietano p. p. q. 54. art. 3. duas responsiones:

186. Arguit 3. Caiet. contrà id quod dicit in sua Doctrina secunda suprà, scilicet, quomodò verum sit, quod animalia per se ipsa acquirant formam, qua se mouent? Sensus enim vt in secundo de Anima dicitur, est potentia passiua à sensibili, & sentire in pati consistit, ergo animalia ad habendam formam sensibilem purè passiuè concurrunt, non ergo acquirunt eam per se ipsa. *Arg. 3. Caiet. ex p. p. q. 18. art. 3.*

Resp. Caiet. quod licet ad habendam formam sensibilem in genere entium, seù medio modo intèr potentiam, & actum, sensus exterior concurrat purè passiuè, ad habendam tamèn eam in genere cognoscibilium, seù in actu simplicitèr, seù primo sensus etiàm exterior concurrit non solùm passiuè, sed etiàm actiuè. Et ratio est, quià anima, vt in secundo de Anima dicitur, est causa effectiua illius alterationis, quæ est sentire. Constat autèm, quod sentire, non est pati à sensibili, quoniàm etiàm Diaphanum videret, sed est pati vitalitèr à sensibili, hoc autèm est sensum esse actu ipsum sensibile, vt ex dictis in q. 14. p. p. Animal igitur habet formam sensibilem, & ab alio, & facit eam in se. Et propthereà optimè in littera dicitur, quod mouet se quo ad formam, & acquirit eam per se ipsum &c. Et hæc benè nota, vt scias diuersa, & Arist. & S. Thomæ dicta sanè intelligere. Ità Caiet. in p. p. q. 18. art. 3. in fine Comment. *Resp. Caiet. ad suum Arg. 3.*

Arguit 4. Caiet. Totum cor mouetur, & totum mouet, quià cùm sit motus vitalis est à se ipso. ergo ratio inductiua probans Conclusionem non est efficax. *Arg. 4. Caiet. ex p. p. q. 18. art. 3. & q. 105. art. 4. cùm sua Resp.*

Resp. Caiet. quod quià vita in rebus creatis est accepta, & deriuata ab alio, non ità viuens mouet se, quod non etiàm moueatur ab alio in primo motu, quo incipit vita, vt docet S. Doctor in q. 105. art. 4. ad secundum p. p. & in q. 18. art. 3. Et sic ille primus motus est vitalis tanquàm initium vitæ, non tanquàm perfectio vitæ: hæc enim operatio viuentis est à mouente se quatenus per vnam partem iam motam, & factam in actu, mouet alias; Itaq; prima pars motus cordis elicitur quidèm ab ipso viuente, sed moto à generante, à quo habetur initium vitæ: Reliquæ verò partes vna mouetur ab alia, & sic respectu totius viuentis motus eius est vitalis. Ità Caiet. loc. cit.

QVÆSTIO II. SEPTIMI PHYSICORVM

Vtrùm hoc Principium, Omne quod mouetur ab alio mouetur comprehendat etiàm Animam rationalem pro vt in corpore operatur

EX CAIETANO

In p. p. q. 105. art. 3. & 4. & in p. 2. q. 9. art. 1. 3. & 4. & alibi in Comment.

Aperitur Status Controuersiæ à Caiet. in q. 9. p. 2. art. 1. & art. 3.

188. CAiet. quærit, & dubitat de præsenti quæstione pro vt spectat ad Physicam in hoc 7. libro Phys. de ipsa anima vnita corpori Physico, quando in suis operationibus intellectiuis, & volitiuis mouet intellectum, & voluntatem ad intelligendum, & volendum cùm dependentia ministeriali à suo corpore àn moueat se primo, ità vt non moueatur ab alio. Et in q. 9. art. 1. in p. 2. ait Caiet. pro Titulo. Aduerte nouitie, quod quià idem est actus potentiæ, & id in quod potentia reducitur à suo motiuo, cùm mouere nihil aliud sit, quàm reducere de potentia ad actum, ideò hic differitur de motiuo voluntatis, idest potentiæ volitiuæ, & hoc nihil aliud est, quàm differere de causa actus ipsius voluntatis, & etiàm agitur de primo actu voluntatis, scilicet, de volitione, quod fit quærendo à quo potentia volitiua moueatur, idest reducatur ad actùm. Et in art. 3. ait aduerte, quod aliud est quærere, vtrùm voluntas moueat se ipsam in quolibet suo actu, & aliud quærere, vtrùm voluntas moueat se ipsam: Stat enim pars affirmatiua quæsiti cùm negatiua illius. Stat enim quod voluntas moueat se ipsam quo ad aliquem suum actum, & consequentèr verum sit dicere, quod mouet se ipsam, & tamèn non moueat se ipsam, quo ad omnem suum actuum. Ad præsentem, ergo quæstionem non pertinet nisi an voluntas reducat se ipsam de potentia ad actum, siuè hoc sit quo ad aliquem, siuè quo ad omnem sui actum, sufficit, ità quod sit mouens primo immota, hoc idem quæritur de Intellectu. Ità Caiet.

Doct. 1. Caiet. in p. p. q. 105. art. 3. & 4. quot modis voluntas, & intellectus moueantur à se, & ab alio.

189. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 105. art. 3. & 4. circà ly mouere intellectum, & voluntatem, quod mouere intellectum est dare formam, quæ est principium intellectualis operationis, vt in motibus corporalibus mouens dicitur quod det formam, quæ est principium motus. Operationis autèm intellectus duplex est principium in intelligente, vnum, scilicet, quod est ipsa virtus intellectiua, quod quidem principium, est etiàm in intelligente in potentia; Aliud autèm est principium intelligendi in actu, scilicet, similitudo rei intellectæ. Dicitur ergo aliquid mouere intellectum siuè det intelligenti virtutem ad intelligendum, siuè imprimat ei similitudinem rei intellectæ: Mouere autèm voluntatem, capitur etiàm duplicitèr: Vno modo sicut obiectum, alio modo sicut dans ipsam virtutem volendi. Et nota, quod S. Doctor non assimilat motionem voluntatis motioni intellectus quo ad habere similitudinem ab obiecto quæ sit principium actu, quià in voluntate non est talis progressus, qualis in intellectu, sed assimilat, quo ad motionem absolutè, quià, scilicet, vterq; mouetur ab obiecto quamuis dissimilitèr; & mouere secundo modo, est mouere voluntatem interius eam inclinando, scilicet, dando virtutem volitiuam:

tiuam: velle enim nil aliud est, quàm inclinatio in tale obiectum. Et nota ait Caiet. in fine Comment. art. 4. cit. quod mouere obiectiuè voluntatem communicatur alijs, quamuis non sufficienti efficacia. Mouere autèm ab intus nulli communicatur, solus Deus illabi potest libero arbitrio, qui facit, & conseruat illud. Et ideò dicitur à S. Doct. in art. 4. cit. quod maximè proprium Dei est mouere voluntatem hoc secundo modo. Quæritur ergo in præsenti an istæ duæ potentiæ ità moueantur à se ipsis, vt non moueantur ab alio nec vno, nec altero modo. Ità Caiet.

190. Adnotat 2. Caiet. in p. 2. q. 9. art. 1. quod potentiæ motiuæ sunt duplicis ordinis: quædam sunt, quæ solo proprio actu exercentur: quædam verò, in quibus exercitium proprij actus distinguitur ab actu ipso. In primo ordine sunt omnes potentiæ naturales, & animales, quatenus superiori Imperio non subsunt. In secundo ordine sunt omnes potentiæ, quibus vtimur cùm volumus. Potentiæ primi ordinis ab eodem motore habent operari, & operari hoc. Potentiæ verò secundi ordinis ab alio motore habent vsum, & ab alio habent actum specificum, quià vsus, aliud est ab actu specificato; vndè distinctio posita in littera art. 1. cit. per ly exercitium actus, intelligit vsum propriè dictum, qui est actus voluntatis, vt principij primi: aliarum verò potentiarum, vt exequentium; ità quòd littera per esse in potentia ad agere, non intendit potentia ad ipsum suum agere, & non agere secundum se ipsa, sed potentiam ad agere, & non agere, secundum quod subsunt vsui. Potentia enim visiua, vt ab vno exemplo discas omnes, si referatur ad videre, & non videre vt sic, & videre hoc, puta album, vel nigrum ab eodem motore puta albo reducitur, & in actum videndi, & in actum videndi album. Et hoc est comparare potentiam ad suum actum, & obiectum secundum se. Si autèm referatur ad videre, & videre album, vt subsunt vsui, sic cùm vsus sit actus potentiæ visiuæ non secundum se, sed vt exequentis voluntatem principiantem vsum, sic alio eget motore, ad hoc quod reducatur in actum vsus: & ab alio ad hoc, vt reducatur in actum suæ propriæ speciei. Et sic est sensus verus huius distinctionis, & intentus. Verus quidèm, quià vti est actus voluntatis vt imperantis, & reliquarum virium, vt exequentium. Et constat quod omnes potentiæ animæ applicantur à voluntate ad suos actus, quod nihil aliud est, quàm exercitium actus est vti, seù vsus illarum. Ità Caiet. loc. cit.

Doct. Caiet. in p. 2. q. 9. art. 1. potentiæ motiuæ sunt duplicis ordinis, & quomodo primi ordinis ab vno tantùm motore mouentur; secundi ordinis à duplici motore.

191. Adnotat Caiet. 3. art. 1. ibidem cit. in fine Comment. quod ex parte potentiarum animæ loquendo, in hoc quod sit primum mouens, est quodammodò par, & quodammodò non par vtrobiq; ratio. Quo ad primitatem enim par est ratio; quoniàm quemadmodum voluntas, vt dictum est, quià est primum finale principium, ipsa intèr partes animæ est primum mouens ad exercitium: ità quià intellectus est primum formale principium, ipse intèr partes animæ est primum mouens ad specificationem, formalis enim principij opus hoc est. Quo ad extensionem autèm non est par ratio: quià voluntatis motio extendit se ad omnes animæ vires subditas &c. Motio autèm intellectus, quià est per modum præsentantis, ad id tantùm directè se extendit, cui presentat. Vndè Auctor in littera art. 1. cit. postquam posuit vndè inferebatur, quod intellectus est primum mouens, quià, scilicet, eius est principium primum formale; statim subdidit vndè habetur, quod motio eius ad voluntatem se extendit, ponens modum, quo intellectus motionem hanc facit, scilicet, per præsentationem obiecti, & dixit: Et isto modo motionis, intellectus mouet voluntatem sicut præsentans ei obiectum suum. Hæc non solùm sunt explanatiua veritatis in se, sed connexiua, & deductiua intenti quæsiti, an ità sint prima mouentia in suo ordine, vt non moueantur ab alio, sed à se. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in art. 3. q. 9. cit. quomodo in primitate voluntas, & intellectus pariformitèr se habeant, non autèm quo ad extensionem.

Opinio S. Th. & Arist. recitata, & explanata a Caiet. in q. 9. p. 2. cit. & in q. 105. art. 3. & 4. quod anima mouet se primo per intellectum, & voluntatem, non tamèn vt immota quià ab alio mouetur.

192. Quo ad 2. Caiet. in loc. cit. tangit radicem huius quæsiti, & ex 7. & 8. Phys. & 12. Met. dicendo, quod quià prætèr motum corporum, est alius motus Physicus dependens saltèm ministerialitèr à corpore, qui, & rebus quoq; immaterialibus conuenit, vt animæ nostræ, secundum quod, & ab intelligibili mouetur, & ab appetibili; ideò ad hoc, vt aliquid simplicitèr immobile sit, oportet vt neq; hoc motu moueatur; Et ideò Arist. in 12. Met. postquam in Physicis probauit, contrà Philosophos antiquos (alludens ipsis, qui cognoscebant motum solum corporeum) esse aliquod mouens corporeum omninò immotum, ex hoc principio, scilicet, omne quod mouetur, ab alio mouetur, & ex hoc alio, non datur in causis processus in infinitum, inuestigat ibi in 12. Met. alium motorem, à quo moueatur, qui est pars mouentis se ipsum, vt ab intelligibili, & appetibili; ipse verò sit omninò immobilis, vtpotè ab alijs appetitus, & volitus, & nequaquam ipse à nullo intelligibili, & appetibili sit motus. Caiet. igitur sequendo nostrum, & suum Sanctum Doctorem, vtpotè fidelissimus eius Interpres, declarat vbiq; in suis Commentarijs, quando tractatur de motione intellectus, & voluntatis, eius sententiam, asserendo quod si mouentur intellectus, & voluntas in suis actibus oportet, quod etiàm verificetur ista propositio, in ipsis, quod omne quod mouetur ab alio mouetur, & quod licet sint in suo ordine prima mouentia se, mouentur tamèn à primo primo omninò immoto in linea volitiua, & intellectiua. Ità Caiet. loc. cit.

Conclusio Responsiua quæsiti Caiet. sumpta ex p. p. q. 105. art. 4. & ex p. 2. q. 9. a. 1. 3. & 4. cùm sua probatione 1. & 2. partis, & simul cùm declaratione vtriusq; partis.

193. Quo ad 3. Conclusio responsiua Quæsiti ponitur à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 105. art. 3. & 4. & in p. 2. q. 9. art. 1. sub his verbis.

Intellectus, & Voluntas, quo ad dependentiam quam habent ministerialitèr à corpore animato, non sunt ità se mouentes primò, vt etiàm non moueantur ab alio.

Probatur à Caiet. loc. cit. sub hac formalitate quo ad primam partem cùm D. Th. sic se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus: sed intellectus per hoc, quod cognoscit principium mouet se ad cognoscendum Conclusionem, idest reducit se ipsum de potentia ad actum quantum ad cognitionem Conclusionum: ergo similitèr voluntas per hoc quod vult finem mouet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Ità Caiet. cùm D. Th. in art. 3. q. 9. cit.

Secunda probatione in art. 4. q. 9. p. p. D. Th. formalizata à Caiet.

Probatur à Caiet. cùm D. Th. in art. 4. q. 9. cit. prima pars sic. Omne agens agit proptèr finem appetitum, vel appetitu naturali vel animali, seù intellectuali: sed voluntas mouendo tàm alias potentias, quàm se, est agens, ergo actio ista est ab ea ex appetitu finis, vel naturalis, vel animalis: sed non ex appetitu naturali: quià sic non moueret se, sed dans naturam moueret illam, eo modo, quo grauia, & leuia mouentur à generante, nec esset voluntarium istud agere vt patet: cuius oppositum significat voluntatem mouere se, ergo est ex appetitu animali, seù intellectuali, idest ex volitione finis, quod est intentum primæ partis Conclusionis. Agere enim ex præuolitione finis, & mediante consilio idem sunt: sicut cognoscere ex principijs, & mediante syllogismo idem est. Hæc autèm ratio procedit ex per se notis communibus animi conceptionibus, vt de se patet; vndè nullam habet calumniam, & vtramq; exponentem illius exclusiuè probatam complectitur euidentem. Ità Caiet. art. 4. cit.

Declaratio vtriusq; partis facta à Caiet. in p. 2. in fine Comment. art. 4. q. 9. cit.

194. Probatur 2. à Caiet. in fine Comment. art. 4. cit. vtraq; pars Conclusionis, simulq; ipsam explicando. Quamuis enim primus actus voluntatis sit ex instinctu dato ab exteriori, non obiecto, sed causa effectiua, scilicet, Deo: ipsa tamen iàm ex hac finis volitione, se ipsam mouet ad volendum alia proptèr finem, quod brutis non conuenit, quoniàm ad omnia mouentur ab instinctu. Est igitur S. Doctoris sententia, quod sicut generans graue dat graui naturalem appetitum motus, & loci deor-

deorsum, & proptereà cessante impedimento; graue ex appetitu accepto mouetur deorsum, & quiescit ibi: ità genitor voluntatis dat ei inclinationem naturalem in bonum, ità quod proposito per intellectum Bono absque impedimento, voluntas tendit in illud actu elicito, qui est volitio. Et hic actus dicitur esse ab exteriori agente ea ratione, qua motus grauis dicitur à generante, & meritò: quià ad hunc actum voluntas non concurrit vt propter finem agens, sed vt ad finem tendens ex directione superioris agentis ordinantis ipsam in hoc. Et proptereà hic actus licet sit velle, & voluntatis, & voluntate vt eliciente actum, non tamen est voluntarius: quià non est à voluntate vt applicante se ad volendum, sed naturalis: quià dator naturæ applicat ipsam mediante inclinatione data ad volendum. Opportet enim, vt S. Doctor dicit, dari processum in infinitum in voluntarijs, nisi deueniatur ad vnum non voluntarium, sed naturalem actum voluntatis, in quo sit status. Et quod dicitur de primo actu voluntatis, dicitur etiàm de prima intellectione; Quapropter sufficit hoc in loco, quod in voluntarijs, & in intellectualibus verificentur illa duo principia, quod omne quod mouetur ab alio mouetur, & quod non datur processus in infinitum. Ità Caiet. loc. cit.

195. Quo ad quartum Arg. primo sic à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 105. art. 4. Si voluntas non moueret se primo in quolibet suo actu, sed ab alio, scilicet, à Deo, sequerentur multa contradictoria. Probatur quià si moueretur ab extrinseco, & non à se primo voluntas cogeretur, quià quod mouetur ab extrinseco, cogitur; Secundo putà moueret se, & non moueret se: nàm quid est se moueretur, est ex se moueri, & non ab alio; Tertio sequitur, quod opera voluntaria non imputentur homini ad meritum, vel demeritum, ergo &c. *Arg. 1. D. Th. & Caiet. sumptũ ex p. p. q. 105. ar. 4. contrà Conclusionem.*

Resp. Caiet. cum D. Th. loc. cit. negando sequelam, ad primam probationem dicitur, quod illud quod mouetur ab altero dicitur cogi, si moueatur contrà inclinationem propriam: sed si moueatur ab alio, quod sibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi: sicut graue cùm mouetur deorsum à generante non cogitur. Sic igitur Deus mouendo voluntatem non cogit ipsam, quià dat ei eius propriam inclinationem. Ad secundam probationem dicitur, quod moueri voluntariè est moueri ex se, idest à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco. Et sic moueri ex se non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Ad tertiam probationem dicitur, quod si voluntas ità moueretur ab alio, quod ex se nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: sed quià per hoc, quod mouetur ab alio, non excluditur, quin moueatur ex se, vt dictum est modo, per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti. Ità Ciet. loc. cit. art. 4. cùm D. Th. *Resp. D. Th. & Caiet. ad 1. Arg.*

196. Arguit secundo Caiet. cùm D. Th. de intellectu art. 3. q. 105. cit. Id quod habet in se principium sufficiens sui motus non mouetur ab alio: sed motus intellectus est ipsum intelligere eius, sicut dicitur, quod intelligere, vel sentire est motus quidam secundum Philosophum in tertio de anima tex. 28. sufficiens autèm principium intelligendi est lumen intelligibile inditum intellectui, ergo intellectus non mouetur ab alio. *Arg. 2. D. Th. & Caiet. sumptũ ex p. p. q. 105. art. 3.*

Resp. Caiet. cum D. Th. loc. cit. quod lumen intellectuale simul cùm similitudine rei intellectæ est sufficiens principium intelligendi, secundarium tamen, & ab ipso primo principio dependens, etiàm in conseruari vt dicitur q. 104. art. 1. & consequentèr Deus mouet intellectum creatum, ità quod intellectus ipse non potest se mouere, nisi moueatur à Deo. Dixi ly mouere, quod est actio quædam: ad differentiam de ly deficere, seù formalitèr peccare. Ità Caiet. cum D. Th. *Resp. Caiet. ad 2. Arg.*

Arg. 3. Caiet. ex p. p. q. 9. art. 1. contrà suam doctrinã 2. sup.

197. Arguit tertio Caiet. in p. 2. q. 9. art. 1. contrà id quod dictum est in secunda Doctrina suprà, quod, scilicet, potentiæ secundi ordinis egeant duplici motore, & ex parte obiecti, & ex parte subiecti. Sic. Potentia vnica, vnicum adæquatum actum respondentem vnico motori adæquato exigit: alioquin non esset intèr hæc tria adæquatio: non ergo eget vna potentia duobus motoribus æ regione diuersis, quales sunt ex parte obiecti, & ex parte subiecti. Et nos experimur, quod visus non eget duplici motore, altero ad hoc, quod videat, & altero ad hoc quod videat album.

Resp. Caiet. ad suum Argum. ex Scoto desumptũ.

Resp. Caiet. quod cùm Argumentum loquatur de potentijs, & actibus, & actiuis secundum se, stat quod vnica potentia secundum se egeat vno motore, sed vt subest alteri, egeat alio, vt diximus suprà. Experientia autèm loquitur de potentia relata ad suos actus secundum se, non secundum quod subsunt vsui; per exercitium verò actus voluntatis, nihil aliud intelligitur nisi applicatio potentiæ ad suam operationem, scilicet, agere vel non agere. Et in quæstione de vti in p. 2. apertissimè exprimitur, quod vti nihil aliud est, quàm applicatio potentiarum ad sua opera. Et si Scotus cùm cæteris, quos refert in 2. sent. dist. 42. q. p. tractando modum, quo cogitatio subest voluntati, aduertisset ad hoc, scilicet, quod non subest, nisi vt subest actui voluntatis, qui est vti, vidisset primò quod idem est iudicium de applicatione intellectus ad secundas cogitationes, & oculi ad videndum, & manus ad operandum, &c. Diuertisset secundò à tot extraneis Phantasijs. Conclusisset tertio quod hoc spectat ad tractatum de vti, quomodo, scilicet, vti sit actus voluntatis. Hæc dixerim, ne aliquis rem facilem, in difficilem versam legens, nodum in scirpo timeat. Ità Caiet. art. 1. q. 9. cit. p. 2.

Arg. 4. Caiet. ex p. 2. q. 6. ar. 1.

198. Arguit 4. Caiet. in p. 2. q. 6. art. 1. quæ carent notitia finis, dicitur ibi à S. Doctore, non mouent se ipsa, sed ab alijs mouentur. Vegetabilia carent notitia finis, ergo non mouent se ipsa: sed in p. p. q. 18. art. 1. ad secundum expresse dicit quod mouent se ipsa, motu augmenti ad omnes differentias positionis: ergo falsum vel ibi, vel hic.

Resp. Caiet. ad Arg. 4.

Resp. Caiet. quod quià medium sapit vtrumque extremum, & modo illud, & modo alterum sub induit; Ideò accidit vt vegetabilia, quæ media sunt intèr purè naturalia, quæ non mouent se, & intèr animalia quæ mouent se; hinc fit quod si distinguantur contrà naturalia, dicentur mouere se; si distinguantur contrà animalia, quæ cognoscitiua sunt, dicentur non mouere se. Ità Caiet. loc. cit.

QVAE-

QVAESTIO III. SEPTIMI PHYSICORVM

Vtrùm mouens, & motum debeat esse simul

EX CAIETANO

Secunda post. cap. 12. & p. p. q. 8. art. 1. & q. 52. art. 1. & alibi in Commentarijs.

199. CAiet. in 2. post. cap. 12. in principio cùm Arist. resoluendo illam quæstionem an causa, & causatum sint simul, quod est idem quærere, an mouens, & motum debeant esse simul, ait, quod posteriores inuasit dubium, an, scilicet, cùm ibi quæritur si est causatum, sit causa, intelligatur de simultate temporis an de simultate consequutionis, quod quidem dubium ab ipso Arist. solutum accipitur in illis verbis. Perspicuum si quidem fit, quod de simultate consecutionis est quæstio in cap. 12. cit. ex eo quod dicitur, quod siuè causa, & causatum simul sint, vt interpositio, & ecclipsis; siuè non, vt latum folium est, folia fluunt. Et textus noster, & Boetij expresse ità habet, siuè causa sit simul, & causatum, vt si in medio est terra, deficit: aut si latum folium est, folia fluunt. Nec putet aliquis hæc esse dicta, vt non imitemur S. Th. expositionem: sed quoniam textum eius non habeo, & nostrum in hac parte meliorem saluare volumus, ab ipsius sententia non discrepantes, quoniam talem esse quæstionis titulum in cap. 12. cit. ipse expresse dicit, explicans, quod Arist. tacuit, scilicet, quod de mutua consecutione quæstio agitur in post. an, scilicet, ad effectum causa, & è conuersò sequatur. Nos autem in præsenti quæstione tertia 7. Phys. relinquendo illam de simultate consequutionis in post. cap. 12. quando quæritur an mouens, & motum debeant esse simul, loquimur de simultate temporis, & præsentiæ, ità vt mouens sit simul in mouendo cùm passo. Nec est quæstio de causalitate finali, quià constat, quod, finis vt moueat, non est necesse, vt tangat mobile: Infirmus enim mouetur à sanitate absenti ad sumendam potionem; sed est sermo de causalitate effectiua, cuius simultas dicitur approximatio, seù immediatio vt conditio ex parte agentis, seù mouentis requisita, vt moueat passum, & producat effectum in passo. Ità Caiet. locis citatis.

Titulus, & sensus quæst. aperitur à Caiet. in 2. post. cap. 12. quod hic sit quæstio nõ de simultate consequtionis sed temporis, & præsentiæ.

200. Adnotat primò Caiet. in p. p. q. 8. art. 1. illam propositionem assumptam à D. Th. ad probandum, quod Deus est intimè in omnibus rebus; scilicet, omne agens opportet coniungi ei in quod immediatè agit, quod sermo est ibi de agente proximo, & immediate agente, & per consequens non de quacumque immediatione, sed suppositi: Agens enim potest dupliciter dici immediatum, vt docetur in 3. cont. gent. cap. 70 scilicet, immediatione virtutis, & immediatione suppositi. Est autem immediatio virtutis, quando virtus agentis iungitur effectui non mendicando talem coniunctionem ab aliqua alia virtute. Et propterea, quanto agens est superius, tantò immediatius agit immediatione virtutis, quoniàm inferius, agit virtute superioris, & non è conuersò. Immediatio autem suppositi est, quando inter suppositum agens, & effectum, nullum mediat suppositum subordinatum coagens. Et propterea quanto agens est inferius, tanto est immediatius immediatione suppositi: & lo-

Doctr. 1. Caiet. in p p. q. 8. ar. 1. quod agens immediatum est duplex immediatione suppositi, & virtutis.

& loquendo de Deo vt immediatè operante in omnibus rebus, propositio illa assumpta intendit quod Deus est in omnibus, vt agens immediatum suppositaliter, idest proximum, & propinquissimum suppositaliter, ità quod intèr Deum, & quamlibet rem, nullum mediat suppositum agens illam; & verè sic est, quià propositio ibi inducta ad probandum hoc, verificatur non nisi de sic proximo agente, & mouente; tùm etiàm patet hoc, quià ex sola immediatione virtutis non infertur, ergo Deus secundum se ipsum est in omnibus, sed secundum eius diffusam, & participatam virtutem, vt Auicenna (ponens primam intelligentiam tantùm, Deum per se ipsum produxisse) concederet: quomodò autèm hoc verum sit facile manifestabitur. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 2. Caiet. art. 1. cit. quotuplex sit præsentia agentis.

201. Adnotat secundo Caiet. ibidem art. 1. cit. contrà Scotum, qui vult, quod illa propositio non assumatur per se, sed per accidens, ad probandum Deum agentem in re esse simul cum re, & ideò nullum esse processum rationis S. Th. notat igitur Caiet. quod quià in his agentibus quæ apud nos sunt, inuenitur duplex præsentia agentis ad passum, altera situalis, qua vltima eorum sunt simul. Altera virtualis, qua operatio agentis attingit effectum, seù passum, nullum attingendo medium, siuè intersit aliquid, siuè non; distincta est ideò etiàm in agentibus spiritualibus duplex præsentia. Altera secundum substantiam, qua ipsa substantia agentis definita, aut quasi definita est huic passo. Altera secundum virtutem, sicut in sole, &c. Et proptèr hanc duplicem præsentiam laborauit tantùm Scotus, imponens S. Thomæ. Vtramq; contradictionis partem, & quod posuit primam præsentiam in art. 1. q. 8. & quod negauit eam in materia de loco Angelorum. Et quod plus est, quod apud S. Th. in art. 1. cit. præsentia secundum substantiam est prior, quàm secundum potentiam:

202. Sed longè alitèr est, quoniàm apud S. Th. licet aliud sit esse præsentem secundum substantiam, & aliud secundum potentiam, non tamèn aliud est esse præsentem secundum substantiam, & aliud secundum potentiam immediatè attingentem effectum, seù passum: præsentia enim potentiæ vt patet in art. 2. q. 8. non exigit immediationem suppositi. Per hoc non sunt omninò idem, esse præsentem secundum substantiam, & secundum potentiam immediatè agentem, &c. sed distinguuntur, sicut ratio præsentiæ, & res præsens: quoniàm immediatè attingere est ratio præsentiæ non solùm potentiæ, sed substantiæ. Ità quod sicut substantia situata situ est præsens, & tamèn ipsa substantia est præsens, ità substantia spiritualis immediata attinctione est præsens, ità quod ipsa substantia est præsens, & non operatio eius vt quod. Et sic istæ duæ præsentiæ in spiritualibus non omninò duæ sunt, nec omninò vna, sed habent se medio modo, scilicet, vt quo, & vt quod, & propterea diximus, quod in art. 1. cit. vbi ex immediatè attingere concludit præsentiam substantiæ, proceditur à diffinitione ad diffinitum, idest à ratione ad id, cuius est ratio. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 3. Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. quod præsentia causalis est triplex.

203. Adnotat tertio Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. quod præsentia causalis, de qua est sermo in præsenti, secundum triplicem statum causæ effectiuæ, distinguitur in triplicem, scilicet, in præsentiam ordinis, & præsentiam approximationis, & in præsentiam operationis. Appellatur autèm præsentia ordinis, relatio proportionis, quæ est intèr agens, & patiens, quando sunt in potentia proxima præparata, & immediata sufficienteque ad opus, exclusis omnibus impedimentis. Præsentia verò approximationis vocatur relatio approximationis immediatè agentis in patiens immediatè, quæ preuenit actionem, ordine naturæ saltèm. Præsentia autèm operationis dicitur relatio agentis ad passum immediatè inseparabilis ab actione, ità quod vel est ipse respectus in actione importatus, vel non est sinè illo. v. g. nauta est

primò

primò præsens in naui præsentia ordinis existens intèr virtutem suam, & nauim, vt gubernabilis est ab ipso. Et deindè præsens eidem secundum approximationem dum ipse prius natura intelligitur approximatus naui, quàm operetur; Et tertio fit præsens naui secundum actualem operationem, siuè hæc relatio præsentiæ concomitans operationem sit idem quod relatio mouentis ad motum, siuè ab illa distinguatur vt dictum est. Et præsentia ordinis, & operationis est certissima: de circumscriptiua non dubitatur, quià ad sensum patet. Præsentia ordinis conuincitur ex hoc, quod si nullum corpus esset, & vna substantia intellectualis posset aliquid recipere ab alia, antequam intelligeretur agere vna in aliam, esset intèr eas ordo actiui ad passum, quo altera posset potentia proxima expedita, & præparata agere, & altera recipere: Hæc enim præsentia consequitur rationes potentiæ actiuæ, & passiuæ proximæ deductis impedimentis, &c. Et inuenitur tàm in corporalibus, quàm in spiritualibus. Præsentia verò operationis manifesta est, opportet enim agens immediatum immediatione suppositi indistans esse à patiente, quamdiù agit, vt patet in hoc 7. Phys. longo processu. Ambiguitatem habent præsentia substantialis, & præsentia approximationis præcipuè in spiritualibùs. Ità Caiet. loc. cit.

204. Adnotat quarto Caiet. in p. 2. q. 30. art. 2. quod S. Doctor ibi incipit à virtute actiua, & descendit ad virtutem motiuam finis proptèr annexam causalitatem actiuam finali. Et quià finis determinat actiuam sui virtutem, constat, & finem alitèr finalizare præsentem, alitèr absentem; ideò etiàm alitèr agit præsens, & absens: & non se habent absens, & præsens vt approximatio, & elongatio se habent in agentibus Physicis, seù naturalibus, scilicet, vt conditiones, sine quibus actio non fit, sed se habent vt virtutes actiuæ. Vbi scito, nouitie, commune esse omni actiuo, si agit, proximum esse passo, nec ab hoc exorbitat actiuum in appetitum tàm sensitiuum, quàm intellectiuum: & commune est etiàm approximationem ipsam (quidquid sit) non esse rationem, aut virtutem actiuam, sed conditionem sine qua non: & de hac vt poté ad communissimum artificem spectantè non est sermo in illo art. 2. cit. q. 30. p. 2. sed de præsentia, & absentia reali dicitur, quod concurrit ad actiuum in appetitum, vt in rationes partiales agendi, ità quod distinguunt specie passiones. Integratur enim ratio obiecti passionis appetitus sensitiui ex bonitate, vel malitia; præsentia, vel absentia, vel indifferentia, & apprehensione: & bonitas quidem, & malitia ex natura appetitus exigitur. Absentia verò, vel præsentia particularitati potentiæ respondet. Bonum delectabile, ait S. D. ad primum, non est absolutè obiectum concupiscentiæ, sed sub ratione absentis; sicut, & sensibile sub ratione præteriti est obiectum memoriæ: huiusmodi enim particulares conditiones diuersificant speciem passionum, vel etiàm potentiarum sensitiuæ partis, quæ respicit particularia. Apprehensio autèm respondet animalitati eiusdem appetitus. Ità Caiet. in Comment. art. 2. cit. vbi Sanctus Doctor quærit vtrùm concupiscentia sit passio specialis.

Doctr. 4. Caiet. in p. 2. q. 30. art. 2. virtus motiua finis, est alia à motiua efficientis

205. Quoad secundum Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. disputando de simultate in communi agentis, & passi, mouentis, & moti prout etiàm se extendit ad agentia spiritualia, ait, quod circà præsentiam secundum operationem remanet dubium an formalitèr in communi loquendo intèr agens in actu, & patiens, prætèr relationes agentis, & patientis, sit relatio præsentiæ ad inuicem, præsentiæ dico non præuenientis, sed concomitantis operationem qua relatione ipsum agens formalitèr dicatur præsens passo, & è conuersò. Si hæc ponatur (cùm talis præsentia sit relatio æquiparantiæ, ac per hoc exigens fundamentum eiusdem rationis in vtraque extremo) surgit quæstio de fundamento eius, & deindè de inseparabilitate eius ab operatio-

Opinio S. Thò. explicata à Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. excludens præsentiam approximationis, quæ est relatio æquiparantiæ, à simultate mouentis, & moti.

ratione. Nec video quomodo possit his quæstionibus satisfieri stantibus supradictis. Si verò non ponitur, nullas patiemur angustias, quoniam nulla est necessitas eam ponendi. Ex ratione namque agentis, & patientis vt sic, nullam opportet consurgere, aut concomitari relationem æquiparantiæ. Et ex hoc habeatur ratio ad partem negatiuam, quià pluralitas sine necessitate ponenda non est. Sufficit ergo intèr agens, & patiens esse primo simultatem secundum præsentiam ordinis; Secundo secundum operationem. Et in corporibus accidit tertia secundum quantitatiuum contactum. Et S. Doctor in 2. sent. dist. 15. q. 1. art. 2. ad sextum ait, quod actio cuiuslibet agentis habentis situm potius recipitur in medio, quàm in termino: non tamèn opportet, quod recipiatur in vtroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio vtriusque, sicut ponit exemplum Comment. 5. Phys. de pisce qui retentus in rete stupefacit manum, pratèr hoc quod stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est: & tamèn secundum aliquem modum rete alteratur ex virtute Piscis. Et sic ex hoc habetur, quod effectus, qui manifestè apparent in aliquibus experientijs licet videantur fieri in distanti, re vera tamèn ipsa virtus, quæ diffunditur transit priùs per medium, licet non habeat in illo similem effectum, quem habet in remotis, proptèr dissimilem dispositionem. Falsa igitur omninò est illa opinio, quæ ponit, quod agens agat in distans, quià semper agit, & in medium, & in subiectum distans, licet non semper idem effectus producatur in vtroque, ob diuersam capacitatem, & dispositionem, vt manifestant aliquæ experientiæ, puta de lebete ad ignem adhibito, qui aquas superiores priùs calefacit, & de torpedine stupefaciente manum piscatoris, & non cordam; Et de oculo fascinante puerum, & non aerem intermedium; & de magnete attrahente ferrum distans, & non corpus propinquum; Et de phantasia residente in capite mouente appetitum, qui est in corde. Ità Caiet. locis citatis.

Conclusio vnica Caiet. in p. p. q. 52. art. 1. cum sua prima prob.

206. Quo ad tertium Conclusio Caietani vnica est in p. p. q. 52. art. 2. & ponitur sub his verbis. Loquendo de simultate mouentis, & moti in sensu vniuersali, præsentia approximationis, quæ est relatio approximationis immediatè agentis in patiens immediatè, quæ præuenit actionem ordine naturæ saltem, non est necessaria: sed sufficit præsentia ordinis, & præsentia operationis.

Probatur à Caietano sic. Talis præsentia præueniens operationem, aut coincidit cùm prædictis, aut est vna fictio. Quoniam vel vtrumque, scilicet, agens, & patiens est corporeum, aut vtrumque spirituale, aut vnum spirituale, & alterum corporeum. Si vtrumque est corporeum, simultas præueniens actionem est quantitatiuus contactus, vt patet in hoc 7. Phys. hic autèm ad præsentiam circumscriptionis pertinet. Si verò vtrumque est spirituale, etiàm si fingendi daretur licentia, simultàs præueniens actionem est præsentia ordinis, non cuiuscumque sed talis, scilicet, immediati, &c. Et meritò quià vt August. docuit: hoc facit ordo in spiritualibus, quod situs in corporalibus. Et propterèà sicut, approximatio agentis ad passum in corporalibus attenditur secundum situm, ità in spiritibus secundum ordinem. Si autèm alterum est spirituale, & alterum corporeum, approximatio ista non potest fingi, quod sit spiritualis, quià spirituale insituabile est: opportet ergo quod coincidat cum approximatione ordinis, & approximatione secundum substantiam: Non facile enim esset, tertium quid fingere. Vndè si prædicta vera sunt, ità quod præsentia substantialis sit fictio, restat vt sola præsentia ordinis intelligi possit præueniens operationem, & sic ista præsentia approximationis conincidit cùm præsentia ordinis, & addit in corporalibus præsentiam secundum contactum quantitatiuum, & sic pura fictio est, si aliquid aliud esse dicatur; pluralitas autèm sinè necessitate ponenda non est, Ità Caiet, loc. cit.

Pro-

Probatur secundo à Caiet. cùm D. Th. in q. 8, p. p. art. 1. S. Doctor probare volens quod Deus est in omnibus rebus sicut agens immediate, & non sicut accidens vt pars. Probat per hoc assumptum, scilicet, omne agens opportet coniungi ei, in quod immediatè agit, & hoc probat auctoritate Arist. in 7. Phys. tex. 7. quià mouens, & motum opportet esse simul, ergo pro principio verò habetur à D. Th. quod mouens, & motum opportet, & debent esse simul, quæ est Conclusio responsiua quæsiti. Et patet hoc primum principium in Physicis per hoc simile. Sicut enim ad operandum in tempore, in quo res non est agens, ità se habet, ac si nunquàm fuisset; ità ad operandum in loco, vbi non est, ità se habet, ac si omninò non esset in rerum natura: sed sic est quod implicat contradictionem aliquid agere, nisi agens existat, vel per se, vel per suam virtutem eo tempore quo agit: ergo pariter repugnabit quod agat nisi sit præsens, vel per se, vel per suam virtutem in loco vbi operatur, & producit effectum. Ità Caiet. loc. cit. scilicet, de præsentia ordinis, & operationis, &c. *Probatio secunda eiusdem Conclusionis.*

207. Quo ad quartum Arguit Caiet. in p. p. q. 8. art. 1. ex Scoto in p. sent. dist. 37. quæst. vnica contrà processum in secunda ratione factum. Sol agit immediatè vbi non est, ergo &c. Antecedens probatur quià Sol generat in visceribus terræ minerale, vel aliquod mistum, & proximum principium eliciriuum talis generationis est substantia Solis, ergo &c. Probatur hoc, scilicet, quod substantia Solis sit proximum principium, quià antecedens quodcumque, siuè lumen, siuè quodcumq; aliud non potest esse principium substantiæ. *Arg. 1. Caiet. in p. p. q. 8. art. 1. ex Scoto in p. sent. dist. 37.*

Resp. Caiet. negatur quod Sol agat immediatè in distans, falsumque est quod forma substantialis sit eliciriuum principium generationis mineræ, quoniàm substantia nullius operationis est proximum, & elicitiuum principium, vt diffusè ostendimus in 2. Phys. & in p. p. q. 77. nec inconuenit accidens esse principium instrumentale generationis substantiæ: Instrumentum enim non est causa, sed causæ organum. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad primum Arg.*

208. Arguit secundo ibidem Caiet. art. 1. Agens naturale non posse agere in distans nisi præagat in præsens, oritur ex altero horum, scilicet, aut ex concursu duarum potentiarum subordinatarum in eodem agente, aut ex imperfectione potentiæ actiuæ non potentis producere perfectius nisi procedendo de imperfectiori ad perfectius. Exemplum primi, Sol non generat hoc nisi illuminet medium. Exemplum secundi generans non generat nisi alteret, & disponat, &c. Ergo agens non posse agere in distans, quin agat in præsens est proptèr istas conditiones, ergo non est necessarium simplicitèr: quià potest dari agens in quo neutra harum conditionum habet locum. *Arg. 2. Caiet. ibidem loc. cit.*

Resp. Caiet. ad Argumentum secundum quod proptèr neutram illarum causarum conuenit agentibus naturalibus non posse agére in distans nisi in propinquum præagat, sed est proptèr imperfectionem negatiuè pertinentem ad virtutem actiuam in quantum limitata est, & ideò reseruatur hoc Soli Deo: hanc rationem ex sensibus accepimus; illas verò Scotus finxit; vndè Arist. 7. Phys. inductiuè ex sensibilibus probat mouens etiàm intentionale, & motum opportere esse simul, vt patet ibi de obiectis sensuum. *Resp. Caiet. ad 2. Arg.*

Et si quæratur, quæ vniuersalis ratio sit, quod agens, & immediatum patiens opportet esse simul, seù coniungi? Resp. quod cùm esse simul, seù coniugi, & immediatè attingere non vniformitèr se habeant non potest eis vniformis ratio assignari: iàm enim dictum est quod præsentia substantiæ, & præsentia potentiæ immediatè in quibusdam sunt diuersæ, in quibusdam autèm coincidunt. Et proptereà dicen- *Ratio vniuersalis probãs quod agens, & patiens sunt simul.*

dum est, quod vbi hæ præsentiæ sunt omnino diuersæ, præsentia operationis infert præsentiam potentiæ ex limitatione agentis. Vbi autem sunt quasi idem, illatio tenet ex identitate illarum. Et propterea propositio illa omne agens, &c. est vniuersaliter vera in omnibus agentibus, quamuis ex diuersis radicibus in diuersis, & ideò ex ipsa merito procedi potuit ad inferendam præsentiam immensitatis Diuinæ in omnibus rebus. Et licet verum sit prius non inferre necessariò posterius, quando sunt omninò diuersa: attamen hæ præsentiæ non sunt omninò diuersæ, sed, vt dictum est, conincidunt in spiritualibus, vt ratio, & id cuius ratio, & propterea se habent aliquo modo vt prior, & posterior. Ità Caiet. art. 1. q. 8. in p. p. circà finem Comment.

Arg. 3. Caiet. ex p. p. q. 52. art. 2. contrà rationẽ Conclusionis.

209. Arguit tertio Caiet. in p. p. q. 52. art. 2. contrà primam rationem probatiuam Conclusionis, probando affirmatiuè, quod detur præsentia approximationis ad passum præuenientis actionem, hac potissima ratione. Quià agens agere in passum immediatum, & agens esse simul cum passo immediato sunt aliud, & aliud, & intèr se habeat naturæ ordinem; Et cum actio non sit prior simultate, relinquitur quod simultas est actione prior. Declarantur singula. Primum quià cum dicatur ex hoc 7. Phys. quod opportet agens, & patiens esse immediata simul, si esse simul nihil aliud est quàm illud agere, & hoc pati; dicendo, opportet agens, & patiens esse simul, nil aliud diceremus quàm opportet agens agere, & patiens pati, quod est ridiculum. Differunt ergo hæc intèr se. Deindè declaratur secundum, scilicet, quod sint hæc ordinata intèr se, quià vbi est pluralitas sine ordine, ibi est confusio. Demum declaratur tertium, scilicet, quod actio non sit prior simultate: quoniàm non ideò agens proximum est passo, quià agit, sed quià approximatum est passo, ideò agit. Patet ergo ex his quod necessaria sit ista præsentia approximationis.

Resp. Caiet. ad 3. Arg.

Resp. Caiet. concedendo, quod simultas agentis, & passi sit aliud ab operatione, & quod sit prior natura, quàm operatio. Sed negatur quod sit aliud quid, quàm præsentia ordinis in communi loquendo. Descendendo autem ad corporalia, negatur quod sit aliud à præsentia ordinis, & situs: hæ enim duæ sufficiunt ad hoc, quod illud immediatè agat, & illud immediatè patiatur. Situalis quidem præsentia requiritur, quià quanta sunt: ordinis verò quià actiua, & passiua sunt. Et quoniam vtriusque huius ambiguitatis tractatæ, pars negatiua, quæ est Conclusio nostra, rationi magis est consona, & ex notis nobis, resolutè intellectum quietare videtur; ideò partem negatiuam tenendam arbitror. Et sic tres tantùm præsentias acceptamus in simultate mouentis, & moti, secundum situm, secundum operationem, & secundum ordinem. Ità Caiet. loc. cit.

Et nota, quod ad illud de puluere simpathico applicato corpori alicuius saucij, cum sanguine tincto alicuius vulnerati absentis per tot milliaria, inducat sanitatem. Resp. Caiet. cùm Thomistis quod illa virtus pulueris (quando non habeatur pro superstitioso) occultissimo modo per aera virtute etiàm occulta Cœlorum, defertur ad corpus, quod sanat. Ità Caiet.

QVAE-

QVÆSTIO IV. SEPTIMI PHYSICORVM

Vtrùm grauia, & leuia moueantur à seipsis

EX CAIETANO

In p. p. q. 18. art. 1. & alibi in suis Commentarijs.

210. CAiet. vt saluet contrà Scotistas hanc propositionem in suo sensu vniuersali, scilicet, omne quod mouetur, ab alio mouetur, ex quo medio, scilicet, ex motu concluditur existentia primi motoris immobilis in hoc 7. Phys. instituit hanc quæstionem de grauibus, & leuibus; & non est sermo, ait Caiet. de causa per accidens de eorum motu, quià certum est grauia, & leuia per accidens moueri à remouente impedimentum: Sed est sermo de causa per se talis motus, an, scilicet, illud principium actiuum motus, quod habent grauia, & leuia, scilicet, grauitas forma substantialis grauis; & leuitas forma substantialis ipsius leuis, ex quibus formis resultat motus deorsum in primis, & motus sursum in secundis, sit sufficiens in eisdem ad denominanda grauia, & leuia, quod absolutè mouent se ipsa, & nequaquam ab alio extrinseco moueantur; vel dicatur. An in grauibus, & leuibus detur principium actiuum sui motus per veram actionem, & non consecutiuè, & emanatiuè. Ità Caiet. varijs in locis Commentarijs. *Declaratur Titulus quæstionis à Caiet. in varijs locis.*

211. Adnotat Caiet. in p. p. q. 18. art. 1. cùm D. Th. ad secundum quod corporibus grauibus, & leuibus, non competit moueri nisi secundum quod sunt extrà dispositionem suæ naturæ, vtporè cùm sint extrà locum proprium. Cùm enim sunt in loco proprio, & naturali, quiescunt: Sed plantæ, & aliæ res viuentes mouentur motu vitali, secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autèm in accedendo ad eam, vel in recedendo ab ea; imò secundum quod recedunt à tali motu, recedunt à tali dispositione. Et prætereà corpora grauia, & leuia mouentur à motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel remouente prohibèns vt dicitur in 8. Phys. tex. 32. & ità non mouent se ipsa, sicut corpora viuentia. *Doctr. 1. Caiet. ex p. p. q. 18. art. 1. in Resp. ad 2. declarans quod mouere se competit solis viuentibus: & moueri grauibus, & leuibus.*

Caiet. addit, aduerte quod non intendit hæc littera D. Th. limitare Conclusionem responsiuam quæsiti, quasi addenda sit hæc particula, scilicet, in sua naturali dispositione, sed intendit, quod ex ista differentia, scilicet, quod grauia, & leuia non mouent se in sua naturali dispositione, viuentia autèm sic, habetur quod illis non conuenit absolutè mouere se, sed viuentibus tantùm, propterea quià hinc manifestatur, quod motus illorum per se spectat ad accessum ad perfectionem naturalem, & consequentèr spectat ad complementum generationis ipsorum. Et quià nihil generat se, sed ab eo, à quo generatur completur suum generari, ideò motus grauium, & leuium generanti attribuitur. In motu autèm viuentium manifestè patet, nihil horum inueniri. Et propterea sola viuentia se ipsa mouent. Et hæc sunt valdè notanda in materia de motu grauium, & leuium, quoniàm subtilissima, & clarissima ratio eorum motus hic habetur. Ità Caiet. loc. cit.

212. Quo ad 2. Caiet. pluribus in locis contrà Scotum, & eius Asseclas constantèr cùm D. Th. & Thomistis defendit, grauia, & leuia non moueri à se ipsis, sed à ge- *Opinio S. Th. de grauibus, & le-*

ge-

nibus dilucidata contrà Scotum à Caiet. cùm sua, & Thomistarum.

generante, & ait esse expressam Arist. in 8. Phys. c. 4. tex. 29. vbi inquirens à quo principio moueantur grauia, & leuia, ait: est autèm impossibile, quod moueantur à se ipsis, est enim hoc officium vitæ, & animatorum proprium; Nec valet Responsio Scotistarum glosans dictum Arist. scilicet, quod animalia dicuntur à se ipsis moueri, quià in quibuscumq; fuerint locis, quocumq; & quandocumq; posse se mouere, nullo alio motore præsupposito: Inanimata autèm in hoc sensu intelligit Arist. non posse se mouere, scilicet, per exclusionem alicuius alterius, cuius motio necessaria est, ad hoc vt moueri possint: benè tamèn possunt moueri à se per exclusionem extrinseci motoris particularis per se, & immediatè illa mouentis: Baculus enim à manu immediatè motus, non dicitur à se moueri. Et hæc non possunt negari ab Arist. non valet, ait Caiet. ista Resp. Scoti, & nequaquam suffragatur propriæ opinioni: imò de se corruit ex ipsa sententia Arist. & S. Th. quæ consistit in hoc, quod dans formam, est simplicitèr causa proprietatum, veluti propria actione illas producens: Forma autèm est quodammodò, & secundum quid causa, in quantum videlicet non producit propria actione media, sed ab ipsa vt à principali agente primo producta naturalitèr resultant; sicut risibilitas fortis primo quidem, & principalitèr producitur à generante fortem, secundariò autèm, & per naturalem resultantiam à natura fortis producitur. Et ignorantia huius multos errare fecit: Arbitrantur enim velle S. Doct. quod grauia, & leuia sic moueantur à generante, etiàm ipsó corrupto, quasi per nouam quamdam actionem nouumq; impulsum ipsa moueat, quod nunquam S. Doct. somniauit: sed corrupto generante, vult, si sunt extrà locum grauia, quod remoto impedimento, & prohibente, ad formam rei, in qua saluatur virtus agentis naturalitèr resultat motus nec valet etiàm differentia data à Scoto intèr viuentia, & non viuentia, quod viuentia se mouent media cognitione, non viuentia mouent se absq; media cognitione. Non valet, inquam, quià plantæ vegetabilem vitam habentes, absq; cognitione se mouent, & per id distinguuntur à non viuentibus quià plantæ, scilicet, mouent se, inanimata non mouent se; & alia animalia in motu augmentationis, & in alijs motibus naturalibus non media aliqua cognitione mouent se, & tamèn talis motus est proprius illorum, & viuentium. Ità Caiet. in loc. varijs citandis infrà.

Vnica Concl. Caiet. ex p. p. q. 18. a. 1. cùm sua prob. ex corpore art. & ex Resp. ad 2. desumpta.

213. Quoad 3. Vnica Conclusio ponitur à Caiet. in p. p. q. 18. art. 1. sub his verbis. Grauia, & leuia in hoc differunt à viuentibus propriè, quod ista mouent se ipsa; illa verò non, sed mouentur à motore extrinseco generante, qui dat formam.

Probatur à Caiet. cùm D. Th. sic, & in corpore art. cit. & in Resp. ad secundum subtilissima, & clarissima ratione. Differentia viuentium à non viuentibus ex manifestè viuentibus sumenda est, ergo ex vita animalium, ergo ex eo in quo primo manifestatur vita, & in quo vltimo remanet, ergo ex mouere se ipsum, ergo illa sunt propriè viuentia, quæ se ipsa secundum speciem aliquam motus mouent, & non propriè viuentia quæ non mouent se, sed mouentur à motore extrinseco. Prima Consequentia probatur auctoritate libri de vegetabilibus libro primo de Plantis cap. 1. vbi dicitur, quod vita in animalibus manifesta est; Tertia Consequentia probatur quià tamdiù iudicatur animal viuere, quamdiù ex eo motus apparet, quando verò iàm ex se non habet aliquem motum, sed mouetur tantùm ab alio tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ; Siuè accipiatur motus propriè, sicut motus dicitur actus imperfecti, idest existentis in potentia: Siuè motus accipiatur communitèr, pro vt motus dicitur actus perfecti, pro vt intelligere, & sentire dicitur moueri ex 3. de Anima lib. 3. tex. 28. & lib. 2. tex. 118. ità vt viuentia dicuntur quæcumq; se

se mouent ad motum, vel ad operationem aliquam. Ea verò in quorum natura non est, vt se agant ad aliquem motum, vel operationem vt grauia, & leuia viuentia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem. Et sic patet Conclusio de grauibus, & leuibus, cuius ratio prætèr ea, quæ S. Doctor dicit in Resp. ad secundum fundatur in differentia intèr viuentia, & non viuentia, quod illa mouent se, ista non, sed mouentur simplicitèr, & absolutè dùm sunt in sua naturali dispositione. Ità Caiet. cùm D. Th. loc. cit.

Argumentum vnicum Caiet.

214. Quoad 4. Arguit Caiet. Vnico Argumento Viuere est habere in se permanentèr principium sui motus, quod sit proprium ipsi: sed in lapide est grauitas, & in igne leuitas, quæ sunt principia suorum motuum, & illis propria, & permanentèr ergo &c. ergo nulla ratio Conclusionis.

Resp. Caiet. ad suum Argumentum vnicum.

Resp. Caiet. negando minorem, quià non viuentia, accipiunt virtutem à generante, quæ petit exire in actum, & possidere terminum, ad quem ordinatur illa potentia, vt patet in igne, qui in instanti generationis potest generare, & in eodem mouetur sursum versus propriam sphæram; & in lapide, à quo, si aufertur impedimentum, statim descendit deorsum ad centrum; hinc fit, quod ista virtus non dicitur propria illis, sed generanti, quod ratione illius, quasi remanet in genito, & per illam generans dicitur operari in ipsis, & hoc est quod ait S. Doct. in ly sua naturali dispositione. Ità Caiet.

QVÆSTIO V. SEPTIMI PHYSICORVM

Vtrùm motus, cordis sit simplicitèr à generante

EX CAIETANO

P. p. q. 66. art. 2. & ex p. 2. q. 17. art. 9.

Doctr. Caiet. in p. p. q 66. art. 2. de Motu Circulari Cœli, qui assimilatur motui cordis, & ex D. Th. in opusc. suo 35. totum.

215. ADnotat 1. Caiet. circà motum cordis in p. p. q. 66. art. 2. ex Resp. sua propria, quam dat ad hoc Argumentum à se propositum, scilicet. Si Cœlum esset compositum ex materia, & forma, non esset opus anima siuè intelligentia motrice, tenet sequela, quià formam sequeretur motus circularis, sicut motus deorsum sequitur formam grauis. Resp. Caiet. negando sequelam, & ratio est, quià motus circularis est motus animalis, & non merè naturalis, & proptereà non superfluit forma Cœli. Nec est principium purè passiuum respectu motus circularis, sed quemadmodum forma cordis concurrit ad motum cordis medio modo, intèr purè passiuum, & actiuum, & tamèn non nisi ab anima motus ille esse potest: ità forma Cœli natura talis est, ad quam in coniunctione ad animam, seù intelligentiam natus est sequi motus circularis. Vndè substantia corporalis Cœli est principium naturale motus circularis, alioquin rueret totus processus in primo de Cœlo, & Mundo ad inferendam quintam essentiam, & nihilominus opportet animam adiùngere, sicut patet in motu cordis. Est enim primus motus in vniuerso, sicut motus cordis in animali, vt patet in 8. Phys. Ità Caiet. & D. Th. in opusc. 35. per totum, ex quo opusc. Caiet. desumpsit sequentia.

216. Ad-

Doctr. 2. Caiet. in p. 2. q. 17. a. 8. in Resp. ad 3. quod motus cordis est vitalis nō purè naturalis ex D. Th. in opusc. 35. per totum.

216. Adnotat 2. Caiet. in p. 2. q. 17. art. 8. in Resp. ad vltimum in fine Comment. & primo notat, quod dispositio requisita ad motum membrorum, in actibus nutritiuæ, & generatiuæ potentiæ, non est illa qualitas, de qua dicitur, quod sequitur passionem appetitus, mediante motu cordis: sed est qualitas naturalis soli naturæ subiecta, per quam motus iste non voluntarius, sed naturalis est. Nota secundo quod in littera art. 8. cit. duæ causæ ex Arist. tanguntur, quare membra hæc habent motum proprium naturalem. Prima est quià quodlibet eorum est quasi separatum animal; secunda est, quià quodlibet eorum est principium. Ex prima enim habetur, quod motus iste non subditur imperio superioris partis, ex quo enim quasi separatum animal secundum se ipsum, habet motum non imperatum ab alio. Ex secunda verò, quod motus iste naturalis est, quià principia opportet esse naturalia. Et S. Doctor in art. 9. q. cit. ad secundum licet cor sit tantùm in sensitiuis corporibus, comprehendit tamèn hunc motum cordis intèr motus illos, qui consequuntur vires naturales: non autèm intèr illos, qui causantur à potentijs sensitiuis. Et vires, idest potentiæ sensitiuæ subduntur imperio rationis, ait S. Doct. in art. 7. q. cit. Non autèm vires naturales. Et membra corporis assimilantur potentijs, quarum sunt in obediendo, vel non obediendo rationi. Ità Caiet. cùm D. Th. opusc. 3. &c.

Opinio D. Th. explicatur à Caiet. contrà Scotū varijs in locis Comment. & inatà mentem D. Th. in opusc. suo 35. de motu cordis.

217. Quo ad secundum Caiet. ait, quod aliqui vt saluent propositionem illam quod, scilicet, omne quod mouetur ab alio mouetur distinguunt. Quæ mouentur, vel sunt animata, vel inanimata, si hoc secundum ab alio supposito distincto moueri debent, puta à generante; Si primum, ista diuiduntur in partem per se mouentem, & in partem per se motam; Et sic mouens distinguitur à moto, vt inclusum ab includente, & talis naturæ est cor in animalibus: Cor tamèn, aiunt isti, mouetur à se ipso. Alij verò tribuunt istum motum cordis generanti. Et sic Scotus concedit, quod idem potest se ipsum mouere; prout est agens æquiuocum, non vniuocum, nec est necesse, ait ipse, vt ab alio distincto moueatur, vel suppositalitèr, vel vt pars à toto in illo genere, & ordine motus, quo ipsum mouetur. Nos tamèn, ait Caiet. dicimus quod motus cordis medio modo se habet intèr purè passiuum, & intèr purè actiuum, & non nisi ab anima esse potest sicut motus circularis; Et in loc. cit. cùm D. Th. Caiet. ait, quod motus cordis quià vitalis, ex ipso primo actu dato sibi à generante vt naturali, ponit se in dispositione, vt moueat se ad cæteros subsequentes actus; vt de prima intellectione, & de prima volitione dicetur in sequenti quæstione pro quanto spectat ad Physicum. Ità Caiet. pluribus in locis &c.

De opinionibus circà motum cordis videas opusculum D. Th. 35. ad Magistrum Philippum de motu cordis, vbi confutat opiniones respondendo in fine opusculi ad eorum Argumenta; statuendo suam mentem, quod motus cordis principium est omnium motuum, qui sunt in animali, & est similis circulari, compositus, scilicet, ex tractu, & pulsu, proptèr quod opportet sicut in circulo manere aliquid, & hinc incipere motum. Ità D. Th.

Concl. Caiet. responsiua quæsiti cùm sua probatione ex p. p. q. 66. art. 2.

218. Quo ad 3. Conclusio de motu cordis ponitur à Caiet. in p. p. q. 66. art. 2. sub his verbis sic. Forma cordis concurrit medio modo intèr purè passiuum, & actiuum ad motum proprium. Probatur ratione tali ex loc. cit. Motus cordis se habet in animali, sicuti motus circularis in vniuerso, & sicuti primi motus animæ rationalis: atqui motus circularis in vniuerso medio modo se habet intèr actiuum, & & purè passiuum, & primi motus animi rationalis non sunt purè passiui naturales, sed actiui vitales: Ergo etiàm motus cordis medio modo, se habet intèr purè passiuum, & actiuum. Maior constat ex doctrinis supra in titulo allatis. Minor probatur quoad motum circularem (quià de primis motibus animi patebit in quæstione

ne

ne sequenti) forma Cœli natura sua talis est (vt est primus motus localis in vniuerso) vt non nisi ad ipsam in coniunctione ad intelligentiam natus sit sequi motus circularis, vndè intelligentiam opportet adiungere, & per consequens non est merè naturalis sicuti motus grauis, ergo si motus cordis se habet sicut motus circularis non erit purè naturalis, vt est motus grauium, sed etiàm erit animalis, quià non nisi ab anima, & per consequens medio modo se habens. Et sic concluditur, quod motus cordis tribuitur primò generanti, & est ab ipso vt à primo mouente, quià in sui principio habet principia naturalia, & in hoc primo motu est similis generanti graue, cui tribuitur motus grauium: proximè tamèn vt vitalis est tribuitur cordi, & est ab ipso proximè, quià ipse est pars mouens, & aliæ partes corporis sunt motæ ab ipso. Ità Caiet. loc. cit.

219. Quoad 4. Arguit Caiet. ex D. Th. in p. 2. q. 17. a. 9. Cor est principium motus animalis: sed sic non potest esse nisi merè naturalis, ergo cor non medio modo se habet. Probatur minor: Motus cordis non subditur imperio rationis: dicit enim Gregor. Nicen. quod pulsatiuum non est persuasibile ratione, ergo est purè naturalis.

Arg. 1. Caiet. ex p. p. q. 17. a. 9. cũ D. Th. cùm sua Resp. ex D. Th. ad 2. qui in suo opuscul. 35. habet quod fortè secũdum hunc intellectum quidam dixerunt motum cordis esse ab intelligentia in quantum posuerunt animam esse ab intelligentia vt Philosophus dicit in 8. Phys. motum grauium, & leuium esse à generante in quãtùm dat formam, quæ est principium motus.

Resp. Caiet. quod Argumentum probat solummodo quod partim est naturalis, & non simplicitèr, scilicet, est naturalis ex hac parte, quià principium corporalis motus est à motu cordis: vndè motus cordis secundum naturam est, & non secundum voluntatem: consequitur enim sicuti per se accidens vitam, quæ est ex vnione corporis, & animæ; & in hac parte est sicut motus grauium, & leuium, qui consequitur formam substantialem ipsorum; vndè, & ista grauia, & leuia moueri dicuntur à generante secundum Philosophum in 8. Phys. Motus tamèn ex alia parte est vitalis respectu cordis obtinentis vitam, & ideò in tali dispositione mouet se vitalitèr, & cætera membra ad Auct. Greg. Nis. dicitur, quod sicut generatiuum, & nutritiuum non obedit rationi, ità nec pulsatiuum quod est vitale: Pulsatiuum autèm appellat motum cordis, qui manifestatur per venas pulsatiles. Ità Caiet. cùm D. Th.

220. Arguit 2. Caiet. ex auctoritate D. Th. qui in quæstionibus de Anima in eodem ordine motus, absolutè ponit, & motum cordis, & motum ignis, & motum augmenti, & decrementi, & motum alimenti diffusi per totum corpus; & posteà addit quod cor non mouet se, sed naturalitèr mouetur, sicut ignis, ergo medio modo non se habet motus cordis, sed secundum D. Th. motus cordis sequitur formam cordis, vt graue formam suam.

Arg. 2. Caiet. desumptum ex Auct. D. Th.

Resp. Caiet. ex p. cont. gent. cap. 97. cùm Ferr. quod omnes illos motus posuit S. Doct. in eodem ordine, quantum ad naturalitatem: omnes enim prædicti motus conueniunt in hoc, quod sunt naturales, & sic quantùm ad hanc partem sicut ignis non dicitur mouere se ipsum, ità nec cor in principio sui motus: sed sub hac ratione communi distinguuntur, quià sicuti motus nutritionis, & augmenti est à motore intrinseco, ab illa, scilicet, parte, in qua est potentia nutritiua, & augmentatiua subiectiuè, & ideò dicitur quod mouet se ipsum id quod nutritur, & augetur, & motus vitales sunt; Ità motus cordis in quantùm est à principio intrinseco, & mouet alias partes corporis, & viuit, sicuti etiàm plantæ dicuntur viuere, vndè motus ex hoc, quod in vitalitate conueniunt, dicitur etiàm cor mouere se ipsum. Plantæ igitur naturalitèr mouentur sicuti cor, quià à forma naturali; & cor etiàm mouet se ipsum, sicut plantæ per hoc quod vtrumq; viuit, eiusq; motus vitales dicuntur, & sic verificatur nostra Conclusio: quod motus cordis medio modo se habet &c. Ità Caiet. cùm D. Th. in opusc. 35. vbi ait sic igitur motus cordis est naturalis, quasi consequens animam in quantùm est forma corporis talis, & principalitèr cordis; & est si-

Resp. Caiet. ad Auct. D. Th. ex 1. cont. gent. cap. 97.

cut motus Cœli in mundo: sed tamen opportet motum cordis à motu Cœli deficere, vt principiatum deficit à principio &c.

QVÆSTIO VI. SEPTIMI PHYSICORVM

Vtrùm prima intellectio, & prima volitio in nobis sit ad modum motus grauis

EX CAIETANO

P. p. q. 105. art. 4 & q. 82. art. 4. & in p. 2. q. 9. & 10. diffusè.

Doct. Caiet. in p. p. q. 82. a. 4. & in p. 2. q. 9. a. 4. de primis motibus animi, in quibus sistendum est, vtpotè datis ab Auctore naturæ, seu generante ne detur processus in infinitum.

221. ADnotat Caiet. quod hæc quæstio partim est resoluta in 2. Phys. & in hoc 7. quæstione secunda suprà. sub hac tamèn formalitate præcisa de prima intellectione, & prima volitione in nobis, àn sit iste motus primus, sicuti motus grauis à generante, plenè resoluit in p. p. q. 82. art. 4. & notat cùm D. Th. in Resp. ad 3. quod in istis motibus rationalibus non opportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu, sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est, quod præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis, sed principium consiliandi, & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro, quod est Deus, vt etiàm Arist. dicit in 8. Eth. & per hunc modum ostendit, quod non est procedere in infinitum, quomodo autèm sit hoc, iàm S. Doctor declarauit in p. 2. q. 9. art. 4. cuius doctrina est allata in hoc eodem lib. 7. q. 2. suprà, & Caiet. ibi dixit, quod sicut generans graue dat graui naturalem appetitum motus, & loci deorsum, & propterea cessante impedimento, graue ex appetitu accepto mouetur deorsum, & quiescit ibi: ità genitor voluntatis dat ei naturalem inclinationem in bonum, ità quod proposito per intellectum bono, absq; impedimento voluntas tendit in illud actu elicito, qui est volitio. Et hic actus dicitur esse ab exteriori agente, ea ratione, qua motus grauis à generante dicitur, & meritò, quià ad hunc actum voluntas non concurrit vt proptèr finem agens, sed vt ad finem tendens ex directione superioris agentis, ordinantis ipsam in hoc; & non est à voluntate applicante se ad volendum, sed naturalis: quià dator naturæ applicat ipsam mediante inclinatione data ad volendum. Ità Caiet. qui in fine Comment. art. 4. p. 2. cit. concludit deueniendum esse in voluntarijs ad vnum actum non voluntarium, sed naturalem, in quo fit status, ne detur processus in infinitum.

Opinio Caiet. de primis, & de alijs à primis in p. p. q. 82. a. 4.

222. Quo ad 2. Caiet. in p. p. q. 82. art. 4. in fine Comment. explicat opinionem D. Th. circà primos motus animi nostri contrà illos, qui tenent verificari propositionem (omne quod mouetur ab alio mouetur) in motu physico, scilicet, alterationis, augmenti, & locali, & non in his motibus animi nostri, & ait, quod natura non sufficit ad primos motus animi nostri, scilicet, intellectus, & voluntatis, vt moueat se ad istos; & non ponimus miracula, sed ponimus generalem influxum, sicuti in

in corporibus, itá in ordine Intellectuum, & de eis specialem ponimus prouidentiam, & non à casu esse factos, & motos. Itá Caiet. loquendo non de primis, sed de alijs à primis &c.

223. Quo ad 3. Prima intellectio, & prima volitio, qui sunt primi motus animi nostri, sunt ad modum motus grauium, & leuium, scilicet, à datore intellectus, & voluntatis. *Conclusio vnica Caiet. Resp. quaesiti cũ sua probatione ex p. 1. q. 9. art. 4.*

Probatur à Caiet. vnica ratione in loc. cit. Isti primi motus animi nostri sunt purè naturales, ergo ad modum grauium, & leuium, sunt à datore formæ intellectiuæ, & volitiuæ. Antecedens probatur ad hos primos motus proprios nec intellectus, nec voluntas concurrit modo rationali, quià intellectus non ex inquisitione finis, nec ex præcedenti consilio; & voluntas in suo primo motu non concurrit vt applicante se ad volendum, nec vt proptèr finem agens, sed merè naturalitèr tendens ad finem sicuti graue, & leue ad suos fines, ex directione, scilicet, superioris agentis ordinantis ipsam in hoc, idest à datore naturæ applicante ipsas potentias mediante forma intellectiua ad intelligendum primo, & mediante inclinatione data ad volendum primo, ergo vt purè naturales omninò; & per consequens ad modum grauium, & leuium, ex appetitu naturali, quod est non mouere se, sed moueri; quod indè posteà in hac sua naturali dispositione positi, moueant se, & ad inuicem moueantur intellectus, & voluntas, si in hoc moueri moueantur ab alio in alijs actibus, iàm in præcedentibus quæsitis cit. determinatum est. Sufficiat hic scire quod ne detur processus in infinitum sit status in prima volitione, & intellectione. Itá Caiet. loc. cit.

224. Quo ad 4. Arguit Caiet. Si voluntas in suo primo motu, idest prima volitione moueretur ex instinctu naturali ab intellectu naturalitèr moto ad modum grauium, & leuium, scilicet, à generante, sequitur quod voluntas naturalitèr moueatur, & sic homo in suo primo velle, & intelligere se habeat ad instar animalis bruti, imò ad instar rei inanimatæ: hoc non est concedendum ergo &c. *Arg. 1. Caiet. ex p. 1. q. 9. a. 4.*

Resp. Caiet. in p. 1. q. 9. art. 4. negando sequelam: vera veiq; esset sequela si ex hoc actu primo, vndè mouetur instinctu naturali, & ideò naturalis, & non voluntarius, moueretur exindè ad alios citrà primum, eodem instinctu naturali, vt mouentur ad omnia, bruta, & res insensatæ: sed quià iste primus actus voluntatis est ex instinctu dato ab exteriori, non quod sit obiectum, sed quod est causa effectiua Deus, ideò mouet se ipsam ad volendum alia proptèr finem ex hac naturali volitione finis, quod brutis, nec rei insensatæ conuenit, per consequens benè negatur sequela Scoti deducta ab antecedenti, in prima volitione, & prima intellectione, quæ necessariò dicenda est proueniens à generante vt sistatur ibi ne detur processus in infinitum, & deueniatur ad primum motorem omninò immotum, qui est benedictus Deus &c. Itá Caiet. loc. cit. *Resp. Caiet. ad Arg. 1.*

225. Arguit 2. Caiet. ex D. Th. in q. 10. probando quod voluntas non mouetur ad aliquid naturalitèr. Agens naturale diuiditur contrà voluntarium, vt patet in principio 2. Phys. tex. etiàm 49. non ergo voluntas ad aliquid naturalitèr mouetur. *Arg. 2. Caiet. ex D. Th. q. 10. p. 2. art. 1.*

Resp. Caiet. ex D. Th. quod voluntas diuiditur contrà naturam, sicut vna causa contrà aliam, quædam enim fiunt naturalitèr, & quædam fiunt voluntariè. Est autèm alius modus causandi proprius voluntati, quæ est domina sui actus, & sic consideretur vt electiua est per modum proprium, idest liberè à proposito ad vtrumlibet, & sic causalitatem habet, & non naturalitèr, quidquid enim causat, quià vult, liberè causat. Est, & alius modus causandi ipsius voluntati, qui conuenit ipsi vt natura, vel vt quædam res est, & sic etiàm causalitatem habet, quidquid enim causat aliquid, *Resp. Caiet. ad Arg. 2.*

quià talis res est, naturalitèr causat illud. Et si vlterius perspexeris, quod natura, vt S. Doctor dicit in Resp. ad primum loc. cit. est causa essentialitèr prior, causa voluntaria, quià esse in vtroq; est prius quàm operari &c. videbis quoq; quod voluntas non solùm natura quædam est, sed priùs habet rationem naturæ, & causalitatem, quàm propriam.

Et si postremo penetraueris, addit Caiet. quod in causis essentialitèr ordinatis, coniunctus in vnam rem, id quod est prioris causæ proprium, participatur à posteriori, vt supremum infimi, attingat infimum supremi, videbis quod voluntatis prima opera, opportet esse naturalia, & priùs ipsam velle aliquid naturalitèr, quàm liberè. Et hanc subtilitatem, si perspiciens, sectatus fueris habebis claram solutionem Scoticæ argumentationis in materia de processione Spiritus Sancti, & de naturalitate voluntatis, quæ omnia in prima parte D. Th. tractata sunt. Distinxit enim voluntatem contrà naturam non solùm in genere causæ, sed in genere rei. Et ideò intulit omnimodam disparationem, cùm tamèn sint causæ essentialitèr subordinatæ vt in art. cit. & in q. 9. cit. art. 4. de eorum actibus primis patet, & suprà in Conclusione, & in Adnotatione Tituli. Voluntas igitur non solùm priùs habet naturæ rationem, quàm causalitatis propriæ, sed velle naturale, opportet esse principium volendi. Ità Caiet.

Arg. 3. Caiet. ex D. Th. ibidem loc. cit. q. 10. cum sua Resp.

226. Arguit 3. Caiet. ex D. Th. p. 2. q. 10. art. 1. Id quod est naturale, inest alicui sempèr, sicut igni esse calidum, sed nullus motus inest voluntati sempèr, ergo nec primus motus eius erit naturalis.

Resp. Caiet. ex D. Th. quod esse callidum inest sempèr igni, quià est naturale quasi consequens formam tantùm; quod autèm est naturale sicut consequens materiam non semper actu inest, sed quandoq; secundum potentiam tantùm. Voluntas de potentia reducitur ad actum, & sic non sequitur dum aliquid vult, quod semper velit, sed solum quando est in aliqua dispositione determinata.

Addit Caiet. ex hac Doctrina, habes, vir docte, quod non solum aptitudo ad motum, & operationem inest subiecto per se, vt grauitas, & risibilitas, sed motus ipse, & operatio, vt descensus lapidis, & ascensus ignis, & risus &c. Ità Caiet. in q. 10. p. 2. art. 1. in quo subtilia, & profunda inuenies de motibus voluntatis. Hæc sufficiant.

LIBER OCTAVVS
Physicorum

QVÆSTIO PRIMA

An sit demonstrabile, quod de facto Mundus incæperit; sitque demonstrabile fuisse ab æterno

EX CAIETANO

P. p. q. 46. art. 1. 2. & 3. & alibi in Commentarijs.

227. Caiet. in p. p. q. 46. art. 2. cùm D. Th. declarat titulum dicendo, quod quærendo an sit demonstrabile, &c. est idem ac quærere, an Mundum incæpisse, sit articulus Fidei, & in titulo hoc, articulus Fidei sonat, quod sola Fide tenere opportet. Est sensus quæsiti, vtrùm Mundus, idest vniuersitas creaturarum, quod incæperit, sit articulus Fidei; & non vtrùm singulas species creaturarum incepisse, sit articulus Fidei. Dato namque, quod hominem incæpisse, sit demonstrabile, quoniàm stat cùm inceptione hominis æternitas Mundi, vel Angelorum, vt in Resp. ad 8. art. 2. cit. dicitur. Considerandum tamèn, quod hæc ratio particularis est, ait S. Doctor, vndè posset dicere aliquis, quod Mundus fuit æternus, vel saltèm aliqua creatura, vt Angelus, non autèm homo. Nos autèm intendimus vniuersalitèr an aliqua creatura fuerit ab æterno. Causa autèm, quare hoc dixerit, est quià secundum Doctrinam Auctoris ratio inducta cogit. In Argumento 8. art. 2. cit. est hæc ratio. Si Mundus, & Generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt: sed anima hominis est immortalis: ergo infinitæ animæ humanæ nunc essent actu, quod est impossibile, ergo ex necessitate sciri potest, quod Mundus incæperit, & non sola Fide tenetur. Hæc, inquam ratio, ait Caiet. cogit, sed est particularis, quià demonstrat aliquam creaturam, idest hominem generantem non fuisse ab æterno, hoc tamèn non est contrà quæsitum, & Conclusionem infrà ponendam, vniuersalitèr: est tamèn parùm vtilis, addit S. Doctor, in 2. cont. gent. cap. 38. hæc ratio cogens particularis quoniàm multa supponit in quibus discordant Philosophi. Ità Caiet. in declaratione tituli suprà art. 2. q. 46. cit. p. p.

Explicatio tituli facta à Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. & 2. quod intelligendus, & sumendus sit in sensu vniuersali & nō particulari respectu alicuius partis Mundi tantum.

228. Adnotat primo Caiet. in p. p. q. 44. art. 1. quod S. Doctor in Resp. ad secundum explicitè concedit plura entia necessaria, ex quorum tamen necessitate Scotus inferre non potest eorum entium æternitatem, scilicet, quod sint æterna, quià non possunt habere causam, ait Scotus: quod etiàm probat S. Doctor in 2. cont. gent. cap. 30. Et scito quod secundum rem nulla fortè est dissensio Scoti ab Auctore, sed tantummodo in vocabulis: quoniàm Scotus, & alij sequaces eius, nomine necessarij simplicitèr intelligunt id, quod nulla potentia potest non esse, & sic solum Deum dicunt necessarium simplicitèr, S. Th. autèm peripateticis sermonibus assuetus iuxtà inten-

Doctr. vnica Caiet. ex p. p. q. 44. art. 1. quod dantur entia necessaria, non tamèn sunt æterna à parte: antè de hac necessitate

videas diffusè Caiet. in q. 9. art. 2.

intentiones 5. Met. necessarium simplicitèr vocat id, quod non potest non esse per potentiam in se. Et propterea concedit, & probat multa entia necessaria simplicitèr. Et in re vera, quià iudicium de rebus debet dari, & dici secundum propria ipsarum rerum, & non secundum extranea; insuper rationabilior est nominatio Auctoris: quoniàm multa entia sunt, quæ in se nullam habent potentiam ad non esse, & sic verum est simplicitèr, quod non possunt non esse, & consequentèr quod sunt entia necessaria: quamuis secundum potentiam Logicam, & potentiam in alio, scilicet, Deo, omnia alia à Deo possunt non esse. Et hinc habes quàm puerilitèr, ne dicam ignorantèr, præsumpserunt quidam dicere, quod verba S. Th. in hac materia malè sonant: attendant naturis rerum, sermoni formali ac proprio, & intentionibus Metaphysicis: & deprehendent cæcitatem propriam. Ità Caiet. loc. cit. Vide Caiet. in p. p. q. 9. art. 2.

Opinio S. Th. contrà Scotum, & contrà Philosophos antiquos recitata, & explicata in tota q. 46. art. 2. ex p. p.

229. Quo ad secundum Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 2. in Resp. ad primum vbi quæritur an mundum incæpisse sit articulus Fidei, recitat duas opiniones. D. Aug. in lib. 11. de Ciuit. Dei c. 4. & lib. 10. cap. 31. dicit quod Philosophorum ponentium æternitatem Mundi duplex fuit opinio. Quidam enim posuerunt, quod substantia Mundi non sit à Deo. Et horum est intolerabilis error. Et ideò, ex necessitate refellitur. Quidam autèm sic posuerunt Mundum æternum, quod tamen mundum à Deo factum dixerunt. Non enim mundum volunt tempus habere, sed suæ creationis initium, vt quodam modo vix intelligibili sempèr sit factus. Id autèm quomodo intelligatur, inuenerunt, sicut enim, inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in puluere, sempèr subesset vestigium, quod à calcante factum nemo dubitaret; sic, & Mundus semper fuit, sempèr existente, qui fecit. Et ideò in art. 1. q. 46. cit. S. Doctor concludit, quod nihil prætèr Deum fuit ab æterno, & nihil aliud à Deo fuit sempèr. Et quià hoc ex Fide tenetur, nec est probandum, addidit, scilicet, quod hoc assertum est possibile quod probat in art. 1. cit. Vide D. Th. in Resp. ad primum art. 2. q. 46. p. p. de Mundi initio.

Sent. S Th. circà hoc credibile, scilicet Mundus incæpit in temp. recitata à Caiet. in p. p. q. 46. art. 3. contrà antiquos.

Et in art. 3. eiusdem q. 46. cit. ly in principio creauit Deus Cœlum, & Terram S. Doctor exponit contrà tres errores. Ly in principio .s. temporis contrà Philosophos qui posuerunt Mundum semper fuisse, & tempus non habere principium. In principio, idest in Filio exponitur contrà Phythagoricos, & Manichæos, quià posuerunt duo esse creationis principia, vnum bonorum, aliud malorum, & ideò ad hoc excludendum dicitur ly in Filio. Sicut enim principium effectiuum appropriatur Patri proptèr potentiam, ità principium exemplare appropriatur Filio proptèr sapientiam, vt sicut dicitur omnia in sapientia fecisti, ità intelligatur Deum omnia fecisse in principio, idest in Filio, iuxtà illud Apostoli ad Coloss. p. In ipso, scilicet, Filio condita sunt vniuersa. Et ponitur ante omnia, contrà Platonem, Auicennam, & eius sequaces, qui dixerùnt corporalia esse creata à Deo mediantibus creaturis spiritualibus, & ideò exponitur ly in principio creauit Deus Cœlum, & Terram, idest antè omnia. Quattuor enim ponuntur simul creata, scilicet, Cœlum Empireum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica. Ità Caiet. ex D. Th. q. 46. art. 1. 2. & 3.

Conclus. prima Resp. quæsiti posita à Caiet. cum D. Th. in p. p. q. 46. art. 1. cum sua prob. de possibilitate asserti.

230. Quo ad tertium Conclusio prima responsiua quæsiti ponitur à Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 1. sub his verbis. Hoc assertum est possibile, scilicet, nihil prætèr Deum fuit ab æterno. Probat hanc Conclusionem, ratione D. Th. Caietanus, formalizata hoc modo. Voluntas Dei est causa rerum, ergo sic necesse est aliqua esse, sicut necesse est Deum velle illa: ergo non est necessarium Deum velle, quod Mundus fuerit semper, ergo eatenus Mundus est quatenus Deus vult illum esse,

ergo

ergo non est necessarium Mundum semper esse. Antecedens patet de se ex dictis in p. p.q. 19. Prima consequentia probatur quià necessitas effectus ex necessitate causæ dependet ex 5. Met. Secunda probatur quià non est necesse Deum velle aliquid nisi se ipsum. Tertia autèm probatur quià esse Mundi ex voluntate Dei pendet, sicut ex causa. Hinc Corrolarium primum deducatur ex hac ratione, quod, scilicet, non potest demonstratiuè probari, Mundum semper fuisse.

Et infertur secundum Corrolarium, scilicet, quod rationes, quas ad hoc probandum adducit Arist. non sunt demonstratiuæ simplicitèr, sed secundum quid, quod manifestatur à S. Doctore triplicitèr primo ex opinionibus confutatis, quià tàm in 8. Phys. quàm in p. de Cœlo præmittit Arist. quasdam opiniones vt Anax. & Emp. & Plat. contrà quos rationes contradictorias inducit; Secundo ex testimonijs inductis, quià vbicumque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstratoris, sed probabilitèr persuadentis; Tertio ex expressa eius Confessione, quià expresè dicit lib. p. Top. cap. 9. quod quædam sunt problemata Dialectica, de quibus rationes non habemus, vt verùm Mundus sit æternus. Et ideò posuit in Corrolario ly secundum quid, scilicet, ad contradicendum rationibus antiquorum, ponentium Mundùm incipere secundum quosdam modos, qui sunt in veritate impossibiles. Ità Caiet. ex D. Th. art. 1. cit. *Corrolaria illata à Caiet. ex D.Th. ibidem art. 1. cit. cum manifestatione secũdi.*

231. Secunda Conclusio Responsiua quæsiti ponitur à Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 2. his verbis. Mundum incæpisse sola Fide tenetur, ità quod demonstratiuè probari non potest. Manifestatùr prima pars à S. Doctore sic. Voluntas Diuina potest homini manifestari per reuelationem, ergo Mundum incæpisse, est credibile, tenet hæc sequela, quià Fides reuelationi innititur; & deindè S. Doctor ostendit quantæ vtilitatis sit nosse propositam Conclusionis primam partem, & hoc ex duabus vtilitatibus. Prima est repressio præsumptionis, ne forte aliquis, quod Fidei est, demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi (en secunda vtilitas) infidelibus existimantibus nos proptèr huiusmod rationes credere, quæ Fidei sunt, &c. *2. Concl. Resp. quæsiti ponitur cum D. Th. cum sua prob. à Caiet. in p.p.q.46.ar.2*

Probatur à Caiet. secunda pars ratione tali D. Th. formalizata. Nouitas mundi non potest demonstrari ex parte mundi, nec ex parte suæ causæ, ergo est indemonstrabilis. Antecedens quo ad primam partem probatur. Demostrationis principium est quod quid est, & vnumquodque secundum rationem suæ speciei abstrahit ab hic, & nunc, ergo non potest demonstrari, quod homo, aut Cœlum, aut lapis non semper fuit. Secunda pars antecedentis manifestatur à communi dicto, quod vniuersalia sunt semper, & vbique. Quo ad secundam partem verò probatur: voluntas Dei ratione inuestigari non potest, nisi circà necessariò volita, ergo non potest demonstratiuè sciri, quid circà creaturas voluerit, & tenet sequela quià nihil circà creaturas necessario vult, &c. Ità Caiet. qui circà probationem primæ partis antecedentis assumpti aduertit, quod vis rationis consistit in hoc. Quodquid est vnius cuiusque rei creatæ specificè sumptum abstrahit ab hic, & nunc, ergo non potest esse sufficiens medium ad inferendam nouitatem rei, quià nouitas ipsa temporis differentiam continet. Liquido enim constat, non esse rationem essendi nunc, & non prius, quod secundum se indifferens est ad nunc, & prius, vndè Auctor non solum de Mundo, sed de quacumque re mundi intulit, quod ex eius quidditate non potest monstrari eius nouitas simplicitèr. *Prob. 2. p. Conclus. 2. ex D. Th. formalizata à Caiet. loc. cit. a. 2.*

Ità Cajet. qui addit, aduerte circà principalem consequentiam quod cum Mundus significet vniuersitatem rerum, & extrà vniuersum nihil sit nisi caput ipsius, consequens est, quod nullus locus relinquatur demonstrationi quià, ad inferendam nouitatem

tatem

tatem mundi; & propterea auctor exclusa causa, & quodquid est ipsius, & omnium eius partium pro constanti reliquit nouitatem mundi indemonstrabilem. Ità Caiet. in art. 2. q. 46. cit.

Arg. 1. Caiet. ex D. Th. p. p. q. 46. ar. 1. afferens tres rationes pro demonstrationib. ad cogendā æternitatis positionē Mundi.

232. Quo ad quartum Arguit primo Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. contrà tertiam consequentiam, scilicet, quod ista propositio est necessaria, quod Mundus fuerit semper. Sunt aliquæ demonstrationes, ex quibus illa necessario infertur, ergo &c. Probatur primo sic. Deus aut est prior mundi natura tantum, aut duratione: Si natura tantùm, ergo cum Deus sit ab æterno, & mundus erit ab æterno: Si autèm est prior duratione, prius, & posterius in duratione constituunt tempus, ergo antè Mundum fuit tempus: Hoc est impossibile, ergo necessario dicendum est Mundum fuisse ab æterno. Secunda est huiusmodi. Posita causa sufficienti ponitur effectus (causa enim ad quam non sequitur effectus est causa imperfecta indigens alio ad hoc, quod effectus sequatur:) Sed Deus est causa sufficiens Mundi, & finalis ratione suæ bonitatis, & exemplaris ratione suæ sapientiæ, & effectiua ratione suæ potentiæ: Cum ergo Deus sit ab æterno, necessario dicendum est, quod Mundus fuit ab æterno. Tertia tamdem ponitur sic. Cuius actio est æterna, & effectus est æternus: sed actio Dei est eius substantia, quæ est æterna, ergo, & Mundus necessario, est æternus.

Resp Caiet. ex D. Th ad Arg. 1. & ad tres prædictas rationes ibidem loc. cit.

Resp. Caiet. negando suppositum, quod, scilicet, sint rationes demonstratiuæ ibi allatæ quià sunt omnes solubiles, & ideò sophysticæ, & apparentes. Ad primam Resp. ex D. Th. ad octauum quod Deus est prior mundo duratione, sed ly prius non designat prioritatem temporis, sed æternitatis. Vel dicendum quod designat æternitatem temporis imaginati, & non realitèr existentis, sicut cum dicitur suprà Cœlum nihil est, ly suprà designat locum imaginatum tantùm secundum quod possibile est imaginari dimensionibus cœlestis corporis, dimensiones alias superaddi. Ad secundam Resp. quod sicut effectus sequitur à causa agente naturalitèr, secundum modum suæ formæ, ità sequitur ab agente per voluntatem secundum formam ab eo præ conceptam, & diffinitam, vt ex superioribus patet; licet igitur Deus ab æterno fuerit sufficiens causa Mundi, non tamèn opportet, quod ponatur Mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in in prædiffinitione suæ voluntatis, vt, scilicet, habeat esse post non esse, vt manifestius declaret suum auctorem; vt de facto probat S. D. in 2. cont. gent. cap. 38. post Responsionem ad rationem in contrarium allatam pro vt suprà, quod nil efficacius (licet non demonstratiuè) probari potest incæpisse Mundum, quàm ex fine Diuinæ Voluntatis, seù Bonitatis suæ; sicuti, & ad negandam æternitatem Mundi de facto, quantum ad vnam, seù aliquam partem nil efficacius, & demonstratiuè, procedi potest, quàm ex sequela, & positione infiniti in actu, vt dicemus in quæstione sequenti, & probat de facto S. Doctor ratione particulari demonstratiua in Argumento 8. & in Resp. ad octauum art. 2. q. 46. cit. Ad tertiam Resp. Caiet. ex D. Th. ad decimum quod posita actione sequitur effectus secundum exigentiam formæ, quæ est principium actionis. In agentibus autèm per voluntatem, quod conceptum est, & prædiffinitum, accipitur vt forma, quæ est principium actionis. Ex actione igitur Dei æterna, non sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit: vt, scilicet, haberet esse post non esse.

Declaratio Caiet. facta pro solutione tertiæ rationis, quo modo effectus non sit

Caietanus addit. An actio Dei sit actu ab æterno formalitèr, idest in quantùm actio: an solum materialitèr, idest secundum quod res est, cum cautela respondendum est, ne dicamus, vel Deum ab æterno causam in potentia tantùm, quod in 2. cont. gent. cap. 5. reprobatur vel Deum ab æterno creantem Mundum, quod constat esse erroneum, quoniàm creans ad creatum dicitur, sicut creatiuum ad creabile

vt

vt dicitur in 5. Met. Media ergo via distinguamus dicendo, quod actio Dei est in actu ab æterno, non solùm materialitèr, sed formalitèr. Sed hoc potest intelligi dupliciter primo vt sit in actu secundum id quod ponit actio in quantum actio in agente; Secundo secundum quod infert ex se passionem, vel effectum. Primo modo actio Dei est in actu ab æterno; Secundo modo non. Et propter primum Deus non est causa in potentia, sed in actu ab æterno; Propter secundum vero Deus non creauit Mundum ab æterno, nec creat modo animam Antechristi. Et si quæratur, quomodo illatio passionis, vel effectus est in Deo ab æterno, actu vel potentia? Resp. in promptu est, quod est in eo in potentia actiua, & nunquàm est, fuit, aut erit in eo formalitèr: De inexistentibus enim formalitèr, inconueniens est ponere aliquid in potentia in Deo. Et propterea actionem secundum totum id quod in agente ponit formalitèr, opportet ab æterno in Deo esse actu, &c. Ità Caiet. in fine Comment. art. 1. cit. *æternũs esse actio Dei formalitèr actu sit æterna.*

233. Arguit secundo Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 2. contrà secundam Conclusionem sic. Si mundus fuit æternus, & generatio fuit ab æterno: ergo vnus homo genitus est ab alio in infinitum: sed Pater est causa efficiens Filij vt dicitur in secundo Phys. tex. 29. ergo in causis efficientibus est procedere in infinitum, quod improbatur in secundo Met. textu 5. ergo Mundum incepisse non est articulus Fidei, sed Conclusio demonstrabilis. *Arg. 2. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 46. art. 2. contrà 2. Conclus.*

Resp. Caiet. ex D. Th. quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, vt puta si causæ, quæ per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum. Sicut si lapis moueretur à baculo, & baculus à manu, & hoc in infinitum: sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus, non reputatur impossibile vt puta si omnes causæ, quæ in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem nisi vnius causæ, sed earum multiplicatio fit per accidens. Sicut artifex agit multis martellis per accidens, quià vnus post vnum frangitur: Accidit ergo huic martello, quod agat post actionem alterius martelli. Et similitèr accidit huic homini in quantùm generat, quod sit generatus ab alio, generat enim in quantum homo, & non in quantum est filius alterius hominis: Omnes enim homines generantes habent gradum vnum in causis efficientibus, scilicet, gradum particularis generantis. Vndè non est impossibile quod homo generatur ab homine in infinitum. Esset autèm impossibile si generatio vnius hominis dependeret ab hoc homine, & à corpore elementari, & à Sole, & sic in infinitum, &c. *Resp. Caiet. ad Arg. 2. ex D. Th. loc. cit.*

234. Addit Caiet. aduerte nouitie ad septimum quod aliud est dicere Socrates Pater, est causa per se Platonis Filij, & Plato per se causa Ciceronis, & aliud est dicere Socrates, & Plato sunt per se causæ Ciceronis. Primum enim est verissimum, quoniàm sicut homo generat hominem per se, ità te Pater tuus, vt dicitur in 12. Met. tex. 27. Secundum autèm est falsissimum, quoniàm per se causæ ordinatæ respectu alicuius effectus, sunt, vt Auctor dicit, diuersorum ordinum, simul causantes effectum illum, & propterea non possunt infinitari. Pater autèm, & Auus eiusdem ordinis causæ sunt, non simul causantes tertium: quamuis, vt dictum est, inter se Auus fuerit per se causa Patris, & Pater Filij, & propterea ad productionem Socratis non refert finitas, vel infinitas progenitorum. Ità Caiet. loc. cit. Alias rationes solutas, & à D. Th. & Caiet. simul videas in tota q. 46. p. p. *Doctr. Caiet. declarans Resp. ad Arg. 2. ex art. 2. cit. ad 7.*

QVAESTIO II. OCTAVI PHYSICORVM

Vtrùm Mundus non vniuersalitèr, sed quo ad aliquam sui partem potuerit esse ab æterno.

EX CAIETANO

P. p. q. 46. art. 1. & 2. & alibi in Comment.

Explicatur status controuersiæ à Caiet. in p. p. q. 46. art. 2. quod, scilicet, amplius non quæritur de Mundo in sua vniuersalitate partium, sed de aliqua.

235. CAietanus in p. p. q. 46. art. 2. explicat controuersiæ statum ex 2. cont. gent. cap. 38. dicens: iàm dictum est in præcedenti quæstione cum S. Doctore, quod vtraque pars in ordine ad Mundum in sua vniuersalitate creaturarum acceptum, scilicet, & quo ad entia permanentia, & successiua, sit ab æterno, vel sit in tempore incipiens, non potest demonstrari, & quod rationes hinc, & indè Philosophorum sunt opinabiles, & solubiles; vt de facto soluit omnes S. Doctor in 2. cont. gent. à cap. 31. vsq; ad cap. 38. inclusiuè; Et hoc significat modus loquendi Arist. in primo Topic. cap. 8. vel 9. quod sunt quædam problemata, de quibus rationem non habemus, intèr quæ est istud, vtrùm Mundus sit æternus; & vbicumque Arist. hanc quæstionem pertractat adiungit aliquam persuasionem, vel ex opinione plurium, vel approbatione rationum, quod nullo modo ad demonstratorem pertinet. Et descendendo ad rationes particulares, intèr quas est illa recitata à D. Th. in p. p. q. 46. art. 2. Arg. 8. vt demonstratiua, & cogens ad non ponendam, nec vllo modo concedendam generationem æternam, ineuitabilis est positio infiniti actu; & ideò in hac controuersia Thomistæ, solummodò quærant: An Mundus potuerit esse ab æterno quo ad substantiam constantem ex quinque corporibus simplicibus; An motus Cœli, & generationes omnes prætèr humanam potuerit esse ab æterno, quià sic est quærere de Mundo, quo ad aliquam sui partem. Ità Caiet. loc. cit.

Doctrina memoranda Caiet. & Ven. Porrectæ in p. p. q. 46. art. 2. & 3. quod Lectores Thomistæ cauti esse debent in soluendis cauillationib. Philosophorum, vt vitent eorũ Philosophiam infectam, & soluant pro omni diligẽtia illa.

236. Adnotat Caiet. cùm Venerabili Porrecta memorandam notationem pro Lectoribus, quod secundum Auctoris Doctrinam sustinentem immortalitatem animæ numeratæ sine circulo, & impossibilitatem infinitatis in actu, etiàm per accidens intelligibile non est, quod generatio humana sit æterna. Ineuitabile enim est, quin aut sit infinitum in actu, aut ad miracula recurratur, ponendo vnum hominem infinito tempore vixisse, & à certo tempore generasse, & sic etiàm non saluaretur generatio humana æterna, sed species humana. Sed ridiculum judicio meo est, hoc miraculum interponere, vbi de possibilitate Mundi productionis talis, qualem videmus, est sermo. Ità Caiet. pro Lectoribus Thomistis, Pro quibus addit Ven. Porrecta. Meminerint sempèr in præsenti, & sequenti quæstione præsertim, quæ est præcedens, Philosophiæ Lectores, illius mandati, quod à Leone X. Summo Pontifice in Concil. Lateran. distinctius præceptum est: vt quando ex Philosophis in temerè Philosophantes incidunt: se ipsos, ac alios erroribus, & inobedientia inuoluunt, si infectam Philosophiam à Philosophia non secernant. Et de hoc vide in p. p. q. 75. art. 2. & q. 76. art. 2. Et quià ibi de salute animarum, multarum de vitatione hæresum, de veritatis agnitione præcipiendo mandatur: ideò totis viribus te ad obtemperandum Pontifici accinge. Quod si ex ignorantia tua nescis Philosophicè Argumenta soluere; tu salua fide, ac tuis discipulis exposita, vt ibi dicitur, protestare

coràm

corám auditoribus: quod vniuersæ contrà orthodoxam Fidem rationes, non solum hactenus à quocumque factæ, sed etiàm factibiles, sunt in rei veritate argumenta solubilia. Et sic vel ad soluendum, omnes illas temporis dilationem (seruaturus re ipsa, quod promittis) curialitèr postula: vel si tibi nec per studium proprium, nec per consilium aliorum (quod forzan erubescis inquirere) ad illa pro tempore occurrentia valeas esse satis, renuncia bono modo, officio legendi, quod habes. Hoc tibi, tuisque similibus dictum puta: Bonum est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duos oculos, duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum; & si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueam cadent. Et hæc audiens, vide quid agas. Ità Venerab. Porrecta vna simul cum Caiet. art. 2. & 3.

237. Quo ad secundùm Caiet. in p. p. q. 46. art. 2. ad 8. supposita hac parte Mundi, scilicet, generatione humana, quod non potuerit esse ab æterno, proptèr absurda, quæ, si concederetur, sequerentur. S. Doctor in Resp. ad 8. ait, quod illa ratio cogens ad non concedendam generationem humanam ab æterno, multipliciter euitatur ab ijs, qui ponunt æternitatem mundi in sua vniuersalitate: quidam enim non reputant impossibile esse infinitas animas in actu, vt patet in Met. Algazelis dicentis hoc esse infinitum per accidens, sed hoc etiàm improbatum est in p. p. q. 7. art. 4 Quidam verò dicunt animam corrumpi cum corpore. Quidam verò, quod ex omnibus animabus remanet vna tantum. Alij verò, Aug. dicit lib. de hæresi c. 46. posuerunt proptèr hoc circuitum animarum, quod, scilicet, animæ separatæ à corporibus post determinata temporum curricula iterum redeant ad corpora, de quibus omnibus S Doctor in p. p. in quæstionibus de anima pertractando, vt falsa confutat. Stat igitur cautela pro Thomistis Lectoribus ad non concedendum Mundum potuisse esse ab æterno quo ad generationem humanam: benè tamèn possunt concedere quoad motum Cœli, & quo ad alias generationes de successiuis loquendo; de permanentibus autèm concedant Mundum quo ad substantiam constantem ex quinque corporibus simplicibus, contrà Durandum in 2. sent. dist. p. q. 3. qui tenet, quod res permanentes, quæ sunt obnoxiæ corruptioni, non potuerint creari à Deo ab æterno.

Opinio vera S. Th. à Caiet. declarata contrà alios qui sentiunt oppositum de possibilitate vtriusq; motus Cœli recti, & circularis, &c.

Quo ad verò res successiuas Durandus, cum Bannez p. p. q. 46. art. 2. Conclusione secunda, & Soto 8. Phys. negant possibilitatem vtriusque motus, & recti, & circularis ab æterno. Ità Caiet. loc. cit.

238. Quo ad tertium prima Conclusio Caiet. responsiua quæsiti quo ad res permanentes ponitur à Caiet. sic. In p. p. q. 46. art. 2. Mundus potuit esse ab æterno quo ad hanc partem, scilicet, quo ad suam substantiam constantem ex quinque corporibus simplicibus.

Probatur à Caiet. ex loc. cit. sub tali forma. Conclusio non implicat, nec ex parte Dei creantis, neque ex parte creaturæ, nec ex parte creationis, ergo ex nullo capite, ergo cum omni cautela potest concedi à Thomistis. Probatur quod non ex parte Dei creantis, quia non est minor virtus Dei ad creandum, quàm Solis ad illuminandum: at si ex æternitate Sol esset, ex æternitate illuminasset vt docet D. Aug. lib. 6. de Trin. cap. 1. ergo cùm Deus æternus sit, ab æterno creare potuit illa entia permanentia. Probatur quod non ex parte creaturæ. De ratione rei creatæ solùm est vt non sit à se, & quod non habeat absolutam necessitatem essendi: sed vtrumque haberet etiàm si ex æternitate fieret, quià, & ab alio effectiuè manaret, & ex libera eius determinatione penderet, ergo &c. Ità D Th. & Caiet. in p. p. q. 46. in Resp. ad Argumenta primi, & secundi articuli; Quod non ex parte actionis repugnet, probatur. Creatio in ly ex nihilo ex parte materiæ, si esset æterna adhuc potest esse

independens à causa materiali; vel ly ex nihilo termini à quo, non repugnat, quià sic denotat ordinem naturæ, & non durationis, & ab æterno, hoc haberet, quià ex se non habens esse, haberet esse ab alio, scilicet, per creationem. Ità Caiet. in sua prima Conclusione in p. p. q. 46. art. 2. & 1. & alibi.

2. Conclus. Caiet. responsiua quæsiti quo ad res successiuas cum sua prob. 1. partis in art. 2. cit. q. 46.

239. Secunda Conclusio responsiua quæsiti quo ad res successiuas ponitur sub his verbis à Caiet. in p. p. q. 46. art. 2. Concedant Thomistæ Mundum potuisse esse ab æterno quo ad motum Cœli, & quo ad generationes omnes præter humanam.

Probatur à Caiet. ex loc. cit. sub tali forma quoad primam partem. Non est contrà rationem entis successiui, quod antè quamlibet partem detur alia, & antè istam alia, & sic in infinitum à parte ante: Ergo stante hac positione, si nulla est implicantia, quià non est contrà rationem eius, possunt etiàm in omni cautela Thomistæ prædictam nostram secundam Conclusionem concedere. Probatur antecedens, quià hoc exigit natura entis successiui, & hæc eadem ratio currit paritatis si successiuum ponatur æternum à parte post quo ad suas partes futuras, quarum nulla signabitur, post quam non possit dari alia, & alia sine fine. Hinc constat euidentia sequelæ, quià tota ratio implicationis adducta ab aduersarijs, cur repugnet motus ab æterno, est quià dicunt ipsi, opportet deuenire ad aliquam partem, quæ non incæpit: ergo si nulla est assignabilis, cui possit dari alia anterior: iam constat de se, attenta etiàm exigentia entis successiui, possibilitas ab æterno eiusdem motus Cœli circularis, & recti. Ità Caiet. loc. cit.

Prob. 2. p. quo ad generationem humanam, negatiua ex art. 2. cit. q. 46.

Probatur secunda pars à Caietano ly præter humanam. Ex ipsa positione generationis humanæ ab æterno ineuitabile est, quin aut sit infinitum in actu, aut ad miracula recurratur, ponendo vnum hominem infinito tempore vixisse, & à certo tempore generasse (& tamen adhuc non saluaretur generatio humana æterna, sed species humana) sed ridiculum iudicio meo est hoc miraculum interponere, vbi de possibilitate productionis Mundi talis, qualem videmus, est sermo, ergo &c. Maior ostenditur à S. Doctore in Argumento 8. art. 2. ratione tali. Si Mundus, & generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt: sed anima hominis est immortalis, ergo infinitæ animæ nunc essent actu, quod est impossibile, ergo ponendo hanc possibilitatem ab æterno ineuitabile est, quin aut sit infinitum in actu, &c. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 1. Caiet. ex p. p. q. 46. art. 1. & 2.

240. Quo ad quartum Arguit primo sic Caiet. ex p. p. q. 46. art. 1. & 2. Ex possibilitate entis successiui puta motus, & entis permanentis ab æterno, puta Angeli, vel Stellæ incidimus nos Thomistæ in idem ineuitabile quod suprà, scilicet, quin sit infinitum in actu, scilicet, quod nunc essent infiniti dies, & nunc essent infiniti Angeli, & infinitæ Stellæ, quià Deus posset quolibet die creare vnum Angelum, aut vnam Stellam, cùm hæc sint natura sua incorruptibilia. Nec valet respondere quod in tali casu Deus posset solùm diuisiuè producere quolibet die Angelum, aut Stellam, non autem collectiuè in omnibus diebus, & sic euitatur infinitum in actu.

Resp. ad Arg.

Instantia.

Non valet, inquam, ista Responsio, quià est prorsus inintelligibilis: nàm si quolibet die producit Angelum, & dies infiniti, & Angeli, & Stellæ perseuerant, infiniti erunt collectiuè, nàm illa infinitas, collectiuè, sequitur numerationem dierum, ergo idem quod prius.

Confirm. Arg. Caiet.

Confirmatur Argumentum de motu, quià ex possibilitate eiusdem ab æterno sequitur vnum implicatorium repugnans naturæ motui, quià cum tempora à motu circulari designentur, si esset ab æterno, iàm fuissent ab æterno infiniti transacti anni, menses, hebdomadæ, dies, & horæ; ab æterno autèm non supponitur aliquid prius, ergo &c.

Resp.

Resp. ad Argumentum Caiet. ex q. 46. art. 2. cùm D. Th. & quantum ad infinitos dies cùm non sit pertransire infinita, dicitur, quod transitus semper intelligitur à termino in terminum. Quæcumq; autèm præterita dies signetur, ab illa vsque ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri poterunt; arguens procedit, ac si positis extremis, sint media infinita. Ad illud de infinitis Angelis, & infinitis Stellis, optima est ibi Resp. *Resp. Caiet. ad Argumentum.*

Ad obiectionem ibi factam Resp. negando quod sit in intelligibilis illa Resp. quià si intelligunt S. Doctorem dicentem, quod ad positionem generationis humanæ ab æterno ineuitabile est infinitum in actu, quià nunc essent actu infinitæ animæ humanæ collectiuè sumptæ. possunt, & vtiq; intelligere, quod ex parte facti repugnat, quod producantur infiniti Angeli, & infinitæ Stellæ collectiuè; non verò repugnat ex parte facti, quod producantur diuisiuè: quià ad primum sequitur infinitum in actu, non verò ad secundum, & ideò primum licet non repugnet ex parte Dei, repugnat tamèn ex parte facti; secundum autèm, nec ex parte facti, nec ex parte Dei repugnat, quod in qualibet die, non collectiuè (quià est positio productionis Angelorum, & Stellarum in æternitate) sed diuisiuè possit producere Angelum, & Stellam, quod contraponitur ad ly collectiuè in æternitate. Hæc benè nota. Ità Caiet. loc. cit. *Resp. ad Inst.*

241. Ad Confirm. Argumenti Resp. Caiet. cùm D. Th. negando in tali casu admittēdum esse aliquod prius, idest admittendam esse aliquā circulationem primam, nàm antè quamlibet daretur alia, & alia vsq; in infinitum, quod sufficit ad consumandam totam illam durationem infinitam à parte ante. Et optimè stat quod vna pars transeat, & alia accedat, quin deueniamus ad partem primam determinatam illius motus, præcipuè in motu circulari, qui caret principio, de quo expresè asserit S. Doctor in q. 7. de potentia art. 17. in Resp. ad 17. quod potuit esse semper, & approbat rationem adductam in Argumento ibi, quæ dicit probare possibilitatem ab æterno, sed non quod sit actu ab æterno; & motus vt sit ab æterno non requiritur, quod omnes partes collectiuè transeant. Arguens enim imaginatur, quod possit deueniri ad primam, & fingit ibi infinitatem durationis, quod est destruere naturam entis successiui: Vndè non est mirum si pro se statuat fingatq; suam Conclusionem, concludendo quod nullus motus potuit esse ab æterno. Ità Caiet. loc. citatis. *Resp. Caiet. ad Confirm. Arg.*

Hoc idem, & hanc eamdem Resp. approbat S. Doctor in Resp. ad 7. in p. p. q. 46. art. 1. vbi dicit, hanc doctrinam adducit Arist. in 8. Phys. tex. 10. contrà eos qui ponebant æternitatem temporis, sed negabant æternitatem motus. *Resp. suprà Confirmat Caiet. ex Doctrina allata à D. Th. in p. p. q. 46. in Resp. ad 7. Arg.*

In 4. Phys. tex. 99. dicitur quod prius, & posterius est in tempore secundum quod prius, & posterius, est in motu. Vndè principium, & finis accipienda sunt in tempore, sicut, & in motu. Supposita autèm æternitate motus, quæ est possibilis, necesse est, quod quodlibet momentum in motu acceptum sit principium, & terminus motus, vsq; in infinitum, quod non opportet si motus incipiat. Eadem ratio est de nunc temporis. Et sic patet quod ista ratio instantis nunc, quod semper sit principium, & finis temporis, præsupponit æternitatem temporis, & motus; quid clarius in D. Thoma? Ità Caiet. loc. cit. art. 1. & 2.

APPENDICES.

PRo intelligentia vera, & Germana istius difficultatis motæ à Caiet. apponenda est in fine huius suæ quæstionis Resp. quam affert S. Doctor in suo opusc. 27. de Æternitate Mundi, vbi post multas rationes allatas de possibilitate Mundi ab æterno in linea probabilitatis, respondendo auctoritatibus Sanctorum Patrum S. Damasceni, & Hugonis de S. Victore, quod nullum ens creatum possit coæternum esse Deo nec in duratione, affert in fine opusculi eiusdem rationes, quas etiàm Philosophi tetigerunt, & eas soluerunt. Intèr quas, ait Sanctus Doctor, illa est difficilior, quæ est de infinitate animarum, quià si Mundus semper fuit, necesse est modò infinitas animas esse. Sed hæc ratio, ait S. Doctor, non est ad propositum: quià Deus Mundum facere potuit sine hominibus, & animabus: vel tunc etiàm potuit facere hominem quando fecit, si etiàm totum alium Mundum fecisset ab æterno: & sic non remanerent post corpora animæ infinitæ. Et propterea adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere, vt sint infinita actu. Ità S. Doctor in opusc. cit. in fine &c.

QVÆSTIO III. OCTAVI PHYSICORVM

Vtrùm ex motu in hoc 8. libro veniatur in cognitionem primi Motoris, & attributorum eius.

EX CAIETANO

T. p. q. 2. art. 3. & alibi pluribus in locis Comment.

Declaratio sensus Tituli facta à Caiet. in varijs loc. Comment. præcipuè in p. p. q. 2. art. 3.

242. CAiet. in p. p. q. 2. art. 3. dicit, vt vidimus suprà in 7. Phys. se nolle examinare hanc quæstionem, scilicet, an ratio, quam S. Doctor ponit in primo loco, sit efficacissima ad probandum Deum esse, ex parte motus, & quam desumpsit ex hoc 8. libro Physicorum, vbi Arist. probat ex parte motus, qui est actus existentis in potentia in quantum huiusmodi, dari primum mouens immobile, protestatur inquam Caiet. se nolle examinare, quià hoc esset exire nostros limites, & Deo dante specialem instituemus quæstionem; nihilominus stante hac protestatione Caietanus varijs in locis hanc tangit, & definit, non prout concernit exactam cognitionem, cùm hoc fiat in 12. Met. ab Arist. lucullentiori tractatu, sed solùm hanc tangit, quatenùs concernit cognitionem illam, quę per motum, vt per medium Physicum haberi potest: Motus enim Physicus, est motus, qui prædicatur realitèr existentèr de rebus naturalibus & Physicis. Et sic sensus Tituli erit. Vtrùm ex motu, veluti medio Physico, & naturali Arist. sufficientèr demonstret in hoc 8. Libro primum Motorem omninò immobilem, ad quem veluti consecutiuè sequantur hæc attributa, scilicet, quod sit actus purus, quod sit id quo ma-

maius excogitari non potest, & tandèm quod sit ens increatum, necessarium, æternum, immensum, & intelligens. Ità Caiet. loc. cit. contrà Scotum.

243. Adnotat Caiet. cùm Ferr. ex D. Th. in 2. cont. gent. cap. 13. differentiam medij Physici huius, scilicet, motus Physici, à medio Metaphysico, scilicet, à motu Metaphysico, quibus duobus medijs Arist. & in hoc 8. lib. Phys. & in 12. Met. sufficientissimè demonstrat lumine naturali existentiam primi Motoris, cùm suis attributis indè consecutis. Prætèr motum corporum, ait Caiet. cùm Ferrariensi, quem solùm antiqui Philosophi ponebant contrà, quos in hoc 8. libro disputat Arist. est alius motus explicatus in 12. Met. ab eodem Arist. qui, & rebus immaterialibus conuenit, secundum quod ab intelligibili, & appetibili ista immaterialia, seù spiritualia mouentur, quo etiàm spirituali motu, opportet vt simplicitèr immobile, careat. Proptereà Arist. in 12. Met. & in 8. Phys. alitèr, & alitèr inuestigat vtrobiq; primum Motorem immobilem: in hoc 8. concludit dari primum Motorem omninò immobilem motu corporeo, quem ponebant antiqui veluti Deum, concludens Arist. contrà ipsos, qui solum motum competentem corporibus cognoscebant, dari. In 12. autèm libro Met. concludit dari per medium Met. scilicet per motum Metaphysicum, scilicet, intelligere, & velle, primum Motorem simplicitèr omninò immobilem, qui sit ab alijs appetitus, & intellectus, ipse vero à nullo intelligibili, & appetibili sit motus; & hinc non consecutiuè habeat prædicta attributa in titulo exposita, sed necessario, & simplicitèr competant ipsi. Cur autèm in hoc libro 8. concludat Arist. consecutiuè tantum competere illa attributa primo Motori immobili: iàm diximus suprà in 7. Phys. quià, scilicet, in hoc libro 8. Arist. alludens opinioni antiquorum, qui concedebant primum mouens omninò immobile, motu solo corporeo carens, vsus est ipso contrà ipsos tanquam Motore primo omninò simplicitèr carens vtroq; motu, & Physico, & Metaphysico. Hoc benè nota contrà Scotistas qui dicunt non sufficientèr Arist. in hoc 8. lib. Phys. demonstrasse per viam motus Physici ipsam existentiam primi Motoris omninò immobilis. Et tamèn S. Doctor in p. p. q. 2. art. 3. vtitur eadem via, pro primo loco ponens ipsam, vtpotè omnium magis efficacem, & validam. Ità Caiet. in loc. cit.

Doct. vnica Caiet. & Ferr. ex 2. cont. gent. c. 13. & alibi in p. p. declarans differentiam medij Physici, & Met. ex parte motus probando Arist. existentiam primi Motoris.

244. Quo ad 2. Caiet ait, Scotus vult, quod Arist. vsus sit rationibus infirmis ex parte motus Physici ad probandum, & concludendum contrà antiquos Philosophos, qui solum motum corporeum cognoscebant, existentiam primi Motoris omninò immobilis: sed hanc duntaxat efficacissimè probare per viam causalitatis in 12. Met. ex distinctione, quæ est intèr causam efficientem, & causatum, quæ ab omnibus conceditur, non autèm distinctio motoris à mobili; vndè ratio nobilius in Met. quam in Physica concluditur. Auuerroistæ tamèn, & præcipuè Zabarella de Inuentione primi Motoris, putant nil efficacius ostendi, quam per viam motus Physici, & dicunt quod medium Metaphysicum non est ad propositum. D. Th. tamèn commentatus doctrinam Arist. vtitur in primo loco in èr alias rationes probantes Deum esse primum mouens immobile omninò, hac Aristotelica in hoc 8. libro, & illa in 12. Met. per viam causalitatis, concludens vtrobiq; efficacitèr demonstrari existentiam primi motoris. Ità Caiet.

Opinio antiquorum Scoti, & Thomistarum explicata à Caiet. loc. cit.

245. Quo ad 3. Vnica Conclusio Responsiua quæsiti ponitur à Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. sub his verbis. Ex ipso motu in 8. Physicorum sufficientèr deuenitur in cognitionem primi Motoris; & exindè consecutiuè attributorum eius.

Probatur prima pars à Caiet. sub tali forma. Omne quod mouetur ab alio mouetur: Sed in mouentibus, & motis per se subordinatis non potest dari processus in infinitum; ergo deueniendum est ad primum mouens immobile, quod à nullo mo-

Vnica Conclusio habens duas partes ipsius Caiet. ex p. p. q. 2. a. 3. cùm probatione primæ partis.

moueatur, & quod manens immotum cuncta alia moueat. Maior, & minor, estó sint examinatæ propositiones in 7. Phys. Probatur tamen minor vtpotè negata ab Athæis, qui putant processum in infinitum non esse impossibilem. Vidimus suprà disparitatem rationis quare in causis per accidens subordinatis non repugnet processus in infinitum: benè tamen repugnet in per se subordinatis. In causis enim per accidens subordinatis vltimum mouens non debet expectare motum, & influxum prioris causæ, nec ab illis primis moueri, aut applicari ad agendum v. g. quià Leo generans per se, & immediatè in sua actione non dependet ab alio, à quo est genitus, sed per accidens tantum, & mediatè, quatenus ab illo recipit naturam, & potentiam generatiuam, ideò in prædictis generationibus si ab æterno esse potuissent, non repugnat dari processum in infinitum. In per se verò subordinatis, hoc omninò repugnat, quià in illis vltimum mouens non mouet nisi motum, & applicatum à priori, & istud ab alio, & sic deinceps, & sic cùm infinitum non sit pertransibile, vltimum mouens nunquàm moueret, si daretur hic processus in infinitum. v. g. supponatur infinita multitudo rotarum in Horologio, & in suo motu omnes per se sint subordinatæ, quod est idem, ac dicere, quælibet dependeat in suo motu ab alia superiori, & non possit moueri nisi dependentèr ab illa prius mouente, vtiq; nulla esset, quæ posset vltimo moueri, & pulsare horas: quià nunquàm posset deueniri ad primam, quæ cæteras omnes moueret, cùm illa infinita multitudo rotarum nunquam esset pertransibilis. Ità Caiet. varijs in locis.

Prob. 2. partis scilicet, attributorum primi mouentis consecuta ad motum, desumpta à Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 9. art. 1.

Probatur secunda pars à Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 9. art. 1. ostensa propositione quod, scilicet, debet dari vnum primum mouens immobile: consecutiuè deducuntur plura attributa propria Diuinitatis; & primo quod sit actus purus, & omninò immutabilis sic: Primum mouens est primum ens, ergo opportet quod sit purus actus absq; permissione alicuius potentiæ, ergo impossibile est ipsum primum mouens aliquo modo mutari. Antecedens ostenditur à S. Doct. in p. p. q. 2. a. 3. Prima consequentia probatur quià potentia simplicitèr est posterior actu. Secunda constat de se, quià omne quod quocumq; modo mutatur, est aliquo modo in potentia.

Confirm. probans primum attributum.

246. Insuper Confirm. omne quod mouetur quantùm ad aliquid manet, & quantum ad aliquid transit, sicuti quod mouetur de albedine in nigredinem manet secundum substantiam; ergo cùm Deus sit omninò simplex, per consequens moueri non poterit, & erit omninò immutabilis. Antecedens probatur quià sic in omni eo, quod mouetur attenditur aliqua compositio. Consequentia probatur quià in p. p. q. 3. art. 7. ostenditur quod in primo mouente nulla est compositio, & sic manifestum est, quod est omninò immutabilis. Hinc est quod quidam antiquorum, quasi ab ipsa veritate coacti, posuerunt primum principium esse immobile. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit. ex quibus sequitur quod sit primum mouens increatum, necessarium, & æternum: quià si esset creatum esset mutabile, saltèm de non esse ad esse, & de esse ad non esse: Si non esset necessarium alitèr se haberet, & esset capax mutationis; & si non esset æternum iàm non esset immutabile omninò, cùm immutabilitas sit ratio à priori æternitatis. Ità Caiet.

Probatur à Caiet. quo ad alia duo attributa, scilicet, quod sit immensum primum mouens, & summum intelligens. Mouens, & motum debent esse simul, primus Motor est immobilis omninò cùm sit causa omnium motuum aliarum rerum, sequitur quod opportet sit præsens omnibus rebus, ergo Immensus. Insuper primus Motor debet cætera omnia mouere, & dirigere in suos fines, ergo debet illos cognoscere, ac proindè summum intelligens, ergo vera secunda, & prima pars Conclusionis, quod

quod per viam motus in 8. Phys. optimè, & sufficientèr deuenitur in cognitionem primi Motoris, & consecutiuè attributorum eius. Ità Caiet. ex D. Th. in p. p. à q. 2. vsq; ad q. 14. in Comment.

247. Quo ad 4. Arguit Caiet. contrà primam partem Conclusionis ex Scoto, Arist. à tex. 21. vsq; ad tex. 40. vbi agit de motu in communi in hoc 8. Phys. nunquàm probat ex ipso motu in communi existentiam primi Motoris, sed si eam probat, probat, nec sufficientèr, ex perpetuitate motus, dicendo sic: quoniàm autèm opportet motum esse semper, & non intermitti, necesse est esse aliquid perpetuum, quod primum mouet, ergo non ex motu in communi, sed ex perpetuitate &c. probat. Probatur modò quod non sufficientèr, quià opinio Arist. de Mundi æternitate implicatoria est, & multa inuoluit in quibus discordant Philosophi, ergo non sufficientèr, ergo ex rationibus infirmis probat existentiam primi mouentis &c. *Arg. 1. Caiet. contrà 1. partem Concl. ex Scoto.*

Resp. Caiet. ex 1. cont. gent. c. 13. & p. p. q. 2. art. 3. negando quod ex contextibus citatis à Scoto, non probet ex motu in communi sufficientèr existentiam primi motoris, esto non curet ibi statuere, vt de facto statuit in 12. Met. quid sit istud primum mouens, vel Anima Cœli, vel Anima Mundi, scilicet, Deus: quod concludit D. Th. cùm Arist. & in 12. Met. & in p. p. loc. cit. Ad id verò quod obijcitur in secundo loco de perpetuitate motus, & quod non sufficientèr, S. Doctor Resp. iàm antè Scotum in cap. 13. cont. gent. quod vtiq; efficax ratio desumitur ad probandum Deum esse ex ipsa æternitate Mundi cùm Arist. sed magis efficax desumitur, ait S. Doctor, ex ipsa nouitate Mundi: quià si Mundus de nouo incæpit, planum est, quod opportet positioni huic ponere, aliquam causam ipsum de nouo producentem; quod non ità clarè, nec ità efficacitèr deducitur supposita æternitate Mundi. Itaq; Argumentum Scoti, est multoante D. Th. in 1. cont. gent. c. 13. & solutum. Ità Caiet. &c. *Resp. Caiet. ad Arg. Scoti ex D. Th. p. cont. gent. cap. 13. cùm Ferrariensi.*

248. Arguit 2. Caiet. ex D. Th. p. p. q. 9. art. 1. contrà secundam partem Conclusionis. Sapientia quæ est primum mouens est mobilior omnibus mobilibus, Sap. 7. & D. Aug. ait 8. super Gen. ad litteram cap. 2. quod primum mouens, scilicet, Spiritus Creator mouet se, non tamèn per locum, nec per tempus, ergo si mouet se ipsum, est mutabile aliquo modo, ergo illud attributum consecutiuè non potest deduci, scilicet, quod sit immutabile ex ipso motu. *Arg. 2. Caiet. ex D. Th. p. p. q. 9. a. 1. contrà 2. partem Concl.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad primum, & secundum loc. cit. quod Sapientia dicitur mobilis similitudinariè, secundùm quod suam similitudinem diffundit vsq; ad vltima rerum, vndè D. Dyon. cap. 1. Cœlestis Hyerarchiæ ait quod processus omnis Diuinæ Manifestationis venit ad nos à Patre luminum moto, sicut si dicamus Solem procedere vsq; ad terram, in quantum radius luminis eius vsq; ad terram pertingit. Et D. Aug. ibi loquitur ex modo, quo Plato dicebat primum mouens mouere se ipsum, omnem operationem nominans motum; vt intelligit, & amat se ipsum, non autèm vt motus, & mutatio Physicè sumitur. Ità Caiet. *Resp. Caiet. ad 2. Arg.*

249. Arguit 3. Caiet. ex p. p. q. 75. art. 1. Anima nostra, & non Deus est mouens non motum: sed omne mouens motum est Corpus, ergo Anima est Corpus, quod per se mouetur, ergo non Deus &c. *Arg. 3. Caiet. ex D. Th. p. p. q. 75. a. 1. pro Antiquis cùm sua Resp. sumpta ex Arist. in hoc 8. Phys.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad primum, quod cùm omne quod mouetur ab alio moueatur, quod non potest in infinitum procedere, necesse est dicere, quod non omne mouens mouetur. Cùm enim moueri sit exire de potentia in actum, mouens dat id, quod habet mobile, in quantum facit ipsum esse, in actu. Sed sicut ostenditur in 8. Phys. à tex. 45. vsq. ad 53. est quoddam mouens penitus immobile quod nec per se, nec per accidens mouetur, & tale mouens potest mouere motum semper vniformem.

Est autèm aliud mouens, quod non mouetur per se, sed per accidens, & proptèr hoc non mouet motum semper vniformem, & tale mouens est Anima. Est autèm aliud mouens quod per se mouetur, scilicet, Corpus. Et quià antiqui naturales nihil credebant esse nisi Corpora, posuerunt quod omne mouens mouetur. Et quod Anima per se mouetur, & est Corpus. Addit Caiet. arguens procedit de Anima secundum quod est principium motus. Et hæc Resp. S. Doctoris est sumpta ex tex. 51. & 52. ab Arist. in 8. Phys. Ità Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 75 art. 1. ad primum.

QVÆSTIO IV. OCTAVI PHYSICORVM

Vtrùm Primus Motor sit ità vniuersalis in mouendo sic vt operetur in omni operante.

EX CAIETANO

In p p. q. 105. art. 5. & q. 19. art. 8. & alibi in Comment.

Tituli explicato facta à Caiet. pro sensu quæsiti vero de concursu simultaneo, & nō præuio in p. p. q. 19. art. 8.

250. CAiet. in p. p. q. 105. art. 5. in præsenti quæstione supponitur, ait, pro constanti quasi Primum Motorem, ipsi Deum, operari in omnibus, sed de modo videtur tota quæstio, quià est error aliquorum circà modum operandi. Et in q. 19. art. 8. ait, dupliciter contingit secundam causam moueri à prima, vno modo motione præuia propriæ actioni, sicut baculus mouet lapidem motus à manu; alio modo motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni. In primo sensu quæretur in quæstione sequenti. In secundo quæritur in præsenti quæstione. Ità quod sensus tituli est. Vtrùm Primus Motor sit ità vniuersalis in mouendo, vt motione cooperatiua intrinsecè moueat operantes in suis motibus, & operationibus. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. ex p p. q. 19. a. 8. contrà Scotū declarans in vero sensu duas propositiones Scoticas in materia primi mouentis, & 2. causæ pro ut motæ ab ipso.

251. Adnotat 1. Caiet. in p. p. q. 19. art. 8. in fine Comment. contrà Scotum, quod istæ eiusdem Scoti duæ propositiones assumptæ ad probandum in 1. sent. dist. 2. q. 2. & dist. 8. q. 2. & dist. 39. q. 1. quod radix primæ contingentiæ vt conditio Diuinæ Voluntatis, non sit summa efficacia, sed contingentia eiusdem.

Prima nimirum quod causa mouens in quantùm mota à prima si necessario mouetur necessario mouet; & secunda propositio, quod omnis causa est mouens in quantùm mota à prima; indigent glosa, & diligenti explicatione primo in ly mota, & in ly mouetur, & quidquid sit de illa prima in primo sensu explicato in titulo, scilicet, de motione præuia, est falsa in secundo sensu, scilicet, de motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni (in hoc secundo sensu est solummodo vera propositio secunda) non enim opportet cùm aliquis vult aliquid, seù cùm Sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari, sed sufficit, & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni in voluntate, vel tali illuminationi in Sole, & hoc quià cooperatio in vnoquoq; est secundum naturam vniuscuiusq; sic enim disponit omnia suauitèr. Vndè siuè necessario, siuè liberè cooperetur Deus, nihilominus creata voluntas liberè vtitur illa cooperatione. Secundo distinguendo ly in quantum mota, quoniam

niam potest denotare causam præcisam, & potest denotare concausam; si denotet causam præcisam, propositio secunda est falsa, non enim causa secunda mouet ob hoc præcisè, quià mouetur, sed etiàm ex virtute propria; si autem denotet concausam, propositio prima est falsa, quoniàm stat causam secundam necessario moueri à prima, & cùm hoc modificari ipsum moueri ex natura causæ secundæ, & sic mouere causæ secundæ prouenit non ex moueri tantùm, sed ex moueri, & modo proprio ipsius causæ secundæ. Ex tali autem modo consurgere potest, quod non necessario mouet, vt patet in causis defectibilibus. Secunda autem propositio non facit hunc sensum, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi primæ, sed quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primæ concurrente, & coniungente virtutem ipsius secundæ suo effectui, quoniam prima attingit omnia immediatè immediatione virtutis, vt probat S. Doctor in q. 8. p.p. & nos diximus in superioribus. Ità Caiet. art. 8. q. 19. cit. in fine Comment.

252. Adnotat 2. Caiet. art. 8. ibidem cit. aliam propositionem Scoticam, scilicet, prima causa priùs naturalitèr respicit effectum; quam quæcumq; alia causa. Ista propositio assumpta à Scoto, non est sic intelligenda, ait Caiet. quasi sit aliqua duratio naturæ, in cuius primo instanti causa prima respiciat affectum, & in secundo, causa secunda. Puerilis enim est hic sensus, ex quo tamèn sensu, videtur quod Scotus faciat procedere suam sequelam, scilicet, ergo si necessariò causat, omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam, ergo nullus effectus fit contingentèr. Intelligenda est igitur illa propositio, quo ad dependentiam, & intimitatem: attingit enim prima causa effectum secundæ, & independentius, & intimius, quam secunda, vt patet in principio libri de causis, & propterea dicitùr prius respicere in hoc sensu, ex quo, nihil valet consequentia illa Scoti recitata; sicuti nec prima consequentia valet, quoniàm prima causa non attingit effectum secundæ in seipsa, sed modificata cooperatione sua juxtà modum ipsius causæ secundæ, & propterea effectus causæ secundæ in nullo priori haberet necessariam habitudinem ad primam, sed solam ex se, contingentèr fieri, habitudinem haberet. Ità Caiet. in art. 8. cit. in fine Comment.

Doctr. 2. Caiet. ibidem loc. cit. in fine Comment. declarans aliam propositionē Scoticam in eadem materia.

253. Quo ad 2. Caiet. in p. 2. q. 109. art. 1. explicans opinionem Thomistarum circa hoc quæsitum, ait, in q. 109. art. 1. habes primo modicam Philosophiam eorum, qui dicunt, quod ignis combureret stipulam cessante motu Cœli, non enim discernunt dependentiam motoris secundi à primo. Sed dè hoc in prima parte tractatum est, nunc exemplaritèr affertur ad ostendendum quod non solum dependemus in esse, & conseruari à primo agente glorioso, sed in operari: ità quod ipso non cooperante non possemus operari quacumq; operatione, etiàm si conseruaret in nobis esse, & operatiua omnia principia in nobis. Hoc autem in morali Doctrina supponatur: in speculatiua autem discutienda sunt: & vide, si vis, propterea in lib. 3. cont. gent. c. 67. in vltimis rationibus, vbi probatur hoc per multa loca Sacræ Scripturæ, quæ licet non faciant Conclusionem de Fide, quià possunt vtcumq; explicari sinè immediato influxu, negari tamèn non potest, quod eam reddant probabiliorem. Ibi enim affertur auctoritas Esaiæ 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Io. 5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor; Sine me nihil potestis facere. Et Lucæ 12. Si fænum Agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit. Actorum 17. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Et Philip. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Et Iob. 11. Nonne sicut lac mulsisti me &c. & in Psalmo. Intonuit de Cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis.

Opinio S. Doct. vt communis omnibus, Scolasticis pratèr Durandum recitatur, & delaratur à Caiet. & munit ipsam auctoritatibus Sacris ex D. Th. lib. 3. cont. gent. cap. 67. & p. 2. q. 109. art. 1.

Et S. Doctor in 2. sent. dist. 37. q. 2. art. 2. in corpore recitando duas opiniones circà actionem peccati ait, quod actus in quantùm actus, est à Deo, & vt sic non habet aliquid, quod deformitatem habeat, & hoc contrà Durandum, Aureolum, & contrà Franciscum Dola Capuccinum in suo opusculo, qui dicit concursum causæ primæ cùm secunda esse remotum, scilicet, in quantùm conseruat virtutem, & causam, & non proximum quasi immediatè influens in operationes, & effectus: Negare hoc ait S. Doctor ad Annibaldum art. 1. in 2. sent. loc. cit. est Hæreticum: quià est negare quod ens in quantùm ens non sit à Deo, vtpotè contrà Fidem, & contrà rationem; & ad minus isti licet à manifesta hæresi se saluent, non tamèn ab errore qui ponunt causalitatem mediatam Dei in omnes effectus, & non immediatam: quià quod obstat communi expositioni Sanctorum Patrum, addit Caiet. (qui quidem exponunt de actuali immediata cooperatione Dei) non longe est ab errore, sed propinquissimus. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit. & Auuer. 9. Met. refert errorem aliquorum dicentium Deum operari in omnibus sic, quod nulla alia virtus operatur aliquid: reprehenduntur autem hi dupliciter, ducendo ad impossibilia. Ità Caiet. in p. p. q. 105. art. 5.

Conclusio Caiet. negatiua ex D. Th. q. 105. p. p. art. 5.

254. Quo ad 3. Conclusio Caiet. negatiua contrà errorem hunc vltimum est in p. p. q. 105. art. 5. ex D. Th. sub his verbis. Deus non ità operatur in omnibus, vt nulla alia virtus operetur aliquid. Probatur primo ducendo ad impossibile: quià periret ordo causarum, & consequentèr esset impotentia in Deo. Tenet sequela, quià impotentis est facere non posse alia cooperatiua sibi: Ex virtute enim agentis est, quod suo effectui det virtutem agendi. Secùndo probatur ducendo ad impossibile, quià frustrà essent virtutes operatiuæ rerum, imò res omnes. Probatur prima consequentia quo ad primam partem, quià non operarentur; quo ad secundam quià imperfectum est proptèr perfectius in eodem, ergo actus primi proptèr secundos, ergo res omnes proptèr operationes suas, ergo sunt fines rerum ipsæ operationes. Antecedens patet, & consequentia nota est; & Confirmatur, sicut materia proptèr formam, ità forma, quæ est actus primus, est proptèr suam operationem, quæ est actus secundus; & sic operatio est finis rei creatæ. Sic igitur intelligendum est Deum operari in rebus, quod tamèn ipsæ res propriam habeant operationem. Ità Caiet. in art. 1. cit.

2. Concl. Caiet. responsiua quæsiti cùm sua prob. ex p. p. q. 105. a. 5. habens tres partes.

255. Secunda Conclusio Caiet. ex D. Th. ponitur in eodem art. 1. cit. sub his verbis, pro vt responsiua quæsiti quo ad modum.

Deus in quolibet operante operatur secundum hæc tria, scilicet, finem, & agentem, & formam. Probatur quo ad singulas partes à Caiet. & primo in ratione finis. Finis omnis operationis est bonum verum, aut apparens, ergo participans similitudinem summi boni, ergo ipsum summum bonum, quod est Deus, est cuiuslibet operationis causa, vt finis; prima consequentia patet, quià nihil est, vel apparet, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni.

Prob. 2. partis in ratione agentis ex p. 1. q. 109. art. 1.

Probatur 2. pars similitèr in ratione agentis. Primum agens mouet secundum ad agendum, ergo agit in virtute ipsius, ergo ipse est causa omnium actionum agentium; prima consequentia declaratur à S. Doct. in p. 1. q. 109. art. 1. dicente, quod in corporalibus ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quæ est principium motus vel actionis, sed etiàm requiritur motio primi mouentis. Primum autèm mouens in ordine corporalium est corpus Cœleste: vndè quantumcumq; ignis habeat calorem perfectum, non alterat nisi per motionem corporis Cœlestis. Manifestum est autem quod sicut omnes motus corporales reducuntur in motum corporis Cœlestis, sicut primum mouens corporale: Ità omnes motus tàm corporales, quàm spiritua-

les,

les, vt intelligere, & velle reducuntur in primum mouens simpliciter, quod est Deus, & ideò quantumcumque natura corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo, quæ quidem motio est secundum suæ prouidentiæ rationem, non secundum necessitatem naturæ sicut motio corporis cœlestis. Igitur à Deo est omnis motio sicut à primo mouente, & sic actio intellectus, & cuiuscumque entis creati dependet à Deo in quantùm ab ipso mouetur ad agendum, & sic ad cognitionem cuiuscumque veri homo indiget auxilio Diuino, vt intellectus etiàm moueatur à Deo ad suum actum; Ità D. Th. p. 2. art. 1. cit.

Probatur à Caiet. ex D. Th. tertia pars tamdem in ratione formæ sic. Deus est causa operationum secundarum non solùm vt applicans, nec solum vt dans principia actionum, sed vt dans, applicans, & conseruans formas, quæ sunt principia actionum, ergo est causa omnium operationum secundum formam. Antecedens declaratur, & exemplo artificis, & generantis graue, & declarando intentum exemplo Solis, & luminis respectu manifestationis. Exemplo artificis: Artifex etiàm applicat securim ad scindendum, qui tamèn interdùm formam securi non tribuit, & Deus non solum est causa actionum in quantùm dat formam, quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motus grauium, & leuium: sed etiàm sicut conseruans formas, & virtutes rerum, vt patet exemplo Solis, qui dicitur causa manifestationis colorum, in quantùm dat, & conseruat lumen, quo manifestantur colores. *Prob. 3. p. ex D. Th. p. p. q. 105. art. 5.*

256. Ex his est primum Corrolarium. Deus operatur in omnibus intimè. Probatur: Forma est intrà rem, ergo quanto vt prior, & vniuersalior considerata, est interior, ergo secundum esse est intima, ergo vt est à Deo, ergo Deus intimè operatur in omnibus. Penultima consequentia probatur ex eo, quod Deus est propriè causa ipsius esse vniuersalis in rebus, vt patet ex superioribus. Hinc est secundum Corrollarium. Operationes naturæ propterea attribuuntur Deo in scriptura, vt in Iob. 10. de Deo dicitur, quasi operante in natura. Pelle, & carne vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me. Ità Caiet. cùm D. Th. in q. 105. art. 1. in fine Comment. *Duo Corrolaria ex probatione 2. Conclusionis.*

257. Quo ad quartum Arguit Caiet. contrà primam Conclusionem ex D. Th. q. 105. art. 1. in p. p. Sic ex D. Th. nulla enim insufficientia est Deo attribuenda. Si igitur Deus operatur in omni operante, sufficientèr in quolibet operatur, superfluum igitur est quod agens creatum aliquid operetur. Ergo si Deus operatur in omnibus rebus ità operatur, quod nulla virtus creata aliquid operatur in rebus. *Arg. 1. Caiet. contrà 1. Conclus. ex p. p. q. 105. ar. 1. cum sua Resp.*

Resp. Caiet. ex D. Th. ad primum art. 1. cit. quod Deus sufficientèr operatur in nobis ad modum primi agentis: nec proptèr hoc superfluit operatio secundorum agentium. Exemplum est de Sole, & homine generantibus hominem; de influxu insupèr Cœlorum, & terra, ac hominis cultura producentibus frumentum, & de alijs huiusmodi. Numquid ex quo Sol sufficientèr, vt patet sapientibus, generat hominem, frumentum, &c. Ideò frustrà est? vel etiàm non requiritur necessariò hominis actio ad generandùm hominem, eiusdemque actio, ad producendum frumentum? Ità Caiet. ex D. Th.

258. Arguit Caiet. 2. ex D. Th. loc. cit. contrà secundam Conclusionem. Vna operatio non est simul à duobus operantibus, sicut nec vnus numero motus potest esse duorum mobilium; Si igitur operatio creaturæ est à Deo in creatura operante, non potest esse simul à creatura, & ità nulla creatura aliquid operatur. *Arg. 2. Caiet. ex eodem loc. cit. contrà 2. Conclus. cum sua Cõfirm.*

Confirmatur. Faciens dicitur esse causa operationis factæ, in quantum dat ei formam qua operatur; Si igitur Deus est causa operationis rerum factarum, ab ipso hoc erit, in quantum dat eis virtutem operandi: sed hoc est à principio; quando rem facit, ergo videtur quod vlterius non operetur in creatura operante,

Resp.

Resp. Caiet. ad Arg. 2. ex loc. cit. cum Resp. ad Cõfirmationem.

Resp. Caiet. ad Argumentum ex D. Th. ad secundum quod vna actio non procedit à duobus agentibus vnius ordinis; Sed nil prohibet, quin vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo Agente.

Resp. Caiet. ex D. Th. ad tertium art. 1. cit. ad Confirmationem, quòd Deus non solùm dat formas rebus, sed etiàm conseruat eas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum, vt dictum est in probatione secundæ Conclusionis suprà. Deus igitur cum omnibus istis modis coniunctim sumptis est causa omnis operationis cuiuslibet rei: & quod non tantùm operatur in omni creatura quodcumque opus operante præter peccatum, sed maximè operatur, & intimè, & maximè sic operatur. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Instantia ad Resp. cum sua Resp.

159. Instatur à Caietano contrà Responsionem sic. Deus non concurrit immediatè immediatione virtutis, & per se ipsum cùm causa materiali, & formali: ergò nec in ratione Agentis.

Resp. Caiet. ad instantiam, quod vtique non concurrit immediatè per modum causæ materialis, aut formalis, quasi ipsemet sustentet, & informet, quià substentatio, & informatio dicunt imperfectionem partis, cuius vices Deus se ipso supplere nequit: benè tamen concurrit in ratione agentis quià vna cum causa secunda effectiuè vnit materiam cum forma, & exindè facit, vt materia substentet, & forma informet. Itaquè quamuis Deus concursu effectiuo causet ipsas causalitates materiæ, & formæ, & causet ipsam contingentiam, & vitalitatem quatenus quædam res sunt, & quidam modi reales; non tamèn concurrit concursu illo limitato, scilicet, potentiali, & in formatiuo, & contingenti; cùm hæc potentialitas, & contingentia repugnet actui puro, qui ex sua ratione ità abstrahit ab omni potentialitate, quod nec in se illam habet, sicuti habet materia; nec illi commiscetur, sicuti forma. Ità Caiet. loc. cit. & alibi in pluribus locis Comment.

QAESTIO V. OCTAVI PHYSICORVM

Vtrùm Primus Motor, vt est vniuersalis in mouendo, ità sit vniuersalis in præmouendo Causas secundas.

EX CAIETANO

In pluribus locis suorum Comment. præcipuè in p. p. q. 19. art. 8. & in p. 2. varijs in locis.

Sensus intentus à Caiet. præsentis quæsiti ex p. p. q. 19. art. 8.

160. CAiet. in præcedenti quæstione admisso illo concursu generali seù cooperatione intrinseca Dei, qua simul cum causa secunda Deus actu operatur, mouet aliam quæstionem in præsenti de concursu præuio, seù motione præuia primi Motoris in causis secundis. An, scilicet, causa secunda quando incipit operari ex hoc quod est indifferens ad producendum diuersos specie effectus vt voluntas, & intellectus; vel diuersos in indiuiduo numericè, vt quæcumque virtus actiua; & ex hoc quod est in potentia ad operandum, cùm non semper sit in actu, ad hoc vt possit operari actu, indi-

indigeat concursu præuio, seu motione præuia, qua primus Motor applicet hanc causam secundam; & per istam motionem præuiam primi Motoris relinquatur causa secunda maximè actuata, & sic sublata omni potentialitate reducatur causa secunda suo modo, si est libera, ad liberè actu operandum; si, est naturalis, & vitalis, ad naturalitèr, & vitalitèr actu operandum in indiuiduo de facto. Quidquid sit posteà, an iste concursus sit idem materialitèr, & entitatiuè, vel non, ac concursus simultaneus; vel vocetur, & vocari debent prædeterminatio Physica, ex eo quià formalitèr præcedit operationem causæ secundæ. Hic est verus sensus quæsiti intentus à Caiet. cùm D. Th. in p. p. q. 19. art. 8. & alibi.

261. Adnotat primo Caiet. contrà illos, qui dicunt, Sanctum Doctorem, retractasse in sua summa, quod primum mouens præmoueat ad actu agendum causas secundas; quod hoc expresè habet in 3. cont. gent. cap. 67. ratione quarta cap. 70. & in p. sent. dist. 37. q. 2. art. 2. ad secundum vbi ait, & ad tertium; vtrumque enim, scilicet, essentiam actus, & perfectionem actus influit Deus agenti, & vt agat, & vt benè agat; & magis expresè in q. 3. de potentia art. 7. ad septimum vbi ait, sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens, & applicans virtutem ad agendum, & post pauca, addit, ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat eam actioni, & in quantùm eius virtute omnis virtus agit. Adnotat igitur Caiet. contrà istos, qui dicunt, quantùm ad ly applicans, retractasse D. Th. in sua summa. Præcipuè in p. p. q. 2. art. 3. vbi probando S. Doctor ex hoc 8. Phys. per viam motus ex notioribus nobis dari primum mouens, quod est Deus, notat hanc propositionem, scilicet, mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo mouente, sicut baculus non mouet nisi motus à manu; & vt intelligatur, quod S. Doctor, hanc motionem præuiam extendit ad causam liberam incipientem operari per intellectum, & voluntatem, notat in p. p. q. 105. art. 5. vt vidimus in præcedenti quæstione quod S. Doctor vtitur eodem termino, scilicet, ly applicans, dicendo sic. Primum mouens non solum est causa actionum, in quantùm dat formam, quæ est principium actionis, & etiàm sicuti conseruans formas, & virtutes rerum; sed etiàm mouet res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, sicuti etiàm artifex applicat securim ad scindendum, qui tamèn interdùm formam securi non tribuit: ex quibus ibidem notat Caiet. Corrolarium D. Th. in fine Comment. dicens. Deus est causa operationum secundarum, non solum vt applicans, nec solum vt dans principia actionum, sed vt dans, applicans, & conseruans formas, quæ sunt principia actionum. Et in p. p. q. 60. in Resp. ad secundum notat Caiet. verba S. Doctoris, scilicet, hæc. Omnia quæ sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo præter primum agens, quod ità agit, quod nullo ex prædictis modis agitur ab alio. Quid clarius in prima parte suæ summæ? hoc enim toties repetere sub ijsdem verbis in p. p. non est retractare, sed idem confirmare, & approbare. Ità Caiet. loc. cit.

Doctr. 1. Caiet. in qua afferũtur loca D. Th. contrà Suarez qui dicit retractasse in sua summa istam præuiam motionem in p. p. suæ summæ.

262. Adnotat secundo Caiet. in secundo loco suæ summæ, scilicet, p. 2. q. 119. art. 1. quo ad causam liberam in suis actibus, scilicet, ad cognitionem cuiuscumque veri homo indiget auxilio Diuino, vt intellectus à Deo moueatur ad suum actum: quià actio intellectus, & cuiuscumque entis creati dependet à Deo quantum ad duo. Vno modo in quantùm ab ipso habet perfectionem, siuè formam per quam agit, alio modo in quantum ab ipso mouetur (non dicit in suo actu) ad agendum. Et in q. 6. art. 1. ad primum, & in corpore quod homo, qui voluntariè agit per se agere potest idest per principium intrà se existens, præsuppositis tamèn præsupponendis, quià inter

Doctr. 2. Caiet. in qua adunantur loca ex p. 2. D. Th. in quibus comprobatur ista præuia motio.

tèr

tèr præsupponenda est Deus mouens: non enim est contrà rationem voluntarij, quod suum principium intrà existens, ait ad secundum, primum in genere appetitiui motus, præueniatur ab alio principio exteriori primo secundum aliam speciem; non est igitur, addit Caiet. cum Porrecta Ven. ad tertium contrà rationem agentis per se, quod præmoueatur ab extrinsèco mouente, secundum motionem præuiam generis alterius à genere appetitiuo. Et in q. 9. art. 4. ait quod voluntas eo modo, quo mouetur quantum ad exercitium actus, necessario mouetur ab aliquo principio exteriori; quià voluntas etiàm quod moueat se ipsam, priùs est in potentia, posteà in actu, cùm incipit velle aliquid, quod prius non volebat: & omne, quod quandoque est agens in potentia, quandoque in actu, indiget moueri ab aliquo actualitèr mouente; Et sic etiàm voluntas in primum motum suum non potest prodire, nisi necessariò moueatur ab aliquo principio exteriori agente, vt Arist. concludit in quodam cap. ethicæ eudimicæ. Et Caiet. in tertio art. subiungit quod voluntas ân reducat se ipsam de potentia ad actum, sufficit quod hoc sit, siuè quo ad aliquem, siuè quo ad omnem sui actum, ad præsentem quæst. 9. p. 2. Et tamdèm in q. 110. art. 2. concludit S. Doctor, quod gratuitus effectus in homine in quantùm dicit animam ad aliquid moueri à Deo, non est qualitas, sed motus quidam animæ; quià actus mouentis in moto, est motus, non qualitas, vt dicitur in 3. Phys. tex. p. Et effectus gratuitus, in quantùm dicit donum habituale à Deo insusum animæ est qualitas supernaturalis, secundum quam, & spontè inclinamur (& hoc contrà Hæreticos) ad consequendum bonum supernaturale æternum, ideoque ad opera, quibus illud consequamur, & ad talem inclinationem suauitèr, ac promptè mouemur à Deo; & Deus creaturas quas diligit, ad naturale bonum habendum largitur etiàm formas, idest qualitates naturales, quæ sunt principia actuum, ad motus huiusmodi inclinantes, eos reddendo, connaturales, ac faciles sap. 8. disponit omnia suauitèr, & sic non est minus prouidens Deus, his quos diligit ad bonum supernaturale habendum, sicuti ad bonum naturale. Et qualitas dicitur agere in animam non per modum causę efficientis, sed per modum causæ formalis, sicut albedo facit album, & iustitia iustum. Età Caiet. cum Ven. Porrecta ex D. Th. loc. cit. in p. 2. vbi nil clarius pro motione præuia, &c.

Doctr. 3. Caiet. ex D. Th. in 2. 2. q. 172. art. 2. in fine Comment. vbi idem vt sup. comprobatur.

263. Adnotat tertio Caiet. ex D. Th. in 2. 2. q. 172. art. 2. in fine Comment. quod inspiratio prophetica, cùm non requirat aliquam impressionem in voluntatem ex parte ipsius voluntatis, sed possit mediante obiecto instigatiuo ad eleuationem mentis fieri, ab Angelo fieri potest, sed differentia non consistit in hoc, scilicet, quod ex parte obiecti possit fieri ab Angelo. Constat enim quod Angelus potest ex parte obiecti voluntatem nostram mouere persuasiuè, & sic fortè sit communitèr prophetica inspiratio. At si de inspiratione efficaci intelligendum est, cum prophetica dicitur inspiratio, constat, quod cùm solius Dei sit efficacitèr mouere voluntatem, & ex parte ipsius voluntatis, vt inspirationis nomen sonat, dicendum esset, quod non est ab Angelo, sed à Deo immediatè, non per impressionem alicuius formæ in voluntatem, sed per actualem motionem interiorem, qua solus ipse Creator voluntatis, potest eam cum vult, & quo vult mouere iuxtà illud cor Regis in manu Domini, & voluet illud quocumque voluerit. Ex qua motione deducitur, quod voluntas nedum quando incipit velle operari in supernaturalibus, sed etiàm in omnibus suis actibus naturalibus opportet ad hoc vt tollatur illa impotentia, seù indifferentia, & suspensio, & simul etiàm reducatur de potentia ad actum, quod sit ibi præmotio primi mouentis. Età Ciet. loc. cit.

264. Quo ad secundum Moderni, vt Suarez cum alijs Patribus ex soc. dicendo, quod

quod huius motionis præuiæ fuerit primus Auctor Bannesius in suo sæculo; ipsamq; abiurauerint Arauius, & Gonzalez; Diuusque Doctor retractauerit in sua summa; & quod Caiet. p. p. q. 19. art. 8. expressè illam negauerit dicendo Caiet. *non enim opportet, cùm enim aliquis vult aliquid, & cum Sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari;* Quantum aberrent à rei veritate, præter ea, quæ Caiet. notat in prima adnotatione suprà, & secunda adest Ioannes Martinez de Prado in sua Metaphysica hoc ostendens recitando decem Thomistas antiquiores ipso Bannesio, scilicet, Capreolum, Caietanum, Durandum, Flandria, Iauellum, Sotum, Conradum Koelim, Medinam Zumel, Petrum à Soto, qui quidem omnes cum ipso Ferr. in 8. Phys. & lib. 3 cont. gent. c. 67. in fine, & cap. 70. amplectuntur hanc motionem præuiam, istamque defendunt cum suo Sanctissimo Præceptore sub hoc nomine applicationis: applicare enim causam secundam vt moueat se in suo actu, pro vt ly applicare, distinguitur formalitèr à dare, & conseruare virtutem vt cooperet simul cum causa secunda in sua operatione, nil aliud est, quàm præmouere causam secundam antecedentèr ad motum suum, quod Caietanus transit, & explicat sub hoc nomine præuiæ motionis. Hæc autem applicatio, seù influxus, seù motio seù concursus præuius in quo consistat: an in subordinatione ad Decretum, an in qualitate transeunte, vel in quodam reali Physico vt putant Thomistæ; vel an distinguatur saltèm ad minùs realitèr modalitèr àb operatione, & motu mouentis secundi, & iste concursus præuius sit idem ac concursus simultaneus, vel ad minus distinguatùr formalitèr. Non est præsentis quæstionis per tractare, reseruatur totum hoc ad Metaphycum. Sufficit Physico in hoc 8. libro scire, quod ad hoc vt causa secunda moueat se, & exeat in actum indiget præmotione, prædeterminatione, idest motione præuia, quæ est, & vocatur à S. Doctore applicatio causæ secundæ facta à primo mouente, qui simul etiàm cum causa secunda cooperat intrinsecè motione cooperatiua propriæ actioni eiusdem causæ secundæ. Ità, & non alitèr Caiet. & in p. p. & in p. 2. & in 2. 2. loc. cit. cum D. Th.

Caietanus explicat cum omnibus Thomistis, & antiquis, & modernis sub nomine præuiæ motionis prædeterminationem primi mouentis in causis secundis quam vbiq; & in sua summa S. Doctor vocat applicationem causæ 2. ad hoc vt cum ipsomet moueatur, & actu agat.

265. Quo ad tertium vnica Conclusio responsiua quæsiti ponitur à Caiet. in locis citatis sub his verbis. Quodlibet mouens secundum in omni suo motu indiget præuia primi mouentis motione reali physica, seù applicatione, ad hoc, vt actu operetur.

Conclusio vnica Resp. quæsiti ipsius Caiet cum sua efficacissima probatione ex D. Th. in p. p. q. 105 art. 5. de præuia motione in primo mouente.

Probatur à Caiet. in p. p. q. 105. art. 5. ex D. Th. sub tali forma. Primum mouens non solum est cooperans motione cooperatiua intrinsecè in actuali motione causæ secundæ vt dans, & conseruans principia talis motionis, sed etiàm vt applicans causam secundam antecedentèr ad actualem illam motionem, ergo necessarium est dicere secundum D. Thomam quod primum mouens præuia motione cooperet antecedentèr ad motionem illam actualem propriam ipsius mouentis secundi, ergo vera Conclusio, scilicet, quodlibet mouens secundum in omni suo motu, &c. Antecedens est D. Th. in p. p. q. 105. art. 5. recitando textum ibi Caietanus, vt vidimus suprà in probatione formalizata à Caiet. pro secunda parte secundæ Conclusionis, scilicet, in ratione Agentis quod primum mouens operatur in quolibet operante secundum hæc tria, scilicet, finem, & Agentem, & formam. Consequentia vbi est tota difficultas in ly applicans quod intelligatur præuia motio primi, mouentis; Probatur à Caiet. primo in q. 19. art. 8. p. p. vbi distinguendo de ly moueri à prima dupliciter, contrà distinguit motionem cooperatiuam intrinsecè, quæ est motio simultanea, contrà motionem præuiam cooperatiuam, quæ est formalitèr concursus præuius, qui nil aliud importat nisi illam applicationem, qua primum mouens tollit illam indifferentiam in causa secunda si est libera ad mouendum se in actu simul cum primo mouente in suo motu, & si est causa naturalis, & vitalis

non libera, tollit illam potentialitatem quam habent de se, & reducit illas de potentia ad actum, vt moueant se in suis proprijs motibus simul cum eodem primo mouente ad suos motus, vt artifex applicat securim ad scindendum. Et declaratur insupèr à Caiet. ex D. Th. in p. 2. vbi exemplicat istam applicationem causæ secundæ factam à prima de actu imperato, qui est in actu, & fit actu impressione Physica imperantis; & in q. 22. de verit. art. 13. exemplicat de membris inferioribus, quæ ex motione animæ prius quam moueantur, aliquod physicum recipiunt, ergo ista applicatio causæ secundæ non nisi significat motionem præuiam primi mouentis imprimentem aliquid Physicum, &c. Ità Caiet. explicat varijs in locis hanc applicationem, &c. effectus igitur istius præuiæ motionis, seù applicationis causæ ad actum secundum nil aliud est, nisi reddere causam secundam completam, applicatam, & determinatam ad operandum, quod autèm reducitur de potentia ad actum, & determinatur, debet esse in actu: esse autèm simul in potentia, & in actu implicat; & hoc non potest formalitèr facere concursus simultaneus seù cooperatio simultanea intrinseca primi mouentis, quià iste influit in effectum, & idemtificatur cum actione causæ secundæ, & sic non reddit, sed præsupponit in priori naturæ causam secundam creatam reductam de potentia ad actum, & determinatam ad operandum, ergo de primo ad vltimum ista applicatio, non potest esse nisi motio præuia cooperatiua. Ità Caiet. in tota summa.

2. Prob. Caiet. eiusdem primæ cõsequẽtiæ principalis ex D. Th. varijs locis cit. quod nomine applicationis in D. Th. intelligitur præuia motio.

Secundo probatur à Caiet. eadem prima consequentia in p. 2. q. 119. art. 1. & alibi ex D. Th. cont. gent. cap. 67. Ibi S. Doctor in prima, & secunda ratione probat quod Deus motione cooperatiua intrinsecè seù simultanea mouet causas secundas in suis motibus, quià, scilicet, dat creaturæ virtutem operatiuam; & in tertia ratione, quià conseruat illam; & in quinta ratione, quià est tanquàm agens principale, & causa secunda vt instrumentum; & in sexta ratione, quià ordinare res in finem est ipsius Dei: at in quarta ratione dicit, & probat esse præmouentem, quià applicat causas secundas ad operandum, ergo applicare antecedentèr ad operationem, virtutem causæ secundæ, vt actu operetur, secundum D. Th. nil aliud est quam propriè, & Physice præmouere præuia motione cooperatiua. Et motus voluntatis (ait Caiet. alibi) ex ista quarta ratione cont. gent. quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primùm appetibile in quo signatùr ordo ad ipsum tanquàm ad finem, & reducitur etiàm sicut in primum volentem, in quo signatur ordo in ipsum sicuti in primum mouens, & in primum agens. Ità Caiet. in p. 2. de duplici motore voluntatis.

Arg. Caiet. vbi affert sua duo dicta, quæ videntur tollere istam præuiam motionem, scilicet, in p. p. q. 19. art. 8. & q. 13. art. 13.

266. Quoad quartum Arguit Caiet. contrà se ipsum ex p. p. q. 19. art. 8. in fine Comment. Ista propositio Scotica assumpta à Scoto ad probandum quod radix contingentiæ, vt conditio Diuinæ voluntatis, non est eius efficacia vt nos ponimus, sed contingentia eiusdem (scilicet, omnis causa secunda mouet, seù agit in quantum mota à prima) ly in quantum mota potest intelligi de motione præuia, & sic non opportet, cum quis aliquid vuult, & cum Sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari. Hoc idem repetit in p. p. q. 13. art. 13. sub his verbis quasi ijsdem, ly mota ab alia, si intelligatur de motione præuia propriæ actionis, sicut aqua, calefacit calefacta ab igne, dato quod esset vera, aut sustentabilis, de motione tamèn cooperatiua sustineri non potest, quoniam cooperans intrinsecè, cooperatur vnicuique secundum modum eius, cui cooperatur, ergo si in art. 8. Caiet. dicit quod non opportet cum quis aliquid vult, &c. præuia motione cooperari, &c. & in art. 13. q. 13. dicit Caiet. dato quod esset vera, aut sustentabilis illa propositio in sensu de motione præuia, &c. Signum euidens est, quod secundum D. Th. non possit

sit

fit verificari ista præuia motio, & quod per ly applicans, non possit intelligi ly præmouens. Ità Caiet. &c.

Resp. Caiet. ex Doctrina D. Thomæ in sua summa, vt fidelissimus eius interpres, negando consequentiam. Physicè loquendo est verum, quod sumendo concursum Dei in toto rigore, scilicet, pro actione Dei, & pro virtute actuali communicata creaturæ, vt condistincta à termino facto, non opportet cum aliquis vult, &c. primam causam præuia motione cooperari, distincta realitèr nimirùm à motione cooperatiua simultanea; & hoc magis confirmat in exemplo allato in q. 13. art. de aqua calefacta ab igne, quasi dicat non requiritur concursus præuius distinctus realitèr, sicuti requiritùr ad aquam, quæ vt calefaciat, opportet, quod actione distincta calefiat ab igne. Cæterùm idem concursus, absolutè loquendo (& non glosando propositiones Scoticas in alia materia assumptas de radice contingentiæ, sed loquendo secundum se, spectata rei veritate, vt facimus in præsenti quæstione) idem, inquam concursus Physicè loquendo, & est præuius, & est simultaneus iuxtà diuersas formalitates metaphysicales intellectus. Eminentèr enim Deus suo concursu, & applicat, seù præmouet causam ad agendum; & ad cooperandum simul cum illa. Applicat, vt operetur in actu causa secunda cooperando cooperatione simultanea cum ipsa intrinsecè. Applicat seù præmouet inchoando, & quasi cooperando prosequitur. Eodem modo ex parte motionis passiuæ, vel qualitatis deriuatæ à Deo, vnica motio, & qualitas sufficit ad faciendum, vt causa faciat ad cooperandum cum illa. Ità Caiet. qui in p. p. q. 104. art. 1. ad quartum hoc idem confirmat dicendo cum D. Th. quod creatio, & conseruatio est eadem actio Dei, sola differentia rationis, quià in creatione connotatur nouitas effectus, & in conseruatione persistentia effectus in esse. Et in p. 2. q. 111. art. 2. Caiet. ex D. Th. hoc idem confirmat, quod idem auxilium Diuinum operatur, & cooperatur, præuenit, & subsequitur. Et in Resp. ad quartum ait, quod gratia operans, & cooperans est eadem, sed distinguitur secundum diuersos effectus. Et in art. 3. in corpore, & ad secundum ait, quod gratia non diuersificatur secundum essentiam per hoc, quod est præueniens, & comitans, & subsequens. Et in q. 113. art. 6. ad secundum, & alibi, ait ex D. Th. Caiet. quod in gratiosis Deus eodem actu largitur gratiam, & remittit culpam, quamuis ex parte obiecti culpa quæ tollitur, & gratia quæ infunditur differant, vel sicuti forma, & priuatio, vel sicut duo contraria. Ità Caiet.

Resp. Caiet. trahens sua dicta ad sensum propositum de motione præuia ex alijs locis D. Th. interpretatis ab ipsomet Caiet.

267. In proposito igitur (non disputando contra Scotum) sicuti causa secunda in ordine suo exit de potentia ad actum vnica operatione, & influit in effectum; sic prima, & vnica operatio primæ causæ, seù vnicus concursus, seù influxus Dei cum duobus respectibus, & formalitatibus in ordine ad inadæquatos effectus, applicat, seù præuouet causam secundam quam mouet, & cooperatur eius actioni, sicuti mouendo calamum nos, & etiàm formamus litteras scribendo, eadem vnica motione. Et hæc virtus, seù idem concursus Dei exigitur, ait Caiet. loc. cit. & est necessarius ad inchoandum, prosequendum, & perficiendum operationem, quià, vt ait S. Doctor, q. 3. de potentia art. 7. ad septimum de ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo principium operationis in suo ordine, idest vt agat veluti instrumentum virtutis superioris; vndè exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet, & hoc benè nota. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratur à Caiet. hæc sua præuia motio sub quo nomine S. Doctor appellat applicationem causæ secundæ.

Itaque Caietanus gerens modum loquendi S. Doctoris, quandò disputat cum alijs, dixit in locis citatis in Argumento quod dato quod esset vera, & sustentabilis illa positio de concursu præuio distincto realitèr à concursu simultaneo, non est tamèn necessaria absolutè ista distinctio realis, quià illa motio simultanea sufficit ad operan-

randum in naturalibus, & ab præstandas omnes illas formalitates in operatione causæ secundæ, scilicet, & applicando, idest præmouendo, & incipiendo, & prosequendo, & perficiendo eamdem motionem causæ secundæ quià sic se gerit Deus in gratiosis per vnicum suum auxilium, vt vidimus suprà locis citatis.

Physicè igitur loquendo, vnicus datur concursus, qui secundum conceptus Metaphysicales, vt applicat causam secundam dicitur præuius: vt prosequitur intrinsecè operationem, dicitur simultanea cooperatio, & concursus simultaneus; quod est formalitèr distingui, & essentialitèr secundum conceptus Metaphysicales; non verò essentialitèr Physicè, & realitèr. BENEDICTVS DEVS.

Multi Physici in hoc octauo Libro pro completa notitia huius præmotionis solent addere, vt de facto addunt, alia quæsita, scilicet, àn hæc præmotio in causis liberis tollat libertatem. Et secundo an Deus præmoueat voluntatem creatam ad materiale, non autèm ad formale peccati: sed quià hæc quæsita, (esto nos in nostris manuscriptis, & Physicalibus, & Metaphysicalibus, luculentèr cùm Eminentiss. Caiet. ex suis Comment. resoluimus prædicta quæsita) potiùs spectant ad Metaphysicum, & Theologum in Moralibus, ideò in hac Physica Caiet. ab ijs abstinemus. Sat est pro complemento 8. Libri Physicorum ipsi Eminentissimo Caietano resoluisse, existentiam dari, ex ipso motu, primi mouentis; & quod omne quod mouetur ab alio mouetur, & quòd non datur processus in infinitum, sed deueniendum esse ad primum omninò immotum, qui præmouet, & mouet omnes causas, seù mouentes secundos. B. D.

Finis
Physica Eminentissimi Caietani.

INDEX

INDEX TITVLORVM

QVÆSTIONVM,

Quæ continentur cùm Proæmialibus in Primo Libro Physicorum.

QVæstio Prima Proæmialis. Vtrùm Philosophia sit Scientia speculatiua vnius athomæ speciei. Caiet. lib. 1. post. cap. 22.

Quæstio 2. Vtrùm ens mobile sit subiectum in tota Philosophia naturali. Caiet. in Opusc. Tom. 3. Tract. 3.

Quæstio 3. Proæmialis. Vtrùm aliqua Scientia probet suum subiectum esse. Caietanus Libro primo post, Capitulo primo, & ex p. p. quæstione secunda art. 3.

INDEX TITVLORVM

Libri Primi.

QVæstio Prima. Vtrùm ex vniuersalibus opporteat in singularia deuenire. Caietanus in Comment. super Cap. 1. de Ente, & Essentia. Quæstione prima.

Quæstio 2. Vtrùm intèr Vniuersaliora, ens sit primo cognitum à nostro intellectu. Caiet. in Proæmio Cap. 1. de Ente, & essentia q. 1.

Quæstio 3. Vtrùm pro hoc statu ens concretum quidditati sensibili sit primo cognitum à nobis. Caiet. p. p. q. 84. art. 7. (85. art. 1. & 3.) & q. 87. art. 1. (& q. 88. art. 3.

Quæstio 4. Vtrùm Materia prima enumeretur intèr prima principia; & quid nomine primorum principiorum intelligatur. Caiet. in varijs locis suorum Comment.

Quæstio 5. Vtrùm omne receptiuùm possit denominari materia. Caiet. varijs in locis Comment.

Quæstio 6. Vtrùm Forma enùmeretur intèr principia naturalia, & quæ Forma. Caiet. varijs in locis Comment.

Quæstio 7. Vtrùm Priuatio enumeretur intèr tria prima principia; & quid nomine Priuationis intelligatur. Caiet. varijs in locis Commentariorum.

Quæstio 8. Quid nomine Compositi substantialis intelligatur. Caiet. varijs in locis suorum Comment.

Quæstio 9. Vtrùm, vna sit Materia prima informis omnium corporalium. Caiet. in p. p. q. 66. art. 2.

Quæstio 10. Vtrùm Materia prima sit verè pars quidditatis naturalis. Caiet. q. 4. cap. 2. de Ente, & Essentia, & in p. p. q. 65. art. 4.

Quæ-

Quæstio 11. Vtrùm Materia prima habeat actum, & possit esse sine forma. Caiet. q. 8. cap. 5. de Ente, & Essentia.
Quæstio 12. Vtrùm Materia prima immediatè recipiat omnes formas substantiales. Caiet. in p. p. q. 76. art. 4.
Quæstio 13. Vtrùm Dimensiones interminatæ præcedunt formàm in Materia prima. Caiet. q. 16. cap. 7. de Ente, & Essentia, & p. p. q. 76. art. 6. & 7.
Quæstio 14. Vtrùm Eessentia in rebus creatis distinguatur realitèr à suo esse. Caiet. q. 11. cap. 5. de Ente, & Essentia, & alibi.
Quæstio 15. Vtrùm sit vnum, & idem esse in Composito substantiali, & forma. Caiet. q. 11. in fine cap. 5. de Ente, & Essentia, & alibi.
Quæstio 16. Vtrùm Materia prima habent appetitum ad formas semel amissas. Caiet. in p. p. q. 48. a. 4. (& q. 59. a. 2. & q. 76. in fine Comment.) & p. 2. q. 113. art. 10. & alibi.
Quæstio 17. Vtrùm Omnis pars naturalitèr appetat potiùs se, quàm suum Totum, Caiet. in p. p. q. 60. art. 5. (& in 2. 2. q. 26. art. 3.
Quæstio 18. Vtrùm Omnis forma substantialis, quæ est in Materia educatur de potentia materiæ. Caiet. p. p. q. 45. art. 8. & in q. 65. art. 4. (& in q. 90. art. 2.) & in q. 118. art. 2.
Quæstio 19. Vtrùm formæ sensibiles in sui prima productione sint à Deo eductæ de potentia Materiæ. Caiet. in p. p. q. 65. art. 4. (& q. 90. art. 2. & alibi.
Quæstio 20. Vtrùm omnis forma accidentalis educatur de potentia materiæ, vel compositi. Caiet. in p. p. q. 77. art. 6. 7. & 8. (& in vltima quæstione de Ente, & Essentia, quæ est 17.
Quæstio 21. Vtrùm detur potentia naturalis in rebus, ex qua educantur accidentia supernaturalia. Caiet. in opusc. Tom. 3. tract. 3. q. 2.
Quæstio 22. Vtrùm omne causatum ab agente, sit compositum ex Caiet. in p. p. q. 3. art. 7. & 8. & alibi.
Quæstio 23. Vtrùm Vnio in composito substantiali sit modus realis, vel entitas superaddita, & quæ? Caiet. in p. p. q. 76. a. 1. in Resp. ad 6. & in 3. p. q. 2. art. 7. & art. 10. in Resp. ad 1. & alibi.
Quæstio 24. Vtrùm totum realitèr distinguatur à suis partibus simul sumptis. Caiet. in 3. p. q. 6. art. 5.
Quæstio 25. Vtrùm omnis forma substantialis in entibus naturalibus habeat terminum magnitudinis, & paruitatis: seù maximum, & minimum. Caiet. in p. p. q. 7. art. 3.
Quæstio 26. Vtrùm in formis supernaturalibus, puta Gratia, &c. detur maximum, & minimum. Caiet. in 3. p. q. 7. art. 11. & 12.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ sunt in 2. libro Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Ratio naturæ competat materiæ, & formæ. Caiet. in p. p. q. 70. art. 3. (& q. 76. art. 1. in Resp. ad 1.
Quæstio 2. In quo differant ars, & natura, & voluntas. Caiet. in p. p. q. 41. a. 2. (& 3. p. q. 75. a. 5. & 6.) & alibi.

Quæ-

Quæstio 3. Quid nomine Causæ, pro vt distinguitur à principio, intelligatur. Caiet. in 2. post. c. 9. (& p. p. q. 2. art. 3.) & 33. art. 1.

Quæstio 4. Vtrùm sint tantùm quatuor genera causarum. Caiet. varijs in locis suorum Comment.

Quæstio 5. Vtrùm in omni genere Causæ saluetur prioritas, & perfectio respectu sui effectus. Caiet. in p. p & in 2. 2. & in 3. varijs ibi loc. cit.

Quæstio 6. In quo consistat causalitas Causæ effectiuæ. Caiet. varijs in locis Comment.

Quæstio 7. In quo differat Causalitas primæ, à Causalitate secundæ Causæ. Caiet. in p. p. q. 65. art. 3. (& q. 45. a. 1. & 2.) & alibi in suis Comment.

Quæstio 8. Quænam sit differentia intèr Causam vniuocam, & æquiuocam. Caiet. in p. p. q. 104. art. 1. & alibi.

Quæstio 9. Vtrùm Agens substantiale immediatè agat. Caiet. in p. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1. & alibi.

Quæstio 10. Vtrùm Causa Instrumentalis Physica constituatur per motionem propriam. Caiet. in 3. p. q. 62. art. 1. & 4. (& in q. 13. art. 2. & alibi.

Quæstio 9. Vtrùm duæ Causæ totales siuè principales, siuè instrumentales possint producere vnum, & eumdem numero effectum Caiet. in p. p. q. 52. art. 3. (& 3. p. q. 57. art. 5.

Quæstio 12. Vtrùm ex vi suarum Causalitatum Forma possit actuare duas partes Materiæ, & vna Materia recipere duas formas. Caiet. in varijs locis suorum Comment.

Quæstio 13. Vtrùm duo Vltimi Fines possint finalizare vnam intentionem. Caiet. in p. 2. q. 1. art. 5. & 6. & alibi, &c.

Quæstio 14. Vtrùm Bonitas à parte rei in via D. Th. possit esse sola ratio formalis finalizandi. Caiet. in p. p. q. 5. art. 4. (& p. 2. q. 1. art. 1.

Quæstio 15. Vtrùm Bonitas quatenus apprehensa sit tota ratio formalis quæ, & sub qua finalizandi in via D. Th. Caiet. in p. p. q. 80. a. 2. in Resp. ad 1. (& q. 82. art. 4.) & in p. 2. q. 22. art. 3. (& q. 30. art. 3. in Resp. ad 2.) & 23. art. 4. (& in 22. q. 132. art. 4.

Quæst. 16. Vtrùm Malum sit effectus alicuius Causæ Physicæ, vel potius ipsum sit Causa Physica. Caiet. in p. p. q. 48. art. 1. 2. & 3. (& in q. 49. art. 1. 2. & 3. & alibi.

Quæstio 17. Vtrùm detur Causa per accidens, scilicet, Casus, & Fortuna. Caiet. in p. p. q. 82. art. 4. (& q. 103.) & alibi, &c.

Quæstio 18. Vtrùm Fatum sit Causa Physica. Caiet. in p. p. q. 116. art. 1. 2. & 3. & 4.

Quæstio 19. Vtrùm omne, quod est de nouo, habeat Causam. Caiet. in p. p. q. 115. art. 6. in fine Comment.

IN-

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 3. Physicorum

QVæstio 1. Quid sit Motus, & an fiat in instanti. Caiet. in p. p. q. 53. art. 3. & alibi, &c.
Quæstio 2. Vtrùm Actio sit idem, quod Motus, & in quo subiectetur. Caiet. in p. p. q. 41. art. 1. (& q. 45. art. 2. & in p. 2. pluribus in locis, &c.
Quæstio 3. Vtrùm aliquid prætèr Deum possit esse Infinitum per essentiam. Caiet. in p. p. q. 7. art. 1. & 2. (& alibi.
Quæstio 4. Vtrùm possit esse aliquid Infinitum in magnitudine. Caiet. in p. p. q. 7. art. 3. & alibi, &c.
Quæstio 5. Vtrùm possit esse in rebus infinitum secundum multitudinem. Caiet. p. p. q. 7. art. 4. & alibi &c.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 4. Physicorum.

PRima Quæstio; Quid sit Locus, & ad quam speciem Quantitatis spectet. Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate, & in p. p. q. 8. art. 2.
Quæst. 2. Vtrùm duo Corpora possint esse in eodem loco. Caietanus in p. p. q. 52. art. 3. (& q. 76. art. 2.) & in 3. p. q. 52. art. 2. (& q. 35. art. 5.) & alibi &c.
Quæstio 3. Vtrùm Vnum Corpus possit esse in pluribus locis. Caiet. varijs in locis Comment.
Quæstio 4. Vtrùm si daretur vacuum, esset Motus in ipso. Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. ad 4. (& in 3. p. q. 57. art. 3. in Resp. ad 2. & alibi &c.
Quæstio 5. Quid sit Tempus, & an distinguatur à sua Duratione. Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate. Et in p. p. q. 10. art. 1. 2. 5. (& q. 53.) & alibi.
Quæstio 6. Vtrùm Tempus sit vnum, vel multiplex. Caiet. in p. p. q. 10. art. 6. (& alibi &c.
Quæstio 7. Vtrùm Tempus existat ratione instantis. Caiet. in p. p. q. 10. art. 1. & 5. (& alibi &c.
Quæstio 8. Quænam sint mensurata à nostro Tempore. Caiet. in p. p. q. 10. art. 4. & 5. (& alibi &c.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 5. Physicorum.

QVæstio 1. Ad quæ Prædicamenta detur Motus propriè dictus. Caiet. in sua Logica cap. 2. & 4. de Quantitate, & quali, & in 2. 2. q. 24. in Resp. ad primum.
Quæstio 2. Vtrùm ad omnes species Qualitatis sit Motus per se. Caiet. in sua Logica cap. de Quali(& in p. 2. q. 52. art. 1. & 3.) & q. 49. & 50. (& alibi &c.
Quæstio 3. Vtrùm Motus Augmenti sit propriè circà quantitatem. Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. (in 2. 2. q. 24.
Quæstio 4. Vndè sumitur Vnitas Motus, etiàm vt dicit mutationem. Caiet. in p. p. (in p. 2.) & in 3. p. multis in locis.
Quæstio 5. Vndè desumenda sit contrarietas motùum. Caiet. in p. p. (& in p. 2. varijs in locis.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 6. Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Indiuiduum componatur ex Solis indiuisibilibus. Caiet. in suis Comment. multis in locis.
Quæstio 2. Vtrùm partes in continuo sint Infinitæ. Caiet. varijs in locis Comment.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 7. Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Ista propositio, omne quod mouetur ab alio mouetur, verificetur vniuersaliter. Caiet. varijs in locis.
Quæstio 2. Vtrùm prædicta propositio se extendat etiàm ad Motus spirituales, scilicet Intelligere, & velle. Caiet. in p. p. q. 105. art. 3. & 4. (& in p. 2. q. 9. art. 1. 3. & 4.
Quæstio 3. Vtrùm Mouens, & motum debeant esse simùl. Caiet. 2. post. cap. 12. (& in p. p. q. 8. art. 1.) & q. 52. art. 1.
Quæstio 4. Vtrùm Grauia, & leuia moueantur à se ipsis. Caiet. in p. p. q. 18. art. 1. (& alibi &c.
Quæstio 5 Vtrùm Motus Cordis sit simplicitèr à Generante. Caiet. in p. p. q. 66. art. 2. & in p. 2. q. 17. art. 9.
Quæstio 6. Vtrùm Prima Intellectio, & prima Volitio nostra sit à primo mouente,

Animæ Intellectiuæ conuenit esse sibi proprium, & vt quo, & vt quod, ad differentiam aliarum sensibilium quibus conuenit vt quo tantum, & ideò corrupto composito corrumpuntur. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 87. (& in q. 15. probatur ex hoc quod sit perfectior coniuncta corpori num. 188.) & 189. (& 190. & 191.)

Accidentàlis forma, conuenit cùm substantiali forma in tribus; & differt in quinq; subtilitèr. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 92. & 93.

Animam esse hominem dupliciter intelligi potest, contrà illos, qui posuerunt solam formam esse de ràtione speciei. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 117.

Anima non potest dici hic homo, quià non habet omnes operationes hominis vt sic. Puta vegetatiuæ partis, aut elementaris. Caiet. ibidem num. 127.

Anima est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis; vndè talis potentia non abijcit Animam, sicut lumen est actus lucidi, non quod seorsim sit lucidum sine luce. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 144.

Anima intellectiua, vt virtualitèr diuisibilis, & quod det esse extensum, de quo esse intelligatur, vel essentiæ, vel existentiæ. Ibidem Caiet. num. 145. (& 154.

Actus secundus qui operatio facit rem in perfectiori statu, & magis illam vnit suo fini, quià vnumquodq; est proptèr suam operationem; & similiorem reddit Deo, in hoc quod se communicat alijs, Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 192.

Ars ex hoc, quod in omnibus imitatur naturam, quomodo etiàm in politicis vnaquæq; pars, scilicet, Ciuis amet potiùs Bonum Reip. quàm se ipsum, seù Bonum particulare. Caiet. in q. 17. p. Phys. num. 216.

Appetere non esse, eligibilius est Iusto, quàm peccare mortalitèr, imò quàm peccare venialitèr contrà Scotum, Caiet. ibidem num. 221.

Anima rationalis, verè, & propriè est, & fit, quià subsistit, & vt quo, & vt quod ad differentiam aliarum formarum, quæ sunt vt quo. Et composita verè sunt, & fiunt, quià subsistunt vt quod, Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 233. vsq; ad num. 239.

Accidentium in composito, aliquorum est sola radix forma, & aliquorum est sola radix Materia: & quædam sequuntur in ordine ad formam generalem: quædam ad formam specialem; & quænam sint illa, quæ sequuntur Compositum ratione materiæ, & formæ principalitèr. Caiet. diffusè in q. 20. à num. 251. vsq; ad nu. 253. (& cur aliqua accidentia remaneant eiusdem rationis in Composito corrupto, vt nigredo viui, & mortui; & aliqua non. num. 251.

Anima Intellectiua quomodo secundum essentiam sit Actus Corporis, & non secundum potentias suas proprias, & quomodò competat ipsi ratio naturæ. Caiet. in 2. Physicorum q. p. num. 6. & 7. & subtilitèr cùm D.Th. Caiet. in num. 9. & 8.

Ars quomodo deficiat ab operatione naturæ; & quænam transmutatio sit in Aqua artificialis, seù naturalis. Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 16. & 17. & Ars quod non faciat opera naturæ; & quomodo probabilitèr Alchimici aliquandò, sed rarissimè possint facere verum Aurum, quod quidèm sophisticatum, nunquam perueniet ad verum Aurum: subtilitèr. Caiet. ibidem num. 18.

Actio in conceptu, Ab. pro vt dimanat ab Agente dicit Causalitatem Causæ efficientis, & in ipsa consideratur duplex modus procedendi, vnus ex parte causæ, & altèr ex parte effectus; & quomodò verificetur, quod, omne Agens agit sibi si n le. Caiet. in 2. Phys. q. 6. num. 49.

Accidens sicùt non stat simul, quod fiat ab Agente naturali, & non educatur de potentia subiecti; ità non stat simul, sed implicat, quod fiat ab Agente naturali, & sit separatum à subiecto. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 61.

Actuum

Actuum diuersitati; quo modo correspondet diuersitas potentiarum propriarum Caiet. in 2. Phys. q. 9. à num. 71. vsque ad 75.
Appetibile quomodo non moueat appetitum, nisi in quantùm apprehensum, & hoc per se, & non per accidens. Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 142. & hoc effectiuè, quia finalitèr mouet secundum quod est extrà Animam. num. 143.
Apprehensio respectu obiecti appetitus, non se habet vt conditio, vel vt approximatio actiui, & passiui, sed vt ratio obiectiua. Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 146.
Agens omne per motum, aut per mutationem, præsupponit materiam, in quam agit, Caiet. in 2. Phys. q. 19. num. 197. Conclusione secunda.

B

Bonum est triplex; scilicet, forma, subiectum, & habilitas subiecti, quodnam ex his tribus tollatur à malo, seù priuatione, ostendit Caiet. in quæstione 16. in primo Phys. num. 203.
Bonum duplex datur nobis à Deo, Bonum naturæ, super quo fundatur amor noster naturalis; & Bonum gratiæ super quo fundatur amor supernaturalis, & stante hoc, cum nos simus aliquid Dei, vt partes, magis amare debemus Deum, quàm nosmetipsos; & vnaquæque pars quomodo diligat, & appetat magis Bonum commune, quam Bonum partis. Caiet. in q. 17. p. Phys. à num. 216. vsque ad num. 226.
Bonum quidem amabile, vnicuique autèm proprium. Explicatur hoc axioma in ly proprium, quot modis dicatur, à Caiet. q. 17. num. 217.
Bonum vniuersi totius, est eminentius Bonum, tùm quià est omne Bonum, tùm quià Bonum istud vniuersale, quod est Deus Gloriosus, & Finis, Bonum ipsius vniuersi. Ex hoc infertur contrà Scotum, quod si à quacumque parte Vniuersi magis amatur Vniuersum, multò magis amabitur ipse Deus. Caiet. subtilitèr in q. 17. p. Phys. num. 224.
Baptismi vnitas, quo modo possit, & non possit esse à pluribus Ministris; & quomodo hæc quæstio congruentiam habeat cum illa de duabus causis totalibus Physicis in ordine ad vnum effectum. Caiet. In 2. Phys. qui num. 106.
Bonum, & Finis sunt idem secundum rem; & quod differant secundum rationem; & quod à Bono sit duplex efluxus, & in re, & in appetitu, & quando exerceat rationem Finis, an quando est obiectum appetitus, vel quando est causa Finalis. Caiet. hæc omnia explicat in 2. Phys. q. 13. num. 121.
Bonum proprium peccatoris est eius vltimus Finis: cætera omnia Bona apparentia, ad quæ peccator conuertitur, referuntur ad vnum communem Finem qui est simplicitèr vltimus finis sibi, vt potè omnia illa conferentia ab Bonum proprium. Subtilitèr Caiet. ibidem num. 126.
Bonum posse habere rationem causæ Finalis dupliciter, scilicet, in actu exercito, & in actu signato; & si habet primo modo, controuertitur; àn Bonum formalitèr sit ipsa ratio Finis in actu exercito. Caiet. subtilitèr in 2. Phys. q. 14. num. 128.
Bonum quomodo sit vltimum in essendo, & primum in causando, & sic quomodo habeat rationem finis. Caiet. ibidem num. 129. & 136.
Boni ratio præsupponit rationem causæ efficientis, & rationem causæ formalis. In causando tam &c. Bonum, & Finis mouet efficientem, ibidem. 134.
Bonitatis Diuinæ ratio, est prima in causando finalitèr, & ipsamet secundum Analogiam eadem, est vltima in essendo in re qualibet, cuius est prima in causando,
Caiet.

non libera, tollit illam potentialitatem quam habent de se, & reducit illas de potentia ad actum, vt moueant se in suis proprijs motibus simul cum eodem primo mouente ad suos motus, vt artifex applicat securim ad scindendum. Et declaratur insuper à Caiet. ex D. Th. in p. 2. vbi exemplicat istam applicationem causæ secundæ factam à prima de actu imperato, qui est in actu, & fit actu impressione Physica imperantis; & in q. 22. de verit. art. 13. exemplicat de membris inferioribus, quæ ex motione animæ prius quam moueantur, aliquod physicum recipiunt, ergo ista applicatio causæ secundæ non nisi significat motionem præuiam primi mouentis imprimentem aliquid Physicum, &c. Ità Caiet. explicat varijs in locis hanc applicationem, &c. effectus igitur istius præuiæ motionis, seù applicationis causæ ad actum secundum nil aliud est, nisi reddere causam secundam completam, applicatam, & determinatam ad operandum, quod autèm reducitur de potentia ad actum, & determinatur, debet esse in actu: esse autèm simul in potentia, & in actu implicat; & hoc non potest formalitèr facere concursus simultaneus seù cooperatio simultanea intrinseca primi mouentis, quià iste influit in effectum, & idemtificatur cum actione causæ secundæ, & sic non reddit, sed præsupponit in priori naturæ causam secundam creatam reductam de potentia ad actum, & determinatam ad operandum, ergo de primo ad vltimum ista applicatio, non potest esse nisi motio præuia cooperatiua. Ità Caiet. in tota summa.

2. Prob. Caiet. eiusdem primæ cõsequẽtiæ principalis ex D. Th. varijs locis cit. quod nomine applicationis in D. Th. intelligitur præuia motio.

Secundo probatur à Caiet. eadem prima consequentia in p. 2. q. 119. art. 1. & alibi ex D. Th. cont. gent. cap. 67. Ibi S. Doctor in prima, & secunda ratione probat quod Deus motione cooperatiua intrinsecè seù simultanea mouet causas secundas in suis motibus, quià, scilicet, dat creaturæ virtutem operatiuam; & in tertia ratione, quià conseruat illam; & in quinta ratione, quià est tanquàm agens principale, & causa secunda vt instrumentum; & in sexta ratione, quià ordinare res in finem est ipsius Dei: at in quarta ratione dicit, & probat esse p æmouentem, quià applicat causas secundas ad operandum, ergo applicare antecedentèr ad operationem, virtutem causæ secundæ, vt actu operetur, secundum D. Th. nil aliud est quam propriè, & Physice præmouere præuia motione cooperatiua. Et motus voluntatis (ait Caiet. alibi) ex ista quarta ratione cont. gent. quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primùm appetibile in quo signatùr ordo ad ipsum tanquàm ad finem, & reducitur etiàm sicut in primum volentem, in quo signatur ordo in ipsum sicuti in primum mouens, & in primum agens. Ità Caiet. in p. 2. de duplici motore voluntatis.

Arg. Caiet. vbi affert sua duo dicta, quæ videntur tollere istam præuiam motionem, scilicet, in p. p. q. 19. art. 8. & q. 13. art. 13.

266. Quoad quartum Arguit Caiet. contrà se ipsum ex p. p. q. 19. art. 8. in fine Comment. Ista propositio Scotica assumpta à Scoto ad probandum quod radix contingentiæ, vt conditio Diuinæ voluntatis, non est eius efficacia vt nos ponimus, sed contingentia eiusdem (scilicet, omnis causa secunda mouet, seù agit in quantum mota à prima) ly in quantum mota potest intelligi de motione præuia, & sic non opportet, cum quis aliquid vuult, & cum Sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari. Hoc idem repetit in p. p. q. 13. art. 13. sub his verbis quasi ijsdem, ly mota ab alia, si intelligatur de motione præuia propriæ actionis, sicut aqua, calefacit calefacta ab igne, dato quod esset vera, aut sustentabilis, de motione tamèn cooperatiua sustineri non potest, quoniam cooperans intrinsecè, cooperatur vnicuique secundum modum eius, cui cooperatur, ergo si in art. 8. Caiet. dicit quod non opportet cum quis aliquid vult, &c. præuia motione cooperari, &c. & in art. 13. q. 13. dicit Caiet. dato quod esset vera, aut sustentabilis illa propositio in sensu de motione præuia, &c. Signum euidens est, quod secundum D. Th. non possit

sit verificari ista præuia motio, & quod per ly applicans, non possit intelligi ly præmouens. Ità Caiet. &c.

Resp. Caiet. ex Doctrina D. Thomæ in sua summa, vt fidelissimus eius interpres, negando consequentiam. Physicè loquendo est verum, quod sumendo concursum Dei in toto rigore, scilicet, pro actione Dei, & pro virtute actuali communicata creaturæ, vt condistincta à termino facto, non opportet cum aliquis vult, &c. primam causam præuia motione cooperari, distincta realitèr nimirùm à motione cooperatiua simultanea; & hoc magis confirmat in exemplo allato in q. 13. art. de aqua calefacta ab igne, quasi dicat non requiritur concursus præuius distinctus realitèr, sicuti requiritùr ad aquam, quæ vt calefaciat, opportet, quod actione distincta calefiat ab igne. Cæterùm idem concursus, absolutè loquendo (& non glosando propositiones Scoticas in alia materia assumptas de radice contingentiæ, sed loquendo secundum se, spectata rei veritate, vt facimus in præsenti quæstione) idem, inquam concursus Physicè loquendo, & est præuius, & est simultaneus iuxtà diuersas formalitates metaphysicales intellectus. Eminentèr enim Deus suo concursu, & applicat, seù præmouet causam ad agendum; & ad cooperandum simul cum illa. Applicat, vt operetur in actu causa secunda cooperando cooperatione simultanea cum ipsa intrinsecè. Applicat seù præmouet inchoando, & quasi cooperando prosequitur. Eodem modo ex parte motionis passiuæ, vel qualitatis deriuatæ à Deo, vnica motio, & qualitas sufficit ad faciendum, vt causa faciat ad cooperandum cum illa. Ità Caiet. qui in p. p. q. 104. art. 1. ad quartum hoc idem confirmat dicendo cum D. Th. quod creatio, & conseruatio est eadem actio Dei, sola differentia rationis, quià in creatione connotatur nouitas effectus, & in conseruatione persistentia effectus in esse. Et in p. 2. q. 111. art. 2. Caiet. ex D. Th. hoc idem confirmat, quod idem auxilium Diuinum operatur, & cooperatur, præuenit, & subsequitur. Et in Resp. ad quartum ait, quod gratia operans, & cooperans est eadem, sed distinguitur secundum diuersos effectus. Et in art. 3. in corpore, & ad secundum ait, quod gratia non diuersificatur secundum essentiam per hoc, quod est præueniens, & comitans, & subsequens. Et in q. 113. art. 6. ad secundum, & alibi, ait ex D. Th. Caiet. quod in gratiosis Deus eodem actu largitur gratiam, & remittit culpam, quamuis ex parte obiecti culpa quæ tollitur, & gratia quæ infunditur differant, vel sicuti forma, & priuatio, vel sicut duo contraria. Ità Caiet.

Resp. Caiet. trahens sua dicta ad sensum propositum de motione præuia ex alijs locis D. Th. interpretatis ab ipsomet Caiet.

267. In proposito igitur (non disputando contra Scotum) sicuti causa secunda in ordine suo exit de potentia ad actum vnica operatione, & influit in effectum; sic prima, & vnica operatio primæ causæ, seù vnicus concursus, seù influxus Dei cum duobus respectibus, & formalitatibus in ordine ad inadæquatos effectus, applicat, seù præuonet causam secundam quam mouet, & cooperatur eius actioni, sicuti mouendo calamum nos, & etiàm formamus litteras scribendo, eadem vnica motione. Et hæc virtus, seù idem concursus Dei exigitur, ait Caiet. loc. cit. & est necessarius ad inchoandum, prosequendum, & perficiendum operationem, quià, vt ait S. Doctor, q. 3. de potentia art. 7. ad septimum de ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo principium operationis in suo ordine, idest vt agat veluti instrumentum virtutis superioris; vndè exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet, & hoc benè nota. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratur à Caiet. hæc sua præuia motio sub quo nomine S. Doctor appellat applicationem causæ secundæ.

Itaque Caietanus gerens modum loquendi S. Doctoris, quandò disputat cum alijs, dixit in locis citatis in Argumento quod dato quod esset vera, & sustentabilis illa positio de concursu præuio distincto realitèr à concursu simultaneo, non est tamèn necessaria absolutè ista distinctio realis, quià illa motio simultanea sufficit ad operan-

randum in naturalibus, & ab præstandas omnes illas formalitates in operatione causæ secundæ, scilicet, & applicando, ideſt præmouendo, & incipiendo, & proſequendo, & perficiendo eamdem motionem cauſæ ſecundæ quià ſic ſe gerit Deus in gratioſis per vnicum ſuum auxilium, vt vidimus ſuprà locis citatis.

Phyſicè igitur loquendo, vnicus datur concurſus, qui ſecùndum conceptus Metaphyſicales, vt applicat cauſam ſecundam dicitur præuius: vt proſequitur intrinſecè operationem, dicitur ſimultanea cooperatio, & concurſus ſimultaneus; quod eſt formalitèr diſtingui, & eſſentialitèr ſecundum conceptus Metaphyſicales; non verò eſſentialitèr Phyſicè, & realitèr. BENEDICTVS DEVS.

Multi Phyſici in hoc octauo Libro pro completa notitia huius præmotionis ſolent addere, vt de facto addunt, alia quæſita, ſcilicet, àn hæc præmotio in cauſis liberis collat libertatem. Et ſecundo an Deus præmoueat voluntatem creatam ad materiale, non autèm ad formale peccati: ſed quià hæc quæſita, (eſto nos in noſtris manuſcriptis, & Phyſicalibus, & Metaphyſicalibus, luculentèr cùm Eminentiſs. Caiet. ex ſuis Comment. reſoluimus prædicta quæſita) potiùs ſpectant ad Metaphyſicum, & Theologum in Moralibus, ideò in hac Phyſica Caiet. ab ijs abſtinemus. Sat eſt pro complemento 8. Libri Phyſicorum ipſi Eminentiſſimo Caietano reſoluiſſe, exiſtentiam dari, ex ipſo motu, primi mouentis; & quod omne quod mouetur ab alio mouetur, & quòd non datur proceſſus in infinitum, ſed deueniendum eſſe ad primum omninò immotum, qui præmouet, & mouet omnes cauſas, ſeù mouentes ſecundos. B. D.

Finis
Phyſicæ Eminentiſſimi Caietani.

INDEX

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur cùm Proæmialibus in Primo Libro Physicorum.

Quæstio Prima Proæmialis. Vtrùm Philosophia sit Scientia speculatiua vnius athomæ speciei. Caiet. lib. 1. post. cap. 22.
Quæstio 2. Vtrùm ens mobile sit subiectum in tota Philosophia naturali. Caiet. in Opusc. Tom. 3. Tract. 3.
Quæstio 3. Proæmialis. Vtrùm aliqua Scientia probet suum subiectum esse. Caietanus Libro primo post, Capitulo primo, & ex p. p. quæstione secunda art. 3.

INDEX TITVLORVM

Libri Primi.

Quæstio Prima. Vtrùm ex vniuersalibus opporteat in singularia deuenirē. Caietanus in Comment. super Cap. 1. de Ente, & Essentia. Quæstione prima.
Quæstio 2. Vtrùm intèr Vniuersaliora, ens sit primo cognitum à nostro intellectu. Caiet. in Proæmio Cap. 1. de Ente, & essentia q. 1.
Quæstio 3. Vtrùm pro hoc statu ens concretum quidditati sensibili sit primo cognitum à nobis. Caiet. p. p. q. 84. art. 7. (85. art. 1. & 3.) & q. 87. art. 1. (& q. 88. art. 3.
Quæstio 4. Vtrùm Materia prima enumeretur intèr prima principia; & quid nomine primorum principiorum intelligatur. Caiet. in varijs locis suorum Comment.
Quæstio 5. Vtrùm omne receptiuùm possit denominari materia. Caiet. varijs in locis Comment.
Quæstio 6. Vtrùm Forma enùmeretur intèr principia naturalia, & quæ Forma. Caiet. varijs in locis Comment.
Quæstio 7. Vtrùm Priuatio enumeretur intèr tria prima principia; & quid nomine Priuationis intelligatur. Caiet. varijs in locis Commentariorum.
Quæstio 8. Quid nomine Compositi substantialis intelligatur. Caiet. varijs in locis suorum Comment.
Quæstio 9. Vtrùm, vna sit Materia prima informis omnium corporalium. Caiet. in p. p. q. 66. art. 2.
Quæstio 10. Vtrùm Materia prima sit verè pars quidditatis naturalis. Caiet. q. 4. cap. 2. de Ente, & Essentia, & in p. p. q. 65. art. 4.

Quæ-

Quæstio 11. Vtrùm Materia prima habeat actum, & possit esse sine forma. Caiet. q. 8. cap. 5. de Ente, & Essentia.
Quæstio 12. Vtrùm Materia prima immediatè recipiat omnes formas substantiales. Caiet. in p. p. q. 76. art. 4.
Quæstio 13. Vtrùm Dimensiones interminatæ præcedunt formam in Materia prima. Caiet. q. 16. cap. 7. de Ente, & Essentia, & p. p. q. 76. art. 6. & 7.
Quæstio 14. Vtrùm Eessentia in rebus creatis distinguatur realitèr à suo esse. Caiet. q. 11. cap. 5. de Ente, & Essentia, & alibi.
Quæstio 15. Vtrùm sit vnum, & idem esse in Composito substantiali, & forma. Caiet. q. 11. in fine cap. 5. de Ente, & Essentia, & alibi.
Quæstio 16. Vtrùm Materia prima habent appetitum ad formas semel amissas. Caiet. in p. p. q. 48. a. 4. (& q. 59. a. 2. & q. 76. in fine Comment.) & p. 2. q. 113. art. 10. & alibi.
Quæstio 17. Vtrùm Omnis pars naturalitèr appetat potiùs se, quàm suum Totum. Caiet. in p. p. q. 60. art. 5. (& in 2. 2. q. 26. art. 3.
Quæstio 18. Vtrùm Omnis forma substantialis, quæ est in Materia educatur de potentia materiæ. Caiet. p. p. q. 45. art. 8. & in q. 65. art. 4. (& in q. 90. art. 2.) & in q. 118. art. 2.
Quæstio 19. Vtrùm formæ sensibiles in sui prima productione sint à Deo eductæ de potentia Materiæ. Caiet. in p. p. q. 65. art. 4. (& q. 90. art. 2. & alibi.
Quæstio 20. Vtrùm omnis forma accidentalis educatur de potentia materiæ, vel compositi. Caiet. in p. p. q. 77. art. 6. 7. & 8. (& in vltima quæstione de Ente, & Essentia, quæ est 17.
Quæstio 21. Vtrùm detur potentia naturalis in rebus, ex qua educantûr accidentia supernaturalia. Caiet. in opusc. Tom. 3. tract. 3. q. 2.
Quæstio 22. Vtrùm omne causatum ab agente, sit compositum ex Caiet. in p. p. q. 3. art. 7. & 8. & alibi.
Quæstio 23. Vtrùm Vnio in composito substantiali sit modus realis, vel entitas superaddita, & quæ? Caiet. in p. p. q. 76. a. 1. in Resp. ad 6. & in 3. p. q. 2. art. 7. & art. 10. in Resp. ad 1. & alibi.
Quæstio 24. Vtrùm totum realitèr distinguatur à suis partibus simul sumptis. Caiet. in 3. p. q. 6. art. 5.
Quæstio 25. Vtrùm omnis forma substantialis in entibus naturalibus habeat terminum magnitudinis, & paruitatis: seù maximum, & minimum. Caiet. in p. p. q. 7. art. 3.
Quæstio 26. Vtrùm in formis supernaturalibus, puta Gratia, &c. detur maximum, & minimum. Caiet. in 3. p. q. 7. art. 11. & 12.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ sunt in 2. libro Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Ratio naturæ competat materiæ, & formæ. Caiet. in p. p. q. 70. art. 3. (& q. 76. art. 1. in Resp. ad 1.
Quæstio 2. In quo differant ars, & natura, & voluntas. Caiet. in p. p. q. 41. a. 2. (& 3. p. q. 75. a. 5. & 6.) & alibi.

Quæ-

Quæstio 3. Quid nomine Causæ, pro vt distinguitur à principio, intelligatur. Caiet. in 2. post. c. 9. (& p. p. q. 2. art. 3.) & 33. art. 1.

Quæstio 4. Vtrùm sint tantùm quatuor genera causarum. Caiet. varijs in locis suorum Comment.

Quæstio 5. Vtrùm in omni genere Causæ saluetur prioritas, & perfectio respectu sui effectus. Caiet. in p. p & in 2. 2. & in 3. varijs ibi loc. cit.

Quæstio 6. In quo consistat causalitas Causæ effectiuæ. Caiet. varijs in locis Comment.

Quæstio 7. In quo differat Causalitas primæ, à Causalitate secundæ Causæ. Caiet. in p. p. q. 65. art. 3. (& q. 45. a. 1. & 2.) & alibi in suis Comment.

Quæstio 8. Quænam sit differentia intèr Causam vniuocam, & æquiuocam. Caiet. in p. p. q. 104. art. 1. & alibi.

Quæstio 9. Vtrùm Agens substantiale immediatè agat. Caiet. in p. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1. & alibi.

Quæstio 10. Vtrùm Causa Instrumentalis Physica constituatur per motionem propriam. Caiet. in 3. p. q. 62. art. 1. & 4. (& in q. 13. art. 2. & alibi.

Quæstio 9. Vtrùm duæ Causæ totales siuè principales, siuè instrumentales possint producere vnum, & eumdem numero effectum Caiet. in p. p. q. 52. art. 3. (& 3. p. q. 57. art. 5.

Quæstio 12. Vtrùm ex vi suarum Causalitatum Forma possit actuare duas partes Materiæ, & vna Materia recipere duas formas. Caiet. in varijs locis suorum Comment.

Quæstio 13. Vtrùm duo Vltimi Fines possint finalizare vnam intentionem. Caiet. in p. 2. q. 1. art. 5. & 6. & alibi, &c.

Quæstio 14. Vtrùm Bonitas à parte rei in via D. Th. possit esse sola ratio formalis finalizandi. Caiet. in p. p. q. 5. art. 4. (& p. 2. q. 1. art. 1.

Quæstio 15. Vtrùm Bonitas quatenus apprehensa sit tota ratio formalis quæ, & sub qua finalizandi in via D. Th. Caiet. in p. p. q. 80. a. 2. in Resp. ad 1. (& q. 82. art. 4.) & in p. 2. q. 22. art. 3. (& q. 30. art. 3. in Resp. ad 2.) & 23. art. 4. (& in 22. q. 132. art. 4.

Quæst. 16. Vtrùm Malum sit effectus alicuius Causæ Physicæ, vel potius ipsum sit Causa Physica. Caiet. in p. p. q. 48. art. 1. 2. & 3. (& in q. 49. art. 1. 2. & 3. & alibi.

Quæstio 17. Vtrùm detur Causa per accidens, scilicet, Casus, & Fortuna. Caiet. in p. p. q. 82. art. 4. (& q. 103.) & alibi, &c.

Quæstio 18. Vtrùm Fatum sit Causa Physica. Caiet. in p. p. q. 116. art. 1. 2. & 3. & 4.

Quæstio 19. Vtrùm omne, quod est de nouo, habeat Causam. Caiet. in p. p. q. 115. art. 6. in fine Comment.

IN-

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 3. Physicorum

QVæstio 1. Quid sit Motus, & an fiat in instanti. Caiet. in p. p. q. 53. art. 3. & alibi, &c.
Quæstio 2. Vtrùm Actio sit idem, quod Motus, & in quo subiectetur. Caiet. in p. p. q. 41. art. 1. (& q. 45. art. 2. & in p. 2. pluribus in locis, &c.
Quæstio 3. Vtrùm aliquid prætèr Deum possit esse Infinitum per essentiam. Caiet. in p. p. q. 7. art. 1. & 2. (& alibi.
Quæstio 4. Vtrùm possit esse aliquid Infinitum in magnitudine. Caiet. in p. p. q. 7. art. 3. & alibi, &c.
Quæstio 5. Vtrùm possit esse in rebus infinitum secundum multitudinem. Caiet. p. p. q. 7. art. 4. & alibi &c.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 4. Physicorum.

PRima Quæstio: Quid sit Locus, & ad quam speciem Quantitatis spectet. Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate, & in p. p. q. 8. art. 2.
Quæst. 2. Vtrùm duo Corpora possint esse in eodem loco. Caietanus in p. p. q. 52. art. 3. (& q. 76. art. 2.) & in 3. p. q. 52. art. 2. (& q. 35. art. 5.) & alibi &c.
Quæstio 3. Vtrùm Vnum Corpus possit esse in pluribus locis. Caiet. varijs in locis Comment.
Quæstio 4. Vtrùm si daretur vacuum, esset Motus in ipso. Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. ad 4. (& in 3. p. q. 57. art. 3. in Resp. ad 2. & alibi &c.
Quæstio 5. Quid sit Tempus, & an distinguatur à sua Duratione. Caiet. in sua Logica cap. de Quantitate. Et in p. p. q. 10. art. 1. 2. 5. (& q. 53.) & alibi.
Quæstio 6. Vtrùm Tempus sit vnum, vel multiplex. Caiet. in p. p. q. 10. art. 6. (& alibi &c.
Quæstio 7. Vtrùm Tempus existat ratione instantis. Caiet. in p. p. q. 10. art. 1. & 5. (& alibi &c.
Quæstio 8. Quænam sint mensurata à nostro Tempore. Caiet. in p. p. q. 10. art. 4. & 5. (& alibi &c.

IN-

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 5. Physicorum.

QVæstio 1. Ad quæ Prædicamenta detur Motus propriè dictus. Caiet. in sua Logica cap. 2. & 4. de Quantitate, & quali, & in 2. 2. q. 24. in Resp. ad primum.
Quæstio 2. Vtrùm ad omnes species Qualitatis sit Motus per se. Caiet. in sua Logica cap. de Quali (& in p. 2. q. 52. art. 1. & 3.) & q. 49. & 50. (& alibi &c.
Quæstio 3. Vtrùm Motus Augmenti sit propriè circà quantitatem. Caiet. in p. 2. q. 52. art. 1. (in 2. 2. q. 24.
Quæstio 4. Vndè sumitur Vnitas Motus, etiàm vt dicit mutationem. Caiet. in p. p. (in p. 2.) & in 3. p. multis in locis.
Quæstio 5. Vndè desumenda sit contrarietas motùum. Caiet. in p. p. (& in p. 2. varijs in locis.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 6. Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Indiuiduum componatur ex Solis indiuisibilibus. Caiet. in suis Comment. multis in locis.
Quæstio 2. Vtrùm partes in continuo sint Infinitæ. Caiet. varijs in locis Comment.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 7. Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Ista propositio, omne quod mouetur ab alio mouetur, verificetur vniuersaliter. Caiet. varijs in locis.
Quæstio 2. Vtrùm prædicta propositio se extendat etiàm ad Motus spirituales, scilicet Intelligere, & velle. Caiet. in p. p. q. 105. art. 3. & 4. (& in p. 2. q. 9. art. 1. 3. & 4.
Quæstio 3. Vtrùm Mouens, & motum debeant esse simul. Caiet. 2. post. cap. 12. (& in p. p. q. 8. art. 1.) & q. 52. art. 1.
Quæstio 4. Vtrùm Grauia, & leuia moueantur à se ipsis. Caiet. in p. p. q. 18. art. 1. (& alibi &c.
Quæstio 5 Vtrùm Motus Cordis sit simpliciter à Generante. Caiet. in p. p. q. 66. art. 2. & in p. 2. q. 17. art. 9.
Quæstio 6. Vtrùm Prima Intellectio, & prima Volititio nostra sit à primo mouente,

ad modum grauium, & leuium. Caiet. in p. p. q. 105. art. 4. (& q. 82. art. 4. (& in p. 2. q. 9. & 10. & alibi &c.

INDEX TITVLORVM QVÆSTIONVM,

Quæ continentur in Libro 8. Physicorum.

QVæstio 1. Vtrùm Mundus, quod incæperit, vel quod fuerit ab æterno sit demonstrabile. Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. 2. & 3. & alibi, &c.

Quæstio 2. Vtrùm Mundus quo ad aliquam sui partem potuerit esse ab æterno. Caiet. in p. p. q. 46. art. 1. & 2.

Quæstio 3. Vtrùm per viam Motus sufficientèr Arist. in hoc 7. & 8. libro Physicorum deueniat in cognitionem primi Motoris simplicitèr, qui est Deus. Caiet. in p. p. q. 2. art. 3. & alibi in suis Comment.

Quæstio 4. Vtrùm Primus Motor operetur in omni operante, & mouente secundo Caiet. in p. p. q. 105. art. 5. & in q. 19. art. 8. & alibi &c.

Quæstio 5. & vltima. Vtrùm Primus Motor, sicut est vniuersalis in Mouendò, ità sit etiàm in præmouendo. Caiet. in p. p. q. 19. art. 8. (& in p. 2. varijs in locis.

FINIS INDICIS

Omnium Quæstionum, quæ in tota Physica Eminentissimi Caietani per octo Libros de Auscultatione dispersa continentur: omnesq; in numero sunt septuaginta nouem.

IN-

INDEX ALPHABETICVS

Singularium Doctrinarum, Sententiarum, nec non Responsionum, quæ in tota Physica Eminentissimi Caiet. à suis Commentarijs, operibusq; extracta, inueniuntur dispersæ in octo libris de Physito auditu.

Numerus vocat in ordine eiusdem Doctrinas, & Responsiones.

A

Abstractio per Intellectum triplex, Physica, Mathematica, & Metaphysica: explicatur differentia cùm D. Th. à Caietano in p. q. proœmiali num. 2.

Abstractio est duplex vna ex parte rei, & ista distinctio est ex distinctione inuenta in re; alia est ex parte Intellectus tantùm, & istius distinctio est ex re virtualitèr continente huiusmodi distinctionem. Ex Caiet. in p. q. proœmiali num. 4.

Actus sciendi ipsius habitus scientifici sunt duplices alij secundum vnam, & eamdem demonstrationem, & hi sunt omninò eiusdem rationis; Alij sunt secundum aliam demonstrationem, & hi aliquo modo sunt eiusdem rationis, & aliquo modo diuersæ. Ex Caiet. in p. q. proœmiali nùm. 6.

Actus præcedens habitum non est simplicitèr perfectior habitu, nisi eliciatur ab ipso habitu. Caiet. in q. p. p. Phys. num. 20.

Abstractio per Intellectum nostrum, est duplex, alia formalis, & alia totalis; & quomodo intèr se differant quadruplici differentia. Caiet. q. 2. Phys. p. num. 27. & 28. & 29.

Abstractio entis, quæ inuenitur intèr Conceptus confusos actuales facilior est quàm abstractio speciei specialissimæ: quià facilius est conspicere actualitèr priùs sinè posteriori, quàm è contrà Caiet. ibidem num. 47.

Agens corporale, quando in remotiùs agit, tanto fortiùs videtur. Caiet. ibidem num. 48.

Abstrahere à phantasmatibus, est modus communis omni nostræ Intellectioni; & aliud est intelligere abstrahendo, & aliud est habere species intelligibiles à sensibus, & phantasmatibus. Caiet. num. 51. q. 3. p. Phys.

Abstrahere à phantasmate, quandoq; significat operationem Intellectus Agentis, quandoq; operationem Intellectus possibilis: hæc secunda est effectus primæ, & eiusdem rationis cùm ea. Caiet. q. 3. p. Phys. num. 53.

Animæ capacitas naturalis intellectiua non se extendit ad cognoscibilia, quæ sunt separata à materia. Angelus autèm, vt eleuatioris essentiæ, est alia excellentiori modo, quàm Anima nostra. Caiet. ibidem num. 55.

Angeli non cognoscunt materialia per se primò, sed res separatas à materia. Caiet. ibidem num. 60.

Actus sicut est duplex, scilicet, esse, & forma, ità duplex est potentia receptiua, scilicet, Essentia, & Materia, Caiet. in q. 5. p. Phs. num. 80.

Animæ Intellectiuæ conuenit esse sibi proprium, & vt quo, & vt quod, ad differentiam aliarum sensibilium quibus conuenit vt quo tantum, & ideò corrupto composito corrumpuntur. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 87. (& in q. 15. probatur ex hoc quod sit perfectior coniuncta corpori num. 188.) & 189.(& 190.& 191.)

Accidentalis forma, conuenit cùm substantiali forma in tribus; & differt in quinq; subtilitèr. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 92. & 93.

Animam esse hominem dupliciter intelligi potest, contrà illos, qui posuerunt solam formam esse de ratione speciei. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 117.

Anima non potest dici hic homo, quià non habet omnes operationes hominis vt sic. Puta vegetatiuæ partis, aut elementaris. Caiet. ibidem num. 127.

Anima est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis; vndè talis potentia non abijcit Animam, sicut lumen est actus lucidi, non quod seorsim sit lucidum sine luce. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 144.

Anima intellectiua, vt virtualitèr diuisibilis, & quod det esse extensum, de quo esse intelligatur, vel essentiæ, vel existentiæ. Ibidem Caiet. num. 145. (& 154.

Actus secundus qui operatio facit rem in perfectiori statu, & magis illam vnit suo fini, quià vnumquodq; est proptèr suam operationem; & similiorem reddit Deo, in hoc quod se communicat alijs, Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 192.

Ars ex hoc, quod in omnibus imitatur naturam, quomodo etiàm in politicis vnaquæq; pars, scilicet, Ciuis amet potiùs Bonum Reip. quàm se ipsum, seù Bonum particulare. Caiet. in q. 17. p. Phys. num. 216.

Appetere non esse, eligibilius est Iusto, quàm peccare mortalitèr, imò quàm peccare venialitèr contrà Scotum, Caiet. ibidem num. 221.

Anima rationalis, verè, & propriè est, & fit, quià subsistit, & vt quo, & vt quod ad differentiam aliarum formarum, quæ sunt vt quo. Et composita verè sunt, & fiunt, quià subsistunt vt quod. Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 233. vsq; ad num. 239.

Accidentium in composito, aliquorum est sola radix forma, & aliquorum est sola radix Materia: & quædam sequuntur in ordine ad formam generalem: quædam ad formam specialem; & quænam sint illa, quæ sequuntur Compositum ratione materiæ, & formæ principalitèr. Caiet. diffusè in q. 20. à num. 251. vsq; ad nu. 253. (& cur aliqua accidentia remaneant eiusdem rationis in Composito corrupto, vt nigredo viui, & mortui; & aliqua non. num. 251.

Anima Intellectiua quomodo secundum essentiam sit Actus Corporis, & non secundum potentias suas proprias, & quomodò competat ipsi ratio naturæ. Caiet. in 2. Physicorum q. p. num. 6. & 7. & subtilitèr cùm D.Th. Caiet. in num. 9. & 8.

Ars quomodo deficiat ab operatione naturæ; & quænam transmutatio sit in Aqua artificialis, seù naturalis. Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 16. & 17. & Ars quod non faciat opera naturæ; & quomodo probabilitèr Alchimici aliquandò, sed rarissimè possint facere verum Aurum, quod quidèm sophisticatum, nunquam perueniet ad verum Aurum: subtilitèr. Caiet. ibidem num. 18.

Actio in conceptu, Ab. pro vt dimanat ab Agente dicit Causalitatem Causæ efficientis, & in ipsa consideratur duplex modus procedendi, vnus ex parte causæ, & altèr ex parte effectus; & quomodò verificetur, quod, omne Agens agit sibi simile. Caiet. in 2. Phys. q. 6. num. 49.

Accidens sicùt non stat simul, quod fiat ab Agente naturali, & non educatur de potentia subiecti; ità non stat simul, sed implicat, quod fiat ab Agente naturali, & sit separatum à subiecto. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 61.

Actuum

Actuum diuersitati, quo modo correspondet diuersitas potentiarum propriarum Caiet. in 2. Phys. q. 9. à num. 71. vsque ad 75.

Appetibile quomodo non moueat appetitum, nisi in quantum apprehensum, & hoc per se, & non per accidens. Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 142. & hoc effectiuè, quia finalitèr mouet secundum quod est extrà Animam. num. 143.

Apprehensio respectu obiecti appetitus, non se habet vt conditio, vel vt approximatio actiui, & passiui, sed vt ratio obiectiua. Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 146.

Agens omne per motum, aut per mutationem, præsupponit materiam, in quam agit, Caiet. in 1. Phys. q. 19. num. 197. Conclusione secunda.

B

Bonum est triplex, scilicet, forma, subiectum, & habilitas subiecti, quodnam ex his tribus tollatur à malo, seu priuatione, ostendit Caiet. in quæstione 16. in primo Phys. num. 203.

Bonum duplex datur nobis à Deo, Bonum naturæ, super quo fundatur amor noster naturalis; & Bonum gratiæ super quo fundatur amor supernaturalis, & stante hoc, cum nos simus aliquid Dei, vt partes, magis amare debemus Deum, quàm nosmetipsos; & vnaquæque pars quomodo diligat, & appetat magis Bonum commune, quam Bonum partis. Caiet. in q. 17. p. Phys. à num. 216. vsque ad num. 226.

Bonum quidem amabile, vnicuique autèm proprium. Explicatur hoc axioma in ly proprium, quot modis dicatur, à Caiet. q. 17. num. 217.

Bonum vniuersi totius, est eminentius Bonum, tùm quià est omne Bonum, tùm quià Bonum istud vniuersale, quod est Deus Gloriosus, & Finis, Bonum ipsius vniuersi. Ex hoc infertur contrà Scotum, quod si à quacumque parte Vniuersi magis amatur Vniuersum, multò magis amabitur ipse Deus. Caiet. subtilitèr in q. 17. p. Phys. num. 224.

Baptismi vnitas, quo modo possit, & non possit esse à pluribus Ministris; & quomodo hæc quæstio congruentiam habeat cum illa de duabus causis totalibus Physicis in ordine ad vnum effectum. Caiet. In 2. Phys. qui num. 106.

Bonum, & Finis sunt idem secundum rem; & quod differant secundum rationem; & quod à Bono sit duplex efluxus, & in re, & in appetitu, & quando exerceat rationem Finis, an quando est obiectum appetitus, vel quando est causa Finalis. Caiet. hæc omnia explicat in 2. Phys. q. 13. num. 121.

Bonum proprium peccatoris est eius vltimus Finis: cætera omnia Bona apparentia, ad quæ peccator conuertitur, referuntur ad vnum communem Finem qui est simplicitèr vltimus finis sibi, vt potè omnia illa conferentia ab Bonum proprium. Subtilitèr Caiet. ibidem num. 126.

Bonum posse habere rationem causæ Finalis dupliciter, scilicet, in actu exercito, & in actu signato; & si habet primo modo, controuertitur; àn Bonum formalitèr sit ipsa ratio Finis in actu exercito. Caiet. subtilitèr in 2. Phys. q. 14. num. 128.

Bonum quomodo sit vltimum in essendo, & primum in causando, & sic quomodo habeat rationem finis. Caiet. ibidem num. 129. & 136.

Boni ratio præsupponit rationem causæ efficientis, & rationem causæ formalis. In causando tam &c. Bonum, & Finis mouet efficientem, ibidem. 134.

Bonitatis Diuinæ ratio, est prima in causando finalitèr, & ipsamet secundum Analogiam eadem, est vltima in essendo in re qualibet, cuius est prima in causando, Caiet.

Caiet. in 2. Phys. q. 14. num. 140.

Bonum apprehensum, quod sit obiectum formale finalizans voluntatem, & non vt conditio, explicat, & sustinet diffusè Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 141. & per totam quæstionem ex contextibus D. Th. num. 150. 151. & 152.

Bonum apprehensum quomodo moueat appetitum vtroque modo, & effectiuè, & finalitèr, & in ly finalitèr, apprehensio non est conditio, sed ratio formalis subqua. Caiet. subtilitèr in 2. Phys. q. 15. num. 155. & 56. de malo apprehenso.

Bono omni sublato, quod requiritur ad integritatem mali, subtrahitur etiàm ipsum malum, cuius subiectum est Bonum, & malum causatur ex Bono, & malum non potest esse prima causa, cum sit causa nisi per accidens. Caiet. in 2. Phys. q. 16. num. 162. & 163. vbi duo gradus Bonitatis dantur. Et Bono per se competit agere num 163.

Bono increato, quod opponatur malum culpæ potest intelligi dupliciter, vel formalitèr vel obiectiuè: propriè opponitur obiectiuè. Caiet. in 2. Phys. q. 16. num. 168. & num. 169. vbi dicitur, quod malum formalitèr inuenitur in rebus non positiuè vt ens, sed remotiuè, idest non ponendo, sed remouendo formalitèr aliquid à rebus. Bonum circuit omnia genera, vndè vnum Bonum potest simul esse cùm priuatione alterius Boni. Malum igitur nullam habet causalitatem, sed est effectus in rerum natura alicuius causæ, non formalis, nec finalis, nec efficientis per se, sed efficientis per accidens. Caiet. ibidem num. 170.

C

Corpus mobile, ideò non non ponitur subiectum in Philosophia, quià probatur in 6. Phys. Et dùm probatur esse mobile, probatur simul etiàm esse diuisibile, & è contrà. Caiet. in q. 2. proœm. num. 36. & 37. & 38.

Cognitum primum à nostro intellectû, & potest considerari absolutè, & secundo potest considerari in tali ordine puta cognitionis confusæ, vel distinctæ. Et fit quæstio, & in primo, & in secundo sensu. Caiet. in primo Phys. q. 1. num. 1.

Cognitio actualis distincta est, qua penetratur id, quod actualitèr inuenitur in obiecto. Et cognitio virtualis distincta est, qua obiectum penetratur secundum id quod virtualitèr includitur in ipso. Caiet. ibidem loc. cit. num. 6.

Cognitio confusa est, qua cognoscitur aliquid in quo plura continentur, quin habeatur propria notitia vniuscuiusq; eorum. Caiet ibid. loc. cit. num. 10.

Cognitio indistincta media est inter potentiam, & actûm. Caiet. ibidem num. 11. Conclusione 3.

Cognosci in vniuersali, aliud est ab hoc quod dicitur, demonstrari in vniuersali demonstratione. Caiet. ibidem num. 21.

Cognitio confusa duplex vna actualis, altera virtualis: per primam cognoscitur confusè id, quod actualitèr reperitur in obiecto; per secundam cognoscitur confusè id quod virtualitèr in obiecto includitur. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 30. & 31.

Cognitio primorum principiorum est cognitio complexa: Cognitio entis est cognitio incomplexa: quænam præcedat. Ostendit Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 36.

Cognitum primum ab intellectu nostro, quomodo necessarium sit, quod sit ordine generationis ipsa quidditas materialis; & sic nec Deus, nec substantiæ immateriales possunt primo cognosci à nobis. Caiet. q. 3. p. Phys. num. 52.

Cognitum est in cognoscente secundum modum naturæ cognoscentis; & cognitio est secundum modum, quo cognitum est in cognoscente. Caiet. ibidem num. 55.

Cogni-

Cognitionis initium est ex eo, quod natura aliquà est non solùm ipsa, sed alia; Caiet. ibidem num. 55.
Communitas per modum potentiæ consistit in recipere, & ideò imperfectissima, & competit materiæ. Communitas per modum actus consistit in recipi, & ideò perfectissima, & est propria ipsius esse. Caiet. in q. 4. p. Physicorum num. 72.
Compositio substantialis, & accidentalis in quo conueniant, & in quibus differant. Caiet. in q. 8. p. Phys. num. 103.
Cœlum quià Arist. tenet habere motum ab æterno, seù coæternum ipsi, sicuti, & figuram, ideò dixit non est in statu potentiæ ad motum; sed in potentia ad terminos motus. Caiet. in q. 9. p. Phys. num. 105.
Corporeitas cœlestis si secundum Auuerr. esset simplex, idest sua materia, & ens in actu, benè infert D.Th. quod esset intellecta in actu. Caiet. ibidem. num. 106.
Causæ sufficit pro quolibet instanti temporis, quo actu causat, habere existentiam, & Materia causat, quando existit; & ly quando est terminus temporalis. Subtilitèr Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 138.
Corpus Christi in triduo fuit simplicitèr idem numero, quià idem suppositalitèr, & materialitèr, & quo ad esse existentiæ, & sic non valet, ergo idem formalitèr, & hoc similitèr in Eucharistia. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 153.
Creatio explicanda est ex Doctrina Peripatetica, & Arist. fundamento vt facit Caiet. alitèr si quis ex Thomistis vult sequi explicationem Scoti suum ingenium in liquida veritate offuscabit. Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 231. & quomodo non admisceatur operibus naturæ, sed præsupponatur eidem vide num. 233.
Compositio est multiplex, qua denominatur ipsum compositum; & secundum quam compositum dicitur causatum. Caiet. in p. Phys. q. 22. num. 270. & de ratione causati est, quod aliquo modo sit compositum num. 270.
Causatum omne propriè, & non largè est verè compositum; & componens, & compositum non potest esse per se primo agens. Caiet. ibidem. num. 273.
Causalitas formalis est veluti operatio per modum actus secundi ipsius causæ formalis, & nihil suprà causam formalem addit, nisi ipsam formam esse actum subiecti, idest est subiectum, & formam in esse tali indiuisa, vel simplicitèr, vel secundum quid; & est ipsa vnio fundamentalis. Caiet. in p. Phys. q. 23. num. 2764. (& num. 279. & diffusè in num. 280. 81. & 83.) & in 2. Phys. q. 12. num 107.
Corpus triplex, Mathematicum, Physicum, & Metaphysicum; & cur D. Th. non potuerit nisi duplex Membrum. Caiet. in q. 25. lib. p. Phys. num. 292.
Caietanus Auctor huius Physicæ suæ, quo modo de se, & de sua dignitate Cardinalitia, ad quam fuit assumptus à Leone X. dum opus de Gratia Christi prosequeretur in 3. p. art. 11. piè loquatur. In p. Phys. q. 26. num. 305.
Cœlum secundùm Arist. an sit animatum, vel non; quid sentiendum circà expositionem ipsius factam à D. Th. Caiet. in 2. Phys. q. 1. num. 5.
Causa ex hoc quod diffinitur Physicè, scilicet, quod est principium influens esse in aliud sola causa efficiens habet rationem causæ, quàm aliæ tres participant; prout etiàm differt ab hoc, quod dico principium Caiet. in 2. Phys. q. 3. num. 20. & 21.
Causæ nomine quid intelligatur; cum tria possint intelligi in hoc nomine causę, scilicet, res ipsa, quæ est causa, causalitas, & relatio causæ ad causatum. ibidem. num 22. & 25.
Causa Physica vt media non potest habere suum complementum physicum sinè de-
pen-

F. pendentia; non à priori tantùm, sed à prima. ibidem. num. 23.

Causæ sunt sibi inuicem causæ, quando contingat, & in quo sensu intelligatur, & quomodo malum habet tantùm causam efficientem non per se, sed per accidens. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 30.

Causa efficiens quid sit, quot modis sumatur pro vt spectat ad Physicum; & in quo eius causalitas consistat. Explicat Caiet. in 2. Phys. q. 6. num 45. vsque ad num. 49. & in quo differant causalitas causæ primæ, & secundæ q. 7. à num. 50. vsque ad 61. & creare in quo consistat. num. 53. & 54. & 55.

Causa Instrumentalis in quo differt à principali; & quomodo Instrumentum habeat duas actiones. Caiet. in 2. Phys. q. 10. num. 82.

Causæ totales duæ respectu vnius effectus, quem non possunt producere. benè tamèn duæ Instrumentales, in quo sensu sunt accipiendæ. Caiet. in 2. Phys. q. 11. à num 98. vsque ad num. 106.

Causa Finalis, quomodo sit vera causa realis Physica, & habeat suam propriam existentiam, scilicet, intentionalem requisitam sibi ad realitèr, & verè causandum. Caiet. in 2. Phys. q. 14. à num. 128. vsq. ad num. 136.

Corpora Inferiora sunt veluti materia, & veluti patiens, præsupposita toti actioni Cœlesti; vndè impedimentum causans contingentiam est duplex, alterum actiuum, alterum materiale; & rursus materiale quomodo contingat dupliciter explicat Caiet. in 2. Phys. q. 19. num. 194. & 195.

Concursus non semper est ex concursu, vt ex causa necessaria. v. g. Concursus sydērum quamuis in se sit per se, & necessarius, applicatus tamen ad hos effectus est contingens Caiet. ibidem num. 198.

D

DOctrinæ Caiet. dispersæ in Comment. operibusque suis, cur non omnes colligantur in vnum in explicatione tituli in primo loco quæstionum Physicalium. Vide quæstionem primam proœmialem num. 21.

Demonstratio pro vt dicit particularem cognitionem scientificam, non omnis, sed aliqua probat suum subiectum esse; & quomodo sit aliud demonstrare subiectum esse ex proprijs; & aliud sit aliquali declaratione patefacere, vel à simili. Hoc secundum potest concedi in scientia, pro vt dicit habitum scientificum. Caiet. in q. 3. proœm. à num. 60. vsque ad 64.

Deitas, & non ratio entis est primum intelligibile, si entis ratio comparetur, & ad rationes, & ad res. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 41.

Deus est primum intelligibile simplicitèr, si est sermo de ordine intelligibilium nostrorum secundum se. Ibidem num. 41.

Deus cur per se primo non cognoscatur à nobis, cùm sit Imago impressa in nobis, & lux vera, in qua omnia cognoscimus. Caiet. in q. 3. p. Phys. num. 61.

Differentia inter formam substantialem, & accidentalem, quod ad ly dare esse ponitur ab Arist. Et D. Th. penes dare esse simplicitèr, & secundum quid in actu exercito. Subtilitèr Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 149.

Dimensionum nomine in materia prima quid intelligatur; & an præcedat introductionem formæ substantialis in eadem materia disposita Caiet. in q. 13. primi Phys. num. 156. in titulo, & ibi.

Dimensiones, seù corpus fieri, potest intelligi dupliciter vno modo terminatiuè alio modo concomitatiuè, ibidem Caiet. num. 156.

Dei esse, differt ab esse aliórum citrà Deum, quod esse Dei, est quodquid est ipsius Dei, & Deus est, in primo modo dicendi est: esse autèm cæterorum non, & ideò non spectat ad quæstionem quid est, vt esse Dei spectat. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 169.

Differentia dicitur conducere ad esse, quià constituit proprium receptiuum ipsius esse actualis existentiæ. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 176.

Distinctio realis esse ab essentia, quomodo possit optimè inferri ex distinctione absolutè intèr genus, & esse in quo distinguitur species. Caiet. ibidem num. 176.

Differentia intèr mortuum, & inter cæcum, & inter impium, quantum ad hoc, scilicet, in habere potentiam ad vitam, ad visum, & ad gratiam. Subtilitèr Caiet. in q. 16. primi Phys. num. 214.

Diuisio vt sic licet non sit corruptiua, diuisio tamèn talis, scilicet, minimi naturalis est vniuersalitèr corruptiua, & in tali casu annihilatiua. Caiet. contrà Scotum in p. Phys. q. 25. num. 298.

Deus operatur in quolibet operante secundum hæc tria genera, scilicet, finem, agentem, & formam; & causare operationem vt forma, & vt agens distinguuntur in creatis sicuti agens vt quo, & vt quod; ȧn verò omnis operatio sequens formam, sequatur eam, effectiuè, finalitèr, vel materialitèr, & nulla sequatur eam formalitèr, Caiet. subtilitèr in 2. Phys. q. 4. num. 29. & num. 34.

Deus non solum facit bonitatem aliorum, sed exemplatur illas ex sua; quod non dicitur, quando significatur, quod Deus facit Bouem, & Leonem, ibidem num. 31.

Denominatio extrinseca, quæ reducitur ad causam efficientem, quo modo sit duplex, scilicet, quædam pura, & quædam causalis. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 31.

Deus habet pro causalitate sua propria ipsum creare, ad differentiam agentis creati, cui nec vt instrumento potest hæc causalitas communicari; trasmutare enim materiam competit propriè causalitati efficientis: & nihilominus stante hac differentia dicitur, quod agunt sibi simile, Subtilitèr Caiet. in 2. Phys. q. 7. à num. 51. vsque ad 61. diffusè ibi.

Differentia intèr causam æquiuocam, & vniuocam, quoad fieri, & conseruare effectum. Subtilitèr explicatur à Caiet. in 2. Phys. q. 8. num. 62. & num. 64. quo ad eorum causalitates, & num. 67.

Deus est causa per se primo entis in quantum ens; non tamèn ex illa maxima sequitur, scilicet, causa per se alicuius causat illud in quocumque reperitur secundum eamdem rationem, ergo Deus causat ens in se ipso, quomodò contingat hoc. Subtilitèr Caiet. in 2. Phys. q. 8. num. 66.

Deus per Humanitatem Christi, vt instrumentum coniunctum, & per Sacramenta, vt instrumentum separatum causat in homine gratiam gratum facientem. Caiet. in 2. Phys. q. 10. num. 97.

Dependentia effectus per se ab vna causa facit quod non possit idem effectus numero esse à duplici causa totali, cur hoc? Caiet. in 2. Phys. q. 11. num. 101.

Distinctio omnis aut est secundum formam, aut secundum quantitatem. Declaratur ista propositio contrà Scotum à Caiet. in q. 12. 2. Phys. num. 109.

Delectabilis ratio non excludit esse in intentione, vt conditio, vt patet in animalibus; sicuti etiàm ratio desiderabilis, & ratio finalizandi non excludit quandoque esse in rerum natura præsentialitèr, & esse in intentione vt conditio. Quomodo hoc verificetur. Caiet. in 2. Phys. q. 14. num. 132. & 136.

Diuina Prouidentia non admittit casum in ordine ad se; sed admittitur à nobis in

ordine ad causas particulares, extrà quorum ordinem fiunt, & dicuntur casualia. Caiet. in 2. Phys. q. 17. num. 181. & 182.

E

ENs dupliciter, & pro omni eo, quod quocumque modo habet esse; & pro eo quod propriè esse dicitur. Caiet. in q. 2. proœmiali num. 27.

Ens mobile, quod ponitur subiectum adæquatum Philosophiæ debet habere in se propria principia transmutabilitatis vniuersalis, scilicet, materia, forma, & priuatio in communi, & quod adæquentur ipsi enti mobili, & quod non transcendant ipsum. Caiet. in q. 2. proœmiali num. 35.

Ens mobile conuenientius significat rationem formalem subiecti Philosophiæ, quàm corpus, & substantia mobilis, seù naturalis. Caiet. in q. 2. proœm. num. 40.

Ens mobile subiectum Philosophiæ, commune esse secundum vnam rationem formalem non simpliciter, sed analogicè omnibus entibus mobilibus, scilicet, substantiali, quanto, quali, &c. non est contrà Doctrinam D. Th. nec dicit ens tertium conceptum abstrahibilem à substantia, & accidente. Caiet. in q. 2. proœm. num. 41. & 42.

Ens mobile non dicit aggregatum ex duabus rationibus formalibus sed vnam tantum circumlocutam per ly mobile, esto mobilitas sit passio. Et cognitio ista quam habemus de isto circumlocuto est maior omni cognitione naturali. Caiet. in q. 2. proœm. num. 45. & 46.

Entis cognitio, quæ supponitur in Philosophia, vt mobilis, etiàm circumloquendo, est ex sensibus euidens. Caiet. in q. proœm. 2. num. 48.

Ens primo cognitum ab intellectu nostro non habet esse reale nisi in singularibus, & sic quidquid est in re non est singularitas, sed habet esse singularizatum: verissima propositio apud Peripateticos. Caiet. in q. 1. p. Phys. num. 18.

Ens sub triplici conditione potest terminare actum intellectus nostri, & sub qua conditione terminet, vt cognoscit primo cognitum, quod est ens in confuso. Caiet. in secunda quæst. primi Phys. num. 26.

Ens potest cognosci cognitione actuali confusa, & vt primo cognitum hac cognitione, est concretum quidditati sensibili. Caiet. ibidem. num. 33. & 34.

Entis ratio si comparetur ad alias rationes formales sui ordinis, quomodo sit primum intelligibile secundum se intèr intelligibilia à nobis. Et Deus est primum intelligibile simpliciter. Caiet. ibidem num. 42.

Essentia in substantijs compositis significat compositum ex materia, & forma, vndè materia de se sola non est essentia. Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 68.

Esse est communissimum per modum actus, quià ad omnia comparatur vt receptum ad receptiua, & ideò perfectissimum. Caiet. ibidem num. 72.

Esse est proprium formæ dupliciter vel vt quo, scilicet, vt ratio essendi; & hoc est communi omni formæ; alicui autèm est proprium, & vt quod, & vt quo. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 88. & in q. 15. num. 186. diffusè. & 187. esse in subiecto, & esse in materia formaliter loquendo, quomodo differant, subtiliter Caiet. ibidem num. 90.

Essentia substantiæ simplicis, & essentia substantiæ compositæ in tribus differunt. Subtiliter Caiet. in q. 8. p. Phys. num. 101.

Ens per se, & vnum, quomodo sit, & quando consurgit. Vnitas, & pluralitas ipsius esse est illa, quæ regulat ens per se, & ens secundum quid; & quià esse

per se primo conuenit formæ. Caiet. in q. 8. p. Phys. num. 102.

Ens quando contingat fieri per se, & quando contingat fieri per accidens. Subtilitèr Caiet. in q. 8. p. Phys. num. 103.

Ens fieri simplicitèr, differt ad hoc quod dicitur, quod ens fit secundum quod ens. Et hæc propositio, ens in actu fit ex ente in potentia per se, differt ab hac. Ens in actu fit per se. Alium sensum facit, & hæc, & illa. ibidem Caiet. num. 104.

Esse ens in actu contingit dupliciter vno modo propriè, alio modo communitèr. Caiet in q. 9. num. 106.

Esse in actu est priùs, quàm esse tale; & ideò nulla res potest suscipere esse tale nisi priùs natura verificetur absolutè de ipsa, quod habet esse: Domus non potest imaginari colorata, nisi imaginemur priùs esse. Caiet. q. 13. p. Phys. num. 164.

Existentia in omnibus creatis distinguitur realitèr à propria eorum quidditate. Caiet. in q. 14. num. 172. & q. 22. num. 270.

Esse quod sit indifferens ad esse, & non esse; & essentia quod sit indifferens ad essentiam, & non essentiam, non admittitur à Thomistis, quià falsum: nec ex hac indifferentia somniarunt distinctionem realem intèr esse, & essentiam. num. 177.

Existentia substantiæ non est materia, nec forma, nec compositum sed actualitas omnium eorum, & est reductiuè in genere substantiæ; & per hoc res reponitur in genere substantiæ, quià est capax esse substantialis; & existentia accidentis, est etiàm accidens. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 183. ad octauum.

Emanatio non facit genus distinctum causæ, sed est sequela Physica spectans ad genus causæ efficientis. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 31.

Esse est proprius effectus Dei, vniuersalissimus; vndè nec intelligentia, nec anima potest præstare hunc effectum. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 55. imò esse datur ab omni causa virtute primæ causæ. Caiet. ibidem. num. 59.

Esse est ratio quod appetatur res, quod idem est quod finalizare, sed nunquàm traheret appetitum ad se, nisi esset in intentione. Intentio, ergo seù esse in intentione in via D. Th. est aliquando conditio. Ità Caiet. in tota quæst. 15.

Ens per se quomodo habeat causam; Ens verò per accidens non habeat, cùm Ens per accidens non sit verè Ens. Caiet. in 2. Phys q. 19. num. 193.

Effectus omnis naturæ inferioris, esto dependeat cum omni eius conditione naturali à Cœlo ratione priori motus, non omnis tamèn conditio effectus naturalis, est reducibilis in aliquam causam cœlestem puram, siuè mediatè, siuè immediatè. Caiet. ibidem probat hoc in num. 197.

Elementa cum spectent ad substantialem integritatem vniuersi, præsupponuntur actioni cœlesti. Ostendit hoc inductiuè Caiet. ibidem num. 197. in fine.

Elementorum formæ quomodo remaneant in misto; & quomodò reperiantur in materia disposita ad recipiendam formam, dùm fit generatio, & agens alterando alterat, & disponit materiam. Vide Caiet. lib. p. Phys. q. 12. Adnotatione secunda num. 146. & 150. Conclusione secunda, & 151. in Resp. ad primum.

F

FOrma vnius speciei non multiplicatur numero nisi secundum materiam, seù receptiuum: hæc maxima est communis animi conceptio quo ad sapientes. Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 71.

Forma in materia existens, non fit hæc per materiam intrinsecè seù formalitèr, sed causalitèr. Caiet. ibidem. num. 71.

Forma quantum est de se potest esse in pluribus: Materia autem est primum subiectum: omnis enim vniuersalitas est à forma, & vniuersalia sunt scibilia. Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 73.

Forma dupliciter, & absolutè in hoc quod est forma; & secundum quid, in eo quod talis; sicuti etiàm duplex est finitas formæ. Caiet. in q. 6. Phys. num. 85.

Formæ omni est commune, quod esse sit sibi proprium, & hoc dupliciter, vel vt quo, vel vt quo, & vt quod simul. Caiet. ibidem num. 86.

Formam excedere facultatem materiæ quo ad esse, quo ad posse, quo ad operari, & quo ad fieri, quid sit. Caiet. in q. 6. p. Phys. num. 88.

Formam immediatè vniri materiæ dupliciter vno modo quo ad vnionem; alio modo quo ad gradualem perfectionem. ibidem Caiet. num. 89.

Formam substantialem impossibile est, esse sine materia est falsa propositio; non autèm falsa hæc. Accidens non potest esse sine subiecto. Caiet. ibidem num. 90. in fine.

Formæ substantiales, & formæ accidentales conueniunt in tribus; & differunt in quinque. Caiet. ibidem num. 91. & 92. (& in q. 12. num. 148.) & q. 19.

Fæmina, & Masculus, quomodo non differant specie in genere animalis, benè tamèn in genere sexus. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 124.

Forma habet ità existere pro suo effectu formali, vt sit inseparabilis ab ipsa.

Forma; & forma, est illa quæ dat esse rei, non solum specificum, sed existentiale. Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 132. & 133.

Forma, & si non sit de essentia materiæ, est tamèn de essentia materiæ existentis; & sic non valet, Deus potest facere materiam sinè forma. Caiet. ibid. num. 140.

Forma alia est indiuisibilis purè, vt intelligentia; & alia est diuisibilis, vt sunt omninò formæ materiales: inter vtramque tamen mediat forma indiuisibilis formalitèr, & diuisibilis virtualitèr vt anima nostra, quæ ex sua virtuali diuisibilitate, ens extensum facit formalitèr. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 145.

Formæ mistorum, quod recipiantur in materia, duplicitèr, vel quo ad vnionem formæ cum materia; vel quo ad transmutationem, & sic mediant elementa non in informatione, sed in transmutatione. ibidem Caiet. num. 146. (& 150.) & 151.

Forma nulla alia substantialis datur in composito pratèr suam propriam, quam materia immediatè recipit. ibidem Caiet. num. 148.

Formæ substantialis proprijssimum, & vsitatissimum est dare esse simplicitèr, & fieri secundum eas composita simplicitèr; & sic impossibile est, quod alia forma substantialis adueniat materiæ, & composito existenti per aliam formam substantialem. Caiet subtilitèr contrà Scotum in q. 12. p. Phys. num. 149.

Forma cadaueris, quomodo possit sustineri, quod sit, & non sit eiusdem rationis in omnibus; & quod sit forma noua ex corruptione compositi generata, & per consequens diuersa numero accidentia sequta. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 154.

Formas diuidi ad diuisionem subiecti quomodo verum sit; & tamèn non sit verum quod diuisio illa præcedat formam, sed tantùm comitetur. Caiet. q. 13. p. Phys. num. 158.

Forma substantialis pro illo instanti, quomodo exigat partes distinctas materiæ, non tamèn illas præ exigat. ibidem num. cit.

Forma, & actus sit in materia disposita, secundum tria verificatur axioma, & falsa est secundum vnum; & quomodo forma, & materia multum distent proportione coniunctionis, & sic opportet esse medium. Caiet. q. 13. p. Phys. num. 159.

Forma quæcumq; substantialis, nedum Anima, non admittit dispositionem, mediam

vllam

vllam intèr se, & materiam suam vt vniantur, siuè sit corporea, siuè accidentaria. Caiet. ibidem num. 162.

Formæ corporum non per se fiunt: modus docetur, quo fiunt, à Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 234.

Formam fieri per transmutationem materiæ, & educi de potentia materiæ est idem, non tamen recipi in materia conuenit cum educi de ipsa. Caiet. in q. 19. p. Phys. num. 241. (& 242.

Formæ rerum corporales in prima sui conditione absq; vlla eductione fuerunt immediatè à Deo. ibidem Caiet. 2. num. 244. & 245. (& formæ accidentales citrà concreationem educuntur de potentia subiecti, in quo recipiuntur; & quæ non sint illa, quæ educuntur de Anima rationali. in q. 20. Caiet. à num. 254. vsquè ad num. 261.

Forma Accidentalis est proximum principium operandi, & essendi, quià esse, & operari eiusdem est quoddam esse accidentale; non sic autèm se habent operari, & esse substantiale; hoc est substantia, illud est Accidens. Caiet. in 2. Phys. q. 9. nu. 79. in fine.

Formæ causalitas in quo consistat; & cur duæ formæ non possint actuare vnam materiam, & vna actuare duas materias. Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 107. & 111.

Formæ effectus primarius, & secundarius in quo consistat, & quod idem subiectum simul perficiatur pluribus formis eiusdem generis, eadem currit impossibilitas, ac de pluribus formis substantialibus. Caiet. ibidem num. 108.

Finis vt moueat Voluntatem, quomodo ratio formalis finalizandi non sit apprehensio Bonitatis, sed Bonitas ipsa apprehensa; & quomodo esse in intentione aliquando sit conditio, & non ratio formalis; subtilitèr Caiet. 2. Phys. q. 14. num. 133. & in tota quæstione 15. magis clarè in via D. Thom. quod sit tenendum resoluit Caiet.

Finis ratio vltima, optima, & perfecta est esse extrà; hæc propositio non est sic. Finis ratio est in statu optimo, vltimo perfecto extrà Animam; diuersos sensus quomodo faciant. Explicat Caiet. in 2. Phys. q. 14. num. 138.

Finis, & medium ad finem alitèr se habent secundum ordinem Intentionis, & alitèr, secundum ordinem executionis. Caiet. in 2. Phys. q. 15. num. 145.

Fortuna, & Casus est Causa per accidens, in his, quæ fiunt secundum electionem eorum, quæ proptèr aliquid sunt. Explicatur hæc diffinitio à Caiet. in 2. Phys. q. 17. num. 171. 172.

Fortuita, & casualia esse omnia, impossibile est, quod respectu primæ Causæ sit aliquid fortuitum, & Casuale, idest quod aliquid contingat prętèr ordinem Diuinæ Gubernationis. Caiet. ibidem num. 176. & 177.

Fatum, quod consistit in dispositione causarum secundarum, si consideretur in ordine ad istas, mobile est; si consideretur secundum quod subest Diuinæ Prouidentiæ immobilitatem sortitur, non necessitate absoluta, sed necessitate suppositionis, seù conditionata. Caiet. in 2. Phys. q. 18. num. 185. (& 189. vbi ponitur, quod Fatum poni potest pro prouidentia Diuina præordinante; & præloquente omnia,) & num. 190. vbi ponitur quod licet Fatum sit in rebus Creatis, non tamèn omnia subduntur Fato 186.

Fatum quomodo negatur à Sanctis Patribus ad errores vitandos, & sic recusant vti hoc nomine. Caiet. in 2. Phys. q. 18. num. 189. in Causis tamèn medijs ponitur Fatum. ibidem Caiet. & quanto aliquid longius abest à Deo, tanto magis subest Fato, quià magis subijcitur Causis secundis. ibidem Caiet. num. 192.

G

GEnus continet species, & differentias non in actu, sed in potentia, & ideò indistinctè, & non ordinatè, & ideò confusius, quàm species, & confusio sequitur continentiam plurium sine ordine. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 38. & 39. & 37.

Generationis subiectum non potest esse in actu, contrà antiquos: alitèr ipsum fieri, non esset nisi alterari; & sequentes formæ aduenientes primæ, quæ facit hoc aliquid in genere substantiæ, essent accidentia. Subtilitèr Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 134. (& in q. 18. num. 228. & 229.

Generationem habere duos terminos formales difformitèr non inconuenit, scilicet, vnum primò, alterum secundariò. Secundarius est ipsum esse; Primus terminus formalis est forma. Creationis verò terminus formalis est primo esse; secundarius verò forma. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 185. (186.

Generationis ordo intèr habitum, & priuationem talis, scilicet, quod priuatio dicatur fieri non nisi mediante habitu, non verificatur de omni priuatione, cùm Tenebra non fiat necessariò luce præsupposita; Ignorantia etiàm similitèr nobiscum nascitur absq; cuiuscumq; Actionis impedimento. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 212.

Generans, vt dicatur effectiuè producere Compositum non requiritur quod faciat omnes eius partes, nec aliquam eius partem: sed sufficit, quod effectiuè causet coniunctionem partium, ex qua coniunctione resultet. Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 228.

Generatio, & seminatio cùm exerceatur per organum corporale, conuenit Animæ intellectiuæ in quantum est actus Corporis, & sic est ab Anima immateriali, sed non in quantùm immaterialis est. Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 238.

Gratia Christi est eiusdem rationis quo ad finitatem, vel infinitatem cùm formis naturalibus, & includitur in illo Sacro Axiomate. Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti, & sic Gratia Christi est simul, & finita, & excludens additionem cur hoc. Caiet. explicat in p. Phys. q. 26. num. 392. (& q. 26. num. 305.

Gratiæ plenitudo in Matre Dei, quomodo piè, & deuotè exaltanda, à Fidelibus ad differentiam plenitudinis Gratiæ Christi. Subtilitèr, & doctè explicat cùm D. Th. Caiet. ibidem num. 303. & quomodo Gratia, & Charitas in Creaturis habeant secundum se terminum in summo. Pulcherrima Doctrina Caiet. in num. 303.

Gratia habitualis licet sit eiusdem speciei specialissimæ, & in Christo, & in Iustis, & in Sanctis: est tamèn diuersarum rationum, quantitatum, & perfectionum non secundum essentiam, sed secundum modum: quià in Christo est virtutis, & quantitatis vniuersalis vt Caput &c. aliorum est perfectionis particularis, modificata, & mensurata secundum subiectum particulare: declaratur inductiuè à Caiet. ibidem num. 304.

Gratia, seù Charitas puræ Creaturæ in via, ex eo non habet terminum, quià non habet determinatam formam; quomodò ab opposito in rebus naturalibus possit inferri, ex eo quià habent determinatam formam, sit in ipsis maximum, & minimum, idest terminum suæ magnitudinis, & paruitatis. Caiet. in p. Phys. q. 26. num. 304.

Gradibus Metaphysicalibus, & Mathematicalibus non conuenit independentia à materia, ità vt recepti in materia non dicantur materiales; sicut conuenit Animæ ratio-

tio-

tionali, quæ ex hoc quod secundum rem habet esse independens à corpore, secundum rem etiam potest vtiq; operari absq; dependentia à Corpore. Caiet. in 2. Phys. q. 1. num. 9. & 8.

Genera Causarum sunt quatuor tantùm. Efficiens, formalis, materialis, & finalis, & in quot membra subdiuidantur. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 28. & 33. Gratia, & Motio Spiritus Sancti, in ratione operis meritorij, non sunt duæ Causæ disparatæ, sed subordinatæ. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 52.

Gratia potest causari, & de facto causatur à Sacramentis tanquàm à Causis propriè Instrumentalibus Physicis, quomodo hoc verificatur contrà Scotum explicatur à Caiet. in 2. Phys. q. 10. num. 89. & 90.

Gratiæ Causatio dupliciter sumi potest, vel quatenùs est mutatio Animæ de non grata, in gratam Deo, & sic attingitùr instrumentaliter à Sacramento; vel quatenus creatio ibi aliquo modo admiscetur, & sic gratia fit immediatè à Deo. Caiet. ibidem num. 97.

H

Habitus scientificus intrà eamdem vnitatem specificam habet duas latitudines diuersarum rationum intensiuam, scilicet, & extensiuam. Ex Caiet. in p. q. proœmiali num. 7.

Habitus scientiæ Physicæ quomodo augeatur per vtrosq; habitus, & circà actus frequentatos in eadem Conclusione, & per actus circà diuersas Conclusiones intrà eamdem lineam scibilis formalis specifici. Ex Caiet. in q. 1. proœmiali in Resp. ad 2. Arg. num. 18.

Homo non est anima tantùm, sed aliquid compositum ex Anima, & Corpore, contrà Platonem, qui posuit, quod Homo esset Anima vtens corpore. Caiet. in q. 10. 1. Phys. num. 117.

Homo in potentia componit cùm homine in actu. Et essentia componit cùm existentia, non sunt idem. Prima est falsa, quià idem non componit cum se ipso; secunda est vera, quià extrema realiter distinguuntur. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 183.

Hominis esse, & esse aliorum Compositorum non eodem modo se habet; in alijs compositis forma mendicat ipsum esse à composito. In composito hominis hoc mendicat totum à forma. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 189.

Humanitas Christi non est sicut pars separata, sed est sicut pars coniuncta personalitati positiuæ Verbi Dei, pro vt sic assumpta secundum esse substantiale. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 190.

Habitus, & priuatio, quomodo habent fieri circà idem ordine quodam immediationis, & mediationis, idest Habitus natus est fieri immediatè; Priuatio autem mediante habitu; & quomodo à priuatione ad habitum non detur regressus. Subtiliter Caiet. in q. 16. num. 208. & 207. & quomodo ex habitu possit fieri mutatio in priuationem, non autem è conuersò, manente eodem susceptibili. num. 208. & 209.

Homo generat sibi simile in quantùm per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis Animæ; & sic generatio hominis opportet quod habeat terminum formalem quo ad in esse, non verò quo ad esse. Subtiliter Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 230.

Habitus, seù virtus an constituant distinctum genus Causæ à genere Causæ efficientis,

tis, vel reducantur ad ipsam. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 35. & 36.

Homo, quod sit verè personalitèr Deus, non potest fieri maius; & hæc vnio personalis non solùm est prior executione, sed causalitate omni possibili; quià prius vtroq; modo simul, est simplicitèr nobilius, & perfectius. Caiet. in 2. Phys. q. 5. num. 40.

Habitus quicumq; non habent ex se ipsis, sed ex ipsa Anima permistionem actus, & potentiæ, idest habere hæc duo, actum essentialitèr, & potentiam essentialitèr, & quo modò in hac permistione actus, & potentiæ sit signum distinctionis realis, & quando, & vbi. Et quomodo libertas Animæ ponatur Causa Vigiliæ, & somni Ipsius habitus. Habitus enim est, quo quis vtitur cùm vult. Caiet. in 2. Phys. q. 9. num. 72.

Habere statum potentiæ, cui potentiæ actiuæ conueniat; & secundum hoc quomodo Calor sit potentia calefactiua, & quando non. Caiet. ibidem num. 77.

Humanitatem hanc simul habere plures personalitates, vel duas, quarum vna sit creata, altera Increata, vtrobiq; est implicatio contradictoriarum, & repugnat. Caiet. in q. 11. 2. Phys. num. 99.

Hostia eadem, quod possit consecrari à pluribus Sacerdotibus, cur non officiet resolutioni de duabus Causis totalibus in ordine ad vnum effectum numero qui non ponitur producibilis. Caiet. in 2. Phys. q. 11. num. 105.

I

Intellectus noster si haberet formas vniuersales, vt Angeli, vnico actu sciendi in totam vnam scibilis speciem se haberet. Ex Caiet. in 1. q. proœmiali num. 16.

Intellectus noster ex hoc quod habet singulas speices secundum singulas naturas, habet habitus inchoantes habitum scientiæ. ibidem loc. cit.

Intellectus in cognitione sua duplicitèr procedit: vno modo secundum ordinem generationis tantum: altero modo modo vltrà hunc, procedit etiàm secundum ordinem causalitatis effectiuæ, vel finalis. Caiet. in q. 1. lib. 1. Phys. num. 30.

Intellectus in p. processu sempèr procedit de imperfecto simplicitèr ad perfectum simplicitèr; in secundo autem de imperfecto non simplicitèr, sed secundum quid ad perfectius secundum quid. Caiet. loc. cit. num. 40.

Intellectus habet duos ordines operationum. Primus est realis, & conuenit ipsi vt quædam res est; secundus est intelligibilis, & conuenit ipsi, vt intellectus est. Caiet. ibidem loc. cit. num. 7.

Intellectus noster non potest directè, & per se primò cognoscere singulare materiale: benè tamèn indirectè: Caiet. ibidem loc. cit. num. 9.

Intellectus, idest tota pars Intellectiua non supponit, sed facit obiectum Intellectus: hoc negat Durandus, quià negat Intellectum Agentem, & species intelligibiles. Caiet. ibidem num. 12.

Intellectus noster primo mouetur vt res est à singulari immateriali non obiectiuè, sed potius actiuè: vt verò intellectus est, mouetur primo à natura vniuersali, quæ obiectiuè perficit ipsum. Caiet. ibidem num. 15.

Intellectus exiens de potentia ad actum vltimatè perfectum, transiturus per multos actus medios, priùs peruenit ad actum imperfectum, quàm perfectum. Propositio Arist. 8. Phys. & 9. Met. Caiet. ibidem num. 19.

Intellectus omnis sumptus secundum propriam naturam sortitus est aliud proprium obiectum. Diuinus, Deitatem, Angelicus, propriam substantiam. Humanus, ens

ens concretum quidditati sensibili. Caiet. in quæstione secunda p. Physicorum num. 42.
Intelligere nostrum, est actu intelligibile, & est præsens Intellectui formalitèr, non tamèn obiectiuè in intellectione directa, & ideò non potest esse primo cognitum. Caiet. in q. 3. p. Phys. num. 59.
Intellectus noster est per se primo perfectibilis obiectiuè à quidditate sensibili, & non à substantia animæ. Caiet. ibidem num. 59.
Informitas materiæ, impossibile est quod præcesserit tempore, vel formationem ipsius, vel distinctionem: præcessit tantùm natura. Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 128.
Intellectus habet hoc proprium, quod solus ipse inclinatur in bonum simplicitèr, & hoc cur non possit dici de Materia, & de quocumq; alio appetitu; quià inclinari in Bonum duplicitèr: in bonum vt sic, & in tale bonum. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 204.
Ignem maximum dari: potest intelligi duplicitèr vno modo de Indiuiduo Ignis per se vnó; alio modo de vno quasi per aggregationem; datur extrinsecè, & minimus Ignis in per se vno Indiuiduo; & non maximus vnus, quasi per aggregationem, nisi extrinsecè; contrà aliquos modernos Thomistas. Caiet. probat in p. Phys. q. 25. num. 299.
Instrumentali Causæ non potest competere ratio Creationis, & instrumenta etiàm attingendo formam intentam à principali Agente, disponunt, idest præuium aliquid faciunt. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 56. & 60.
Instrumentum, quot modis sumatur; & quid sit Causa Instrumentalis Physica, & quo modo Virtus superaddita Instrumento nil aliud sit, quàm motus, quo Instrumentum mouetur à principali Agente, ad effectum principalis Agentis inducendum Caiet. in 2. Phys. q. 10. à num. 81. vsq; ad 89.
In Instrumentis Artium est duplex potentia, altera ad motum localem, altera ad cooperandum Arti exequendo operationem ipsius. Et probatur in instrumentis Artium à Caiet. ibidem num. 86.
In Instrumento exigitur, quod habeat propriam operationem vltrà illam quam participat à principali Agente: tùm in naturalibus, tùm in supernaturalibus; & insupèr quod operatio propria sit præsupposita operationi participatæ: & huiusmodi operatio vocatur à D. Th. præuia operatio, & quod Instrumentum dispositiuè operetur. Caiet. in 2. Phys. q. 10. num. 91. & 96.
Impossibile est duas Causas totales, & immediatas eiusdem rationis simul esse eiusdem effectus: benè tamèn possint duæ Causæ instrumentales, quæ agunt in virtute tertij, vnum, & eumdem effectum producere, idest per vtramq; potest ille effectus ab illo tertio prouenire. Caiet. in 2. Phys. q. 11. num. 101. & 103.
Impossibile est duas causas totales, & immediatas, esse simul, eiusdem effectus, quomodo à D. Th. intelligitur de Impossibili Logico, & aliquando Impossibili Physico tantùm. Caiet. ibidem num. 100.
Intellectum, & sensum pati ab intelligibili, & sensibili contingit duplicitèr, & vt quædam res, & vt Sensus, & vt Intellectus. Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 108.
Intellectus non mouet Voluntatem, eo modo quo Voluntas mouet Intellectum, quià hæc effectiuè, ille vt Finis; hæc vt Causa efficiens, ille vt Causa Finalis; ac per hoc non vt efficiens, sed vt efficiendi ratio. Caiet. in 2. Phys. q. 15. nu. 144. (& 147.
Intellectio prima, quæ est effectus Causæ Intellectiuæ creatæ, dicitur prima duplicitèr. Vno modo simplicitèr prima, quam, scilicet, Puer primo habet; aliq

modo prima in tali ordine, quàm, ſcilicet, in aliquo negotio tractando, aliquis primo habet. Subtilitèr Caiet. declarat quod iſti primi motus Intellectionis reducuntur in aliquid altius mouens, ad huiuſmodi Conſilia, & in 2. Phyſ. q. 17. num. 173. 174. & 178 & 179.

Intellectus poteſt ad quodcumq; per accidens terminari, vt vnum apprehendendo, & per conſequens ſi efficax eſt, poteſt efficere ens per accidens vt vnum, & ſic ea, quæ per accidens hic aguntur in cauſam Intellectualem reducuntur. Caiet. in 2. Phyſ. q. 18. num. 188. in prob. 2. partis &c.

L

Liberum, & naturale in Voluntate ità ſe habent, ſicut diſcurrere, & naturalis notitia in intellectu: non ſunt igitur oppoſiti modi diſtinctiui potentiarum, ſed propriè loquendo ſunt diſtinctiui modorum poſſendi; & liberum quomodo reducatur ad naturale. Caiet. in 2. Phyſ. q. 2. num. 14.

Luminoſa duo, ſi approximentur medio, vt illuminent ipſum, illuminabunt vtiq; non vt plura ſunt, ſed vt attemperant ſe, & modificant ſe ex neceſſitate naturæ: ad eum modum, quo duo portantes lapidem modificant ſe ex libito ad portandum illum, quorum vnus de ſe ſufficeret. Caiet. in 2. Phyſ. q. 11. num. 104.

M

Mobile multis modis ſumitur, propriè, & communitèr; terminatiuè, & ſubiectiuè; & tandem hoc nomen mobile ſumitur vt eſt æquiuocum ad aptitudinem ad illum motum, & fundamentum illius aptitudinis. Caiet. in q. 2. proœmiali num. 28.

Mobilitatem eſſe coniunctam corpori, & mobilitatem cognoſci eſſe coniunctam corpori: ſi vnum ex his deficiat: iàm Corpus naturale, ſeù mobile non poteſt eſſe ſubiectum in Phyſica. Caiet. q. 2. proœm. num. 30.

Materia prima eſt indiſpoſita priuatiuè, & non contrariè ad formas ſpecificas, & formam corporeitatis, & ideò cùm non ſit æquè diſpoſita, opportet quod primo recipiat formam corporeitatis proptèr ordinem formæ generalis, ad ſpeciales. Caiet. in q. 2. p. Phyſ. num. 44.

Maxima Thomiſtica, ſcilicet, omne de quo eſt demonſtratiua ſcientia eſt compoſitum ſecundum ſe ex primis, ideſt ex prioribus ſecundum naturam; aut in cognitione noſtra ex primis quo ad nos. Caiet. in q. 4. p. Phyſ. num. 63.

Materia prima ex hoc quod eſt primum ſubiectum Informationis, eſt prima radix Indiuiduationis poſitiuè, vel negatiuè; & ex hoc, quod eſt primum ſubiectum ſubijcibile, ideſt infimum, ipſa eſt Indiuiduum, non totale, vt eſt indiuiduum completum, ſed partiale. Caiet. ibidem num. 64.

Materiæ nomine, ſeù potentiæ, intelligendum eſt omne id, quod ſe tenet ex parte ipſius. Caiet. ibidem num. 65.

Multiplicationis, prædicatum, quomodo competat materiæ primæ; & quomodo fiat multiplicatio materiæ in humanis corporibus: iuxtà illud, alimentum nutrit, in quantùm eſt potentia Caro. Caiet. ibidem num. 66.

Maxima hæc Thomiſtica principium cognoſcendi eſt actus, & non potentia, declaratur à Caiet. in q. 4. p. Phyſ. num. 68.

Materia dicitur indiuiſibilis per negationem totius generis quantitatis, & Materia non

non extenditur, nisi per quantitatis susceptionem. Caiet. in q. 4. p. Phys. nu. 70.
Multiplicatio Materiæ pro vt est in hoc, vel in illo, non nisi fit per alimentum conuersum in veritatem humani corporis, scilicet, quià verè accipit speciem carnis, & ossis, & huiusmodi partium; Caiet. ibidem num. 70.
Modus essendi in alio per informationem, non est constitutiuus formalitèr, sed causalitèr Indiuidui. Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 73.
Materia secundum se non est quoddam vniuersale, nec quoddam prædicabile, & ideò secundum se non est scibilis, sed in analogia ad formam vniuersalem intelligitur vniuersalis. ibidem Caiet. num. 73.
Maxima hæc. Omnis potentia, est potentia contradictionis, intelligitur de potentia passiua, & receptiua simul, & non de receptiua solum. Caiet. in q. 5. p. Phys. num. 75.
Modus recipiendi Materiæ, est alius, à modo recipiendi ipsius Intellectus: explicatur quomodo sit hoc à Caiet. ibidem num. 76.
Maxima ista. Omne quod propriè est tale, fit tale; & priuatio quomodo ibi concurrat. Caiet. in q. 7. p. Phys. num. 95.
Materiam esse potentiam substantialem ad formam duplicitèr, & ad formam secundum genus, & ad formam talem secundum speciem; primo modo habet annexam priuationem. Caiet. ibidem num. 97.
Materia corruptibilium, & incorruptibilium non est nisi vna analogicè; & Materia Cœli non est simplex substantia corporea. Caiet. in q. 9. p. Phys. num. 110.
Motus circularis est motus Animalis, & non verè naturalis; nec est principium purè passiuum forma Cœli. Caiet. ibidem num. 112.
Materia Solis non est in potentia ad aliam formam; & ideò secundum se non est in potentia ad priuationem suæ formæ. ibidem Caiet. num. 113.
Materia prima corporum cœlestium, & inferiorum, quæ sunt duæ puræ potentiæ habet sua distinctiua intrinseca; & hoc est cuiusq; substantialis commensuratio ad actum sibi adæquatum. Caiet. ibidem num. 114.
Materiæ istæ duæ, vt puræ potentiæ sunt, vna magis distat ab actu puro quàm alia; quomodo hoc contingit. ibidem Caiet. num. 115.
Materia communis, & signata, est pars hominis, & huius hominis inquantum homo. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 118. 122. & 123.
Maxima ista, scilicet, Quæcumq; sunt idem, quidquid habet vnum, habet reliquum potest intelligi duplicitèr. Caiet. ibidem num. 119.
Materia secundum se quomodo sit ignota, non autèm adiuncta, & substrata tali formæ genericæ, siuè specificæ. ibidem Caiet. num. 125.
Materia prima in quo sensu intelligitur excludere omnem prorsus actum formalem, entitatiuum, & Metaphysicalem; & quarè non possit esse sine forma. Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 128. & 132.
Materia recipit formam misti medijs Elementis non in actu, sed virtute contrà Auicennam, & Auerroim. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 150.
Materia existens sub Costa viri non erat in potentia ad quantamcumq; quantitatem. Caiet. in q. 13. p. Phys. num. 159.
Materia prima non potest appetere naturalitèr formas semel amissas. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 210.
Maximum, & Minimum intrinsecum in rebus naturalibus, quid sit, explicatur à Caiet. in p. Phys. q. 25. num. 282. & quod detur probatur à Caiet. num. 291. vsq; ad num. 310.

Maximum, & minimum extrinsecum in rebus naturalibus quid sit explicatur à Caiet. in p. Phys. q. 26. num. 301. & 308.

Materiæ causalitas, in quo differat à causalitate formæ. Et quo modo impossibile sit, quod plures formæ actuent vnam materiam, & quod vna forma actuet, & informet duas Materias. Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 107. & 112.

Malum negatione non solùm Boni, sed entis diffinitur, quoniàm ens vt sic quoddam Bonum est; sed quià Boni est primo, per Bonum est diffinitum: non tamèn quælibet remotio Boni malum dicitur; remotio Boni priuatiuè accepta, non negatiuè, Malum dicitur; & sic Malum est quædam absentia Boni; & non datur summum malum, quod sit principium aliorum malorum. Caiet. in 2. Phys. q. 16. à num. 157. vsq; ad num. 165. vbi dicitur, quod Malum habet solùm causam efficientem non per se, sed per accidens.

Malum non est causa mali, habet tamèn causam deficientem, alitèr in naturalibus, & alitèr in voluntarijs. Caiet. ibidem num. 166. & 167. vbi dicitur quod Malum non agit aliquid per se, nec effectiuè, nec finalitèr, sed formalitèr, vt quædam priuatio est. ibidem loc. cit.

N

Notitia vniuersalioris est prior notitia minus vniuersalis, esto notitia singularium sit quo ad nos prior notitia vniuersalium. Caiet. in q. p. p. Phys. num. 10.

Notitia totius Vniuersalis prænenit cognitionem simplicitèr partis subiectiuæ, absolutè non solum, sed etiàm in quantùm par eius est. Caiet. ibidem num. 16.

Notitia in vniuersali, quo modo sit, & non sit notitia incompleta, loquendo de notitia acquisita per demonstrationem. Caiet. ibidem num. 21.

Notitia in Vniuersali specificatur ab obiecto, & eo modo quo Intellectus fertur in obiectum, & intelligit, dicitur notitia confusa, vel distincta, & sic non potest dici absolutè semper, quod notitia in vniuersali sit confusa. Caiet. ibidem num. 22.

Natura, & singularitas in rebus materialibus distinguuntur realitèr, & distinctio rationis licet actualitèr sit post sensationem, fundamentalitèr tamèn præuenit ipsam, & hoc sufficit. Caiet. ibidem num. 25.

Natura humana pro vt considerata in communi secundum rationem speciei; & considerata pro vt est in hoc indiuiduo, quid habeat ampliùs in sui ratione. Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 66.

Negatio omnium formarum, non potest intelligi, quod constituat vnitatem materiæ absolutè, quià negatio absolutè dicitur de nihilo; sed in subiecto apto nato, quomodo constituat illam. Caiet. in q. 9. p. Phys. num. 114.

Natura Compositionis substantialis si non penetretur à Thomista, nec vtiq; poterit penetrare, quomodo Corpus Christi fuerit idem numero suppositalitèr, & materialitèr; & quo ad esse existentiæ, esto non formalitèr. Subtilitèr Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 153.

Nihil datur, quod opponitur enti prædicamentali, seù essentiæ; & aliud nihil datur quod opponitur existentiæ actuali. Et sic essentia, & existentia non habent idem contradictorium, & ideò realitèr distinguuntur. Caiet. in q. 14 p. Phys. nu. 182.

Naturis, ac formis, Consonus essendi modus est, non vt sint tanquàm quod est, sed vt sint tanquàm, quo est, nec plus eis debetur. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 190.

Natura, quià priùs personatur, quàm quòd existentiam propriam constituat, intimior est persona naturæ, quàm existentia. Et sic ordine quodam, personalitas prius, & deindè existentia à natura constituitur. Caiet. ibidem num. 190.

Natura compositionis substantialis nisi penetretur à Thomistis quomodo fiat ex actu, & potentia pura, nunquàm penetrabunt quomodo fiat vnum per se; & quod ex duobus entibus in actu non fit nisi vnum per accidens. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 191.

Natura generica, quià ex sua forma est talis, & non ex materia (animal enim est animal ex sua forma, & non ex sua materia) passiones quæ sequuntur formam, vocatæ sunt passiones generum, & non illæ, quæ sequuntur ex materia: Passio ratione formæ est sensibilitas, ratione materiæ masculineitas, vel fæmineitas. Caiet. in q. 20. p. Phys. num. 251. & 249.

Naturalia à supernaturalibus, Thomistæ distinguunt frequenti vsu per hoc, quod aliquid sit secundum debitum naturæ ordinem, & aliquid sit suprà illum: contrà Scotum, qui omnis actio Dei ad extrà, supernaturalem vocat. Caiet. in q. 21. p. Phys. num. 263. num. 265.

Naturale, & supernaturale ex parte actus, & non ex parte potentiæ quomodo possit sumi dupliciter Caiet. ibidem num. 264. Contrà Scotum vide num. 266.

Naturalis potentia, quomodo ponatur à Scoto, ad actus supernaturales, non autèm ad acquisitionem illorum, quià, inquit, opportet hanc causari à Deo Glorioso. Imputatur à Caiet. in q. 21. p. Phys. num. 266.

Natura Diuina, & humana Christi, quomodo sint indiuisæ in illa subsistentia Verbi Filij Dei vtrique communi, quamuis intèr se valdè distinguantur Caiet. in p. Phys. q. 23. num. & super hoc vnum esse, fundatur consecutiuè vnio sumpta pro relatione 277. & 278.

Naturæ ratio, sciticet, natura est principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, primo, & per se, non secundum accidens, explicatur à Caiet. in 2. Phys. q. 1. num. 1.

Naturæ nomen explicatur; & quod ratio naturæ competat etiàm animæ intellectiuæ pro vt est corporis forma. Explicatur à Caiet. in 2. Phys. q. 1. num. 2. & 3. & 6. & 7.

Naturæ ratio quomodo competat corporibus cœlestibus, ità quod simplicitèr, & propriè eorum motus dicantur naturales. Caiet. ibidem num. 5. & 7.

Naturale agens, agit quale ipsum est, voluntarium verò quale vult, non quale est; huius differentiæ radix explicatur à Caiet. in q. 2. secundi Phys. num. 12.

Naturalia, Artificialia, & Voluntaria, quomodo differant non solùm quo ad substantiam, sed etiàm quo ad vsum in esse principium, & directiuum suarum operationum. Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 15.

Naturæ ordo cur à D. Th. appropriatur duobus tantùm generibus causæ, & non causæ materiali. Caiet. in 2. Phys. q. 5. num. 39.

Natura terminata propria personalitate non potest assumi, & cur personata aliena possit assumi. Caiet. in 2. Phys. q. 11. num. 99. & alibi.

Necessarium non habere causam, in hoc errauerunt multi, falsum enim est in scientijs demonstratiuis; & errauerunt, quià nescierunt distinguere, quod indigere causa efficiente, contingit dupliciter; ostendit, & declarat Caiet. in 2. Phys. q. 19. num. 200.

Obie

O

Obiectum vt obiectum non dicit causam effectiuam; potest tamen distinguere etiam effectiuè, esto vt in pluribus distinguat formaliter extrinsecè, & finaliter, habitus, & scibilia. Ex Caiet. in prima quæst. proæmiali num. 5.
Obiectum superbiæ, quod est celsitudo, quomodo sit alterius rationis à celsitudine pro vt obiectum aliorum vitiorum. Ex Caiet. in quæst. prima proæmiali num. 9.
Obiectum scientiæ quo modo, & in quo sensu habeat has duas conditiones, scilicet, quod ratione ipsius attingantur omnia; & secunda, quod virtualiter contineat totam scientiam, vt causa sufficiens simpliciter. Ex Caiet. in fine primæ quæstionis proæmialis num. 24.
Opiniones de subiecto Philosophiæ recitantur, & explicantur cum sua propria, & D. Thomæ, quæ ponit ens mobile, in Caietano quæst. 2. proæm. num. 51.
Obiectum scientiæ formale debet habere has duas conditiones præcipuas prima quod ratione ipsius omnia attingantur à scientia; & secunda quod habeat continentiam virtualem omnium veritatum pertinentium ad ipsam non vt prima causa, vt vult Scotus, sed vt tota causa sufficiens includat totum habitum scientiæ, & hoc verificatur in obiecto Philosophiæ, scilicet, ente mobili, non autem in corpore, seu substantia mobili, seu naturali. Caiet. in q. 2. proæm. num. 54.
Opinio Scoti, & S. Thomæ in quo differunt in ordine ad primum cognitum à nostro intellectu cognitione distincta. Caiet. in quæst. 1. primi Phys. num. 81.
Obiectum nullius sensus est species specialissima, patet discurrenti per singulos. Caiet. ibidem num. 24.
Opinio Scoti de primo cognito ab intellectu nostro cognitione actuali confusa impugnata à D. Th. qui tenet, esse ens concretum quidditati sensibili, & non quod sit species specialissima Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 32.
Ordo essentialis non est inter conceptus confusos actuales; & de facto habemus conceptus confusos actuales extremorum, absque intermediorum conceptibus. Contrà Scotum Caietanus in loc. cit. ibidem num. 40.
Ordo essentialis est inter conceptum entis, & quemcumque alium, & ideò primus in ordine cognitorum, quià est forma generalissima ipsius intellectus; non tamen est inter omnes conceptus confusos. Caiet. ibidem num. 50.
Obiectum intellectus nostri in hoc statu in ratione motiui, & terminatiui simul, & intensiuè, & extensiuè est quidditas sensibilis, sistendo in linea cognitionis naturalis. Caiet. q. 3. p. Phys. num. 54. & num. 58.
Opinio Scoti circa primum cognitum à nostro intellectu quo ad quidditatem rei sensibilis remanet impugnata à D. Th. Caiet. ibidem num. 56.
Obiecta præ cognoscuntur actibus, & actus potentijs; vnde secundario cognoscitur ab intellectu nostro ipse actus, & per actum cognoscitur ipse intellectus, cuius perfectio, est ipsum intelligere. Caiet. ibidem num. 58.
Opiniones de his duobus prædicatis, scilicet, de principio indiuiduationis, & de multiplicatione, competentibus materiæ primæ explicantur in Caietano q. 4. p. Phys. num. 67. præcipuè in hoc quod multiplicat formas; & in tali indiuiduo ipsa multiplicetur. Caiet. ibidem explicat, &c. & num. 71.
Opinio Platonis, & Auicembrom ponens vnam omnium corporum materiam impugnatur ab Arist. per motus naturales corporum, ex quorum diuersitate infert non esse nisi vnam analogicè. Caiet. in q. 9. p. Phys. num. 108.
Opinio Scoti, quod materia sit, & existat sine forma, est destructiua Metaphysicorum

rum

rum principiorum, & ideò impugnatur ab antiquis sapientioribus Philosophis, & à S. Th. & Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 131. & 132.
Ordo perfectionis in natura finita est simpliciter prior ordine generationis, & quomodo forma sit prior, & non sit prior ordine generationis ipsa materia, Caiet. ibidem num. 136. & 137.
Opiniones Scoti, Henrici de Gandauo, & Auicennæ ponentes aliam formam, scilicet, corporeitatis in composito substantiali antecedenter ad animam, impugnantur à D. Th. & Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 147.
Opiniones antiquorum, qui ponebant aliquod corpus medium inter corpus, & hominis animam, vt posset vniri, impugnatæ à D. Th. qui omne medium prorsus negat; cùm Caiet. in q. 13. p. Phys. num. 161. & 162.
Opinio S. Thomæ, quod in omni creatura quidditas realitèr distinguatur ab esse existentiæ. Defenditur contrà omnes à Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 171.
Opinio S. Th. contrà Scotum, quod, scilicet, formæ substantialis, & compositi sit vnum, & esse idem. Defenditur à Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 195, 196.
Opinio Scoti de duplici esse in Christo, scilicet, esse creati ipsius humanitatis, & esse increati suppositi Verbi est impugnata à Caiet. ibidem num. 195.
Opinio Scoti ponentis in materia appetitum naturalem ad formas semel amissas impugnatur à Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 209. & 210.
Opinio aliquorum ponentium, quod Angelus plus diligat naturalitèr se ipsum quàm Deum; & opinio Durandi, quod simpliciter non sit verum, ciuem diligere magis bonum commune, quàm particulare proprium. Impugnatur à Caiet. in q. 17. p. Phys. num. 219. & 220.
Opiniones concedentes latitationem formarum; & corporearum procedentium ab Idæis separatis, & ab Angelis, impugnantur à Caiet. in q. 18. p. Phys. num. 233. & in num. 240. Subtilitèr ex Doctrina D. Th. ad Heb. cap. 11. lect. 2. & q. 19. num. 243.
Ordo intèr partes assumptas à Verbo non inuenitur hic, scilicet, quod vna prius natura assumpta sit, quàm alia, sed vtique inuenitùr intèr partes simul, & totum secundum ordinem executionis, quomodo contigat hoc. Ostendit Caiet. in p. Phys. q. 24. num. 286.
Ordo licet includat prius, & posterius, est tamèn effectus proprius principij in actu, & ex hac radice optimè sequitur, quod vbicumque est aliquod principium in actu, ibi est ordo; & in omni causa stat prioritas. Caiet. in 2. Phys. q. 5. num. 43. & quomodo ratione generis ordo includat prius, & posterius, & non ratione proprij differentialis conceptus. ibidem num. 44.
Opiniones variæ circà causam instrumentalem, & quo ad eleuationem ipsius, & quo ad habere præuiam dispositionem, & motionem. Explicantur à Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 87. & num. 89.
Obiectum appetitus non est res, sed res apprehensa, & differentia formalis passionum, non solùm ex distinctione rei, sed ex distinctione rei vt apprehensa constat. Caiet. 2. Phys. q. 15. num. 148 & diffusè num 150. & 151. & 152.
Omne quod est per se habet causam: quod autèm est per accidens non habet causam. Probatur à Caiet. in 2. Phys. q. 19. num. 197.

PHysica scientia dupliciter obiectiuè, & effectiuè ex Caietano in primâ quæstione proœmiali num. primo.
Philosophia, quomodo non sit subalternata scientiæ Metaphysicæ, nec sit pars Metaphysicæ ex sua abstractione peculiari in linea scibili esto habeat pro obiecto ens mobile vt sic. Caiet. in q. 2. proœm. num. 51.
Præmissarum cognitio est imperfectior secundum quid notitia conclusionis: quià præmissæ non solum sunt priores ordine generationis, sed etiàm ordine causalitatis effectiuæ. Caiet. q. 1. p. Phys. num. 20.
Prima principia in fieri sunt tria materia, forma, & priuatio; & duo in facto esse, scilicet, materia, & forma, & cur sint prima, & contraria Caiet. in q. 4. p. Phys. num. 62.
Principia cur Arist. in p. Phys. non posuerit esse partes rei naturalis, sed tantùm dixit esse prima. Caiet. ibidem num. 63.
Potentia materialis est duplex, quædam est receptiua tantùm: quædam non solùm est receptiua, sed etiàm passiua. Et ambæ explicantur à Caiet. in q. 5. p. Phys. num. 75.
Potentia, vt potentia est, non repugnat esse sine actu, falsissima propositio Antonij Trombetæ impugnata à Caiet. ibidem num. 78.
Potentia nulla receptiua tantùm est contradictionis. Caiet. ibidem num. 79.
Potentia receptiua duplex, & inter se diuersæ rationis, scilicet, essentiæ in ordine ad esse; & materiæ in ordine ad formam. Caiet. ibidem num. 80.
Potentia receptiua tantùm in quo sensu est in potentia ad esse, & tamen non sit potentia passiua. Caiet. ibidem. num. 83.
Priuatio multis modis sumitur: sed duobus in primo Phys. accipitur strictius, & propriè. Caiet. in q. 7. primi Phys. num. 94.
Priuatio quomodo concurrat, an per se, vel per accidens ad rei factionem physicam. Caiet. ibidem num. 96. & 97.
Potentia, quæ est ad vnam formam, & non ad aliam non habet sibi annexam priuationem. Caiet. ibidem. 97.
Priuatio vbi est, ibi est idem subiecto cùm materia, & non è contrà. Caiet. ibidem num. 98. Et quo modo suscipiat, & non suscipiat magis, & minus. ibidem num. 99.
Potentia purè receptiua, cur non vocetur ab Arist. potentia: Potentia vt potentia, non est, quandò iàm est sub actu. Caiet. in q. 9. p. Phys. num. 105.
Prioritas secundum naturam, & non tempore in materia in ordine ad formam, quam recipit, non facit quod possit esse sine suo posteriori, scilicet, forma. Et sic non potest saluari propositio Scotica, scilicet, omne prius absolutum in eo, quod prius non dependet à posteriore, est falsa. Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 130.
Partes, quo modo existant in composito vnica existentia indiuisibili realiter distincta ab ipsis. Subtiliter declarat Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 196.
Pars realis essentiæ perfectior est in toto, quàm separata. Et esto anima nostra possit esse per se, quià tamen non potest esse in complemento suæ speciei sinè corpore; in statu coniuncto dicitur esse perfectior. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. diffusè, & clarè 194.
Potentia materiæ ad formam semel amissam esto simpliciter sit supernaturalis, quodammodò tamen secundum esse, est naturalis; eodem modo dicitur de potentia

animæ

animæ ad gratiam habendum. Caiet. in q. 16. num. 204. 205. & 266.
Potentiæ cuilibet passiuæ naturali, correspondere debet sua potentia actiua naturalis. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 206. & in q. 21. num. 266.
Pars quotuplex sit in quolibet composito; & quomodo appetat plus suum totum in omni composito, quàm se ipsam. Caiet. in q. 17. p. Phys. num. 205. & 209. & 210. & 211. à num. 216. vsq. ad num. 222.
Potentia ad actus supernaturales, quod non sit naturalis, sed obedientialis probatur à Caiet. tripliciter in q. 21. p. Phys. num. 266. & quo modo accidentia supernaturalia educantur de ipsa potentia obedientiali subiecti. num. 267.
Principij nomen, Græci extendunt ad hoc nomen causæ: sed Latini quià in nomine causæ important influxum cum nouo esse, vel cum nouo modo essendi, & maiorem abstractionem ponunt in principio, quàm in causa; ideo Latini indifferenter non vtuntur hoc nomine principij, & causæ, vt faciunt Græci. Caiet. in 2. Phys. q. 3. num. 24. vbi ad 27.
Potentia sinè habitu potest producere operationes in tali specie, scilicet, imperfectè; perfecta autèm per habitum, similes in species perfectas potest producere. Probatur inductiuè à Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 37.
Prioritas saluatur necessariò in omni genere causæ; & quattuor causæ sortiuntur suam perfectionem, & in modo essendi, & in modo causandi. Caiet. in 2. Phys. q. 5. num. 42. & 41.
Principium operationis contingit esse tripliciter vel proximum tantùm, vel principale tantùm, vel principale, & proximum simul. Primum conuenit accidenti: Secundum substantiæ creatæ; Tertium Deo. Caiet. in 2. Phys. q. 9. num. 69.
Potentiæ quo modo, & per quos actus distinguantur; & quo modo potentiæ passiuæ sint actus tantùm modalitèr; & potentiæ actiuæ sint actus, sed tales vt sint primo intentæ à natura, vt sint principia operationum. Caiet. ibidem. num. 70. & potentia, & actus sunt in eodem genere num. 71.
Phantasmata duo in eodem subiecto, quod sint eiusdem speciei contingit dupliciter vel in repræsentando; vel in essendo, & repræsentando simul. Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 110.
Principium consiliandi, & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro, quod est Deus. Caiet. in 2. Phys. q. 17. num. 173. 174. & 179.

Q

QVæstiones, cùm sint æquales numero his, quæ verè scimus, distinguendæ sunt penès quæsita formalitèr, non virtualitèr. Caietanus in quæst. 3. p. Phys. num. 51.
Quidditas substantiæ materialis differt à quidditate separata, ex hoc quod ista est essentialitèr simplex, illa verò est essentialitèr composita. Et sic materia est pars quidditatis rei naturalis. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 120.
Quantitas continua determinat sibi genus figuræ: nullam tamen sibi figuram determinat. Sic materia prima necessariò sibi determinat formam, sed non hanc vel illam determinatè, sed vagè. Caiet. in q. 11. p. Phys. num. 142. 143.
Quantitas esto sit communis omnibus indiuiduis, quià tamèn vniformitèr non conuenit eis (nunquam enim duo quanta omnino similia inueniuntur) & ipsa, secundum quam indiuidua inter se differunt dupliciter. Caiet. in q. 20. p. Phys. num. 260.

Quantitas determinata, & accidentia determinata sequuntur ad determinatam formam, an in maius, vel in minus, & quot sensibus possit intelligi ista propositio. Explicatur à Caiet. in p. Phys. q. 25. num. 294. Et quod quecumque aqua data possit minor per se existere, quod est idem dicere, quod forma eius non determinet sibi certam quantitatem in minus, est opinio Scoti impugnata à Caiet. ibidem. num. 295. & in Resp. ad Argum. 297.

Quanto non magis est essentiale posse diuidi in partes, quamquod vtrumque eorum, in quæ diuiditur possit esse hoc aliquid, est propositio assumpta ex 5. Met. à Scoto; & explicatur in sensu vero à Caiet. quantùm ad illas duas conditiones, scilicet, diuidi in partes, & istas posse esse hoc aliquid in q. 25. num. 298.

Quantitas potest sumi dupliciter vno modo secundum id quod est in ea de actu, & sic sequitur formam, & quando quærit S. Th. de infinito in actu, assumit propositionem, quod, scilicet, ad determinatam formam sequitur determinata quantitas; Alio modo secundum id quod est in ea de potentia, & sic sequitur materiam. Et sic in diffinitione quanti ponitur id quod spectat ad materiam; & ideò absolutè ponitur quantitas vnum de accidentibus, quod consequitur compositum ratione materiæ. Caiet. ibidem num. 300.

Quantitati Mathematicæ cur possit fieri additio, non autem quantitati Physicæ, cum maximè dicatur, quod omni finito potest fieri additio, cum finitum, & infinitum sit primo spectans ad quantitatem. Caiet. in p. Phys. q. 26. num. 302.

Quantitatis immediatum principium est substantia, loquendo de principio receptiuo, non verò de essentialitèr ordinato ad illam. Caiet. in secundi Phys. q. 9. num. 76.

R

Ratio formalis nedum sub qua, sed etiàm ratio formalis quæ, distinguit in linea scibilis ipsas scientias ex Caiet. in quæstione prima proœmiali num. 22. & 23.

Ratio D. Th. qua probatur primum cognitum esse vniuersalius, est valdè efficax si acuto subijciatur ingenio. Caiet. in quæst. prima primi Phys. num. 17.

Regula Topica. Sicut simplicitèr ad simplicitèr, &c. Tenet quando prædicatum conuenit subiecto secundum quod ipsum. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 48.

Res naturales, quomodo ex D. Th. verius esse habent simplicitèr in mente Diuina, quàm in se ipsis; & hoc esse, quomodo verius habent in propria natura, quàm in Mente Diuina. Caiet. in q. 4. p. Phyis. num. 65.

Receptio est triplex, scilicet, purè materialis; purè formalis; & media partim materialis, & partim formalis. Caiet. q. 5. p. Phys. num. 76.

Recepti, & receptiui natura, & in ordine ad formam, & in ordine ad materiam. Explicatur ibidem à Caiet. num. 77.

Receptiuum non omne potest dici materia simplicitèr. Caiet. in q. 5. p. Phys. num. 80.

Recipere formam per modum formæ, idest salua eius communitate, est recipere vniuersalitèr Caiet. ibidem num. 81.

Receptio intentionalis habet magnam latitudinem: diuiditur in vniuersalem, & in particularem. Caiet. ibidem num. 82.

Reductio in ordine actuum, qui est ordo causæ efficientis, fit ad vnum numero, à quo omnes alij actus sunt; reductio in ordine potentiarum qui est ordo causæ ma-

ma-

materialis, sit ad vnam analogia potentiam. Caiet. q. 9. p. Phys. num. 107.
Realitas est duplex, essentiæ, & existentiæ; & esto res vlla non componat cum sua realitate: componit tamen cum realitate existentiæ. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 180. Sicuti etiàm homo verus non componit cum sua veritate. num. 181.
Res per Generationem non exit de non esse omninò, ad esse, sed de priuatione ad formam, & sic principia Generationis ponuntur forma, & priuatio; at res per creationem transfertur de non esse omninò ad esse, quo fit, vt esse, quod est primo ratio essendi, sit terminus primus formalis creationis; forma autem, quæ est secundariò ratio essendi, sit prima ratio generationis; idest sit primus eius terminus formalis. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 186.
Res illa, quæ erit potentia tantum, si ponit aliam naturam, & non sit pura potentia excludens actualitatem, iàm componitur res non ex actu, & potentia tantum, sed ex actu, & actu, & sic non sit ens per se, sed per accidens; nec opportet aliam quærere causam. Caiet. subtilitèr in q. 15. p. Phys. num. 191.
Res quod sit perfecta simpliciter vltima perfectione, ex tribus perfectionibus, quas habet: ostenditur à Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 193.
Resurrectio, seù reunio animæ ad corpus, quomodo sit naturalis secundum finem, & non secundum principium actiuum, nec passiuum. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. 206.
Reuelatio de Gratia, Beatitudine pollicita, & de Resurrectione, quomodo sequatur, quod pro statu isto sit scibilis, & ideò necessaria secundum quid, & non simplicitèr, ex hoc quod Scotus ponit ad illa potentiam receptiuam non frustrà, cùm Thomistis obedientialem, cum Scoto naturalem. Caiet. in q. 21. p. Phys. num. 266. & 268.
Res vna, & eadem potest esse, & causa formalis, efficiens, materialis, & finalis; vndè non est necessaria distinctio realis inter ipsas, sed tantùm formalis. Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 32. & 33.
Relatiuum esse in quo sensu careat actiuo per se; & ex alia parte experiamur, quod habeat causam actiuam per se. Subtilitèr Caiet. in 2. Phys. q. 4. num. 35. & 36. & quomodò verificetur, quod ad Relationem non est motus, ibidem num. 37.
Rerum productio; & conseruatio non sunt, duæ actiones, vt volunt Henricus Greg. & Aureolus, contrà quos stat Caiet. in 2. Phys. q. 8. num. 63.
Rerum ordo generationis duplex, vnus in causando, alter in essendo; & ordo rerum in essendo potest considerari dupliciter, & absolutè, & in tali genere. Caiet. in 2. Phys. q. 14. num. 130. & num. 140.
Ratio causandi, & conditio causandi est consideranda in omni genere causæ præcipuè in causa efficiente, & in causa finali, in qua est præcipuè difficultas an ratio finalizandi sit bonitas secundum se, vel apprehensa, vel sit conditio tantum. Caiet. in q. 14. secundi Phys. num. 131. & in tota quæst. 15.
Res vnaquæque iudicatur, & est secundum proprias, & proximas causas; & sic res dicuntur fortuitæ, & casuales in ordine ad naturam, & intentionem creatam; in ordine verò ad Diuinam Intentionem, non fortuitæ, sed per se intentæ sunt, & dicuntur. Caiet. in 2. Phys. q. 17. num. 183. & 184 q. 18.
Radix quænam sit casus, & fortunæ, seù omnis contingentiæ; in naturalibus, dicitur, quod est posse deficere; & quomodo ex hoc contingentia resoluatur in conditionem corporum inferiorum, differentèr tamèn. Caiet. in. 2. Phys. q. 18. nu. 194.
Rerum genera, quæ fiunt, sunt tria explicatur à Caiet. à quo genere venit contingentia, scilicet, à rebus habentibus naturam possibilis, & ex ea parte qua deficiunt in

minori parte; & quando concursus fit contingens; & quando effectus contingentèr attingatur; hæc omnia explicantur à Caiet. in 2. Physſ. q. 19. num. 196.

Res non omnes habent cauſam neceſſariam; non illæ, ſcilicet, quæ fiunt extrà ſempèr, & frequentèr; & quomodo concurſus ſit complementum contingentiæ, & radix poſſibilitatis. Caiet. ibidem. num. 196.

Ratio contingentiæ in naturalibus poteſt dupliciter aſſignari vno modo ex parte complementi, alio modo ex parte radicis. Oſtendit hoc Caiet. ibidem num. 199.

S

SCientiæ limitantur ſecùndum ſpecies ſcibilium vt ſic, & non ſecùndum ſpecies rerum. Ex Caiet. in prima quæſt. proœmiali. num. 3.

Scientiæ mediæ quomodo ſunt magis naturales, & non magis Mathematicæ; & aliquando magis Math. quàm naturales. Ex Caiet. in quæſtione proœmiali prima num. 8.

Scientia de motu ſimplicitèr, quæ traditur in libris Phyſicorum, quo modo; diſtinguatur ſpecie à ſcientia de motu ad vbi; & à ſcientia de motu ad formam ſimplicitèr. Ex Caiet. in prima quæſtione proœmiali num. 9. exemplo obiecti ſuperbiæ, &c.

Sententia de ente mobili, quòd diuerſificet ſpecie athoma Phyſicam, à ſcientia de motu ad vbi, & de motu ad formam, Doctrinam D. Th. ſubtilem, ſecretam, veram, & peripateticam eſſe dicit. Caietanus in quæſtione prima proœmiali num. 10. & 11.

Scientia de ente mobili ſimplicitèr, quæ traditur in Phyſica diſtinguitur ſpecie, à ſcientia de motu ad vbi, & de motu ad formam, per diuerſimodè habere immaterialitatem ex parte intellectus, & immobilitatem ex parte habitus. Ex Caiet. in prima quæſt. proœm. num. 11. & 13.

Scibilia de Anima rationali, de ſenſitiua, & de vegetatiua in tribus libris de Anima cur non conſtituant diuerſas in ſpecie ſcientias, cùm habeant diuerſam abſtractionem à materia. Ex Caiet. in prima quæſt. proœm. num. 23.

Subiectum adæquatum ſcientiæ, opportet, & quod ſit ſubiectùm primarum paſſionum, ſcilicet, principium eſſendi; & quod ſit principium cognitionis in nobis. Caiet. in quæſt. ſecunda proœm. num. 29.

Subſtantia mobilis, ſeù naturalis non poteſt eſſe ſubiectum Philoſophiæ, quià non ſupponitur, ſed probatur. Caiet. in q. 2. proœm. num. 39.

Subiectum plus petit, vt ſit ſubiectum alicuius ſcientiæ, quàm quod petat ipſa reſolutio paſſionum in ſubiectum. Caietanus in quæſtione ſecunda proœmiali num. 53.

Scientia eadem ſecundum ſpeciem contingit eſſe de genere, & multis ſpeciebus ſecundum ſingulorum propria. Caiet. in quæſt. 2. proœm. num. 54.

Scientia nulla, quando probet ſubiectum eſſe, nec à priori, nec à poſteriori, & quo modo probet ipſum de ſuis partibus ſubiectiuis. Caiet. in quæſt. 3. proœm. num. 55.

Scientia Theologiæ probat Deùm eſſe, quod eſt ſuum ſubiectum non per ſe, ſed per accidens, quià, ſcilicet, non ex proprijs ſimplicitèr, ſed ex extraneis appropriatis tamèn ſeù ex proprijs miniſterialitèr, ſcilicet, notis lumine naturali; quæ abſolutè ſunt extranea. Caiet. in q. 3. proœm. num. 56.

Scientia propriè dicta quare ſupponat ſuum ſubiectum eſſe, & hoc contrà Scotum,

qui

qui non distinxit intèr scientiam, & demonstrationem, quo ad probare suum subiectum esse. Caiet. in q. 3. proæm. num. 57. & 58. Scientia non pro vt dicit demonstrationem in particulari præcisam, non omnis, sed aliqua quærit, & probat, demonstrat suum subiectum. Caiet. in q. 3. proæm. num. 58. & 60.
Scientia, quod non probet suum subiectum esse, non prouenit ex defectu medij, sed ex defectu huius conditionis, quià subiectum esse, non ponitur vt minus notum, sed vt notissimum. Caiet. in q. 3. proæm. num. 63.
Sensus cognoscit prius magis commune, quàm minùs commune non in se ipso, sed in suis Indiuiduis, priùs hoc Corpus, quàm hoc viuum. Caiet. in q. p. p. Phys. num. 2.
Sensus prius diudicat magis commune, quàm minus commune secundum duplicem prioritatem, & localem, & temporalem. Caiet. ibidem cit. num. 11.
Species Intelligibilis, puta Bouis, representat naturam Bouinam vniuersalem, non quasi quod Vniuersalitas sit conditio, representata, sed est vt conditio sequens modum, quo representatur. Caiet. ibidem num. 12.
Sensus, ait D. Th. primo secundum locum, & tempus cognoscit singulare magis commune, sed non dicit, quod ità semper sit. Caiet. ibidem num. 23.
Species specialissima non est obiectum confusissimum simpliciter, & ideò nec primo cognitum ab Intellectu nostro. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 37.
Singularia multa imperfecta fortiùs mouent sensum, quàm vnum perfectius, & actualius vt patet in cogitatiua Pueri. Caiet. ibidem num. 48.
Substantiæ creatæ immateriales, cur non possint esse primo cognitum à nobis. Caiet. in q. 3. p. Phys. num. 57.
Subiectum, quomodo sit Causa proprij Accidentis in triplici genere, scilicet, efficientis, finalis, & materialis. Caiet. in q. 20. p. Phys. num. 258. & 259.
Species plures inueniri eiusdem rationis in eadem Phantasia impossibile est, licet obiecta in esse naturæ sint eiusdem rationis, non tamèn eiusdem rationis in esse sensibili, probatur de duobus Albis à Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 116. 117.
Specierum Vnitas, & non oppositio, prohibet illas esse simul in actu in eodem indiuisibili; & quomodo vnitas specierum generica sumatur ex vnitate potentiæ intellectius; declarat Caiet. in 2. Phys. q. 12. num. 118.

T

Tractatus de Natura Generis falsò ascribitur D. Thomæ: ibi enim dicuntur aliqua, quæ sunt contrà Doctrinam D. Th. Caiet. in q. 2. proæm. num. 51.
Theologia nostra, quomodo probet suum subiectum esse, scilicet Deum esse non per se, sed per accidens. Caiet. in q. 3. proæm. num. 56.
Totum Vniuersale, & totum Integrale potest cognosci in quadam confusione, quin partes distinctè cognoscantur. Caiet. in q. p. p. Phys. num. 10.
Termini Metaphysicales vt sic non ponuntur, à Thomistis primo cognosci, vt abstracti abstractione formali: sed quod primo cognoscitur, Thomistæ dicunt, quod est significatum huius termini, scilicet, ens concretum quidditati sensibili. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 45.
Totalitas duplex essentialis vna secundum rem ex partibus realibus, alia diffinitiua ex partibus secundum rationem; cui, & quibus competat hæc totalitas explicatur à Caiet. in q. 8. p. Phys. num. 100.
Terminus proprius per se primo datur cuilibet Actioni, quamuis non formalis. Com-

positum est terminus proprius generationis; ipsius Creationis est Anima Intellectiua. Et insuper non inconuenit habere eumdem terminum formalem non tamèn eodem modo, sed diuersimodè. Caiet. in q. 12. p. Phys. num. 152.

Transmutari accidentales formas, seù accidentia, non est idem quod Accidentia emanare à subiecto. Caiet. in q. 20. p. Phys. num. 248.

Totum potest sumi multis modis, quando quæritur àn distinguatur realitèr à partibus suis simul sumptis. In Physicis est sermo de Toto essentiali constante ex partibus secundum rem, scilicet, materia, & forma. Caiet. in p. Phys. q. 24. num. 283.

Totum, & partes in hoc quod cum ordine fuerint assumpta à verbo prius, scilicet, natura partes, & posteà Totum: arguit distinctionem realem Totius à partibus simul sumptis in Compositis Physicis Caiet. in p. Phys. q. 24. à num. 285. vsq; ad num. 290.

Totum quod Verbum non assumpserit mediantibus partibus, ex eo quià totum, & partes sint omninò idem re simul sumptæ est opinio Scoti impugnata à Caiet. ibid. & quid sit illud realitèr superadditum partibus, explicat ibidem Caiet. 289.

Terminare non est agere: non obstante hoc tamèn ex diuerso modo terminandi, quem habet propria, vel aliena personalitas, patet cur terminata propria non possit, & cur aliena natura possit assumi. Caiet. in 2. Phys. q. 11. num. 99.

Tempus, & casum vidi in omnibus Eccl. 9. quæ sunt sub Sole intelligitur sic hæc Auctoritas, ex hoc quod Casualia secundum ordinem alicuius superioris Causæ proueniunt, ideò non dicit simplicitèr, quod vidit Casum esse in omnibus, sed dicit, Tempus, & Casum, quià, scilicet, secundum aliquem ordinem Temporis, Casuales defectus inueniuntur in his rebus. Caiet. in 2. Phys. q. 17. num. 180.

V

Vnitas scientiarum quo modo sit desumenda, nedùm ab vnitate obiecti in esse scibilis, scilicet, nedùm à ratione formali sub qua: Sed etiàm ab vnitate obiecti in esse entis, scilicet, à ratione formali, quæ. Ex Caiet. in q. p. proæmiali num. 22.

Vniuersale, quod directè cognoscitur ab Intellectu, & est totum diffinibile. & est totum vniuersale: hæ autèm duæ totalitates, quomodo triplicitèr differant. Caiet. declarat in q. p. p. Phys. num. 5.

Vniuersalius obijcitur Intellectui nostro prius, quàm minus commune; & hoc, ordo naturalis exigit, & ex parte obiecti, & Intellectus; & hoc etiàm contingit naturalitèr in cognitione sensitiua. Caiet. ibidem loc. cit. num. 8.

Virtus generatiua Leonis non potest in perfectiorem effectum, quàm sit Leo: potest tamèn in principio Actionis in perfectiorem illo, quem primo producit. Caiet. in q. 2. p. Phys. num. 43.

Vniuersalia diffiniuntur, licet materiam includant, non tamèn signatam, quià hæc est particularitatis principium. Caiet. in q. 10. p. Phys. num. 126.

Vnum non fit per se ex essentia, & existentia, quià quidditas rei, & existentia eius, non habent se sicuti pura potentia, & actus, nec sunt partes; vt benè resultat vnum per se, ex materia, & forma. Caiet. in q. 14. p. Phys. num. 190.

Vnitas simplicitèr est ab vnitate formæ; & ab eodem res habet esse, à quo habet vnitatem. Istud principium contrà Scotum, trahit aliud principium contrà eumdem, quod, scilicet, in omni composito non nisi inuenitur vnum esse actualis existentiæ,

idest

idest vnica forma substantialis. Caiet. in q. 15. p. Phys. num. 191.
Vnitas entis specifici, & existentialis probatur semper à D. Th. ex vnitate formæ, & Vnica ibi existentia, quià alioquin vnum ens non esset. Caiet. ibidem.
Vnio Animæ separatæ cum corpore, quo modo secundum esse sit naturalis; & secundum suum fieri sit supernaturalis; & quo modo talis imperfectio, scilicet, esse separatam cum non debeat permitti perpetuo, probabilis ratio resurrectionis suffragatur Fidei. Subtilitèr Caiet. in q. 16. p. Phys. 206.
Violentum est duplex, Alterum oppositum tàm termino, quàm viæ naturali, & hæc Violentia non potest perpetuari, quià ponit principium viæ perpetuo impediri. Alterum est oppositum termino, sed non viæ naturali, & hæc Violentia non inconuenit si perpetuetur, quià propriè Violentia non est. Talis violentia est Animæ separatæ. Caiet. in q. 16. p. Phys. num. cit.
Virtutes politicæ ex hoc quod secundum ipsas, Ciues exponunt res, & corpora pro bono communi S. Doct. habet signum euidens, quod vnaquæq; pars amat plus totum, quàm se. Caiet. in q. 17. p. Phys. num. 216. & 221.
Venire in compositionem alicuius, quatuor conditiones requirit; & quænam sint, ostendit Caiet. in p. Phys. q. 22. num. 269.
Vnio potest sumi duplicitèr in Composito substantiali, vno modo pro relatione, alio modo pro fundamento talis Relationis. Caiet. in p. Phys. q. 23. num. 277.
Vnio substantialis non dicit aliquem modum substantialem, qui sit superadditus formæ, & materiæ, sed se ipsis connotando Agens immediatè vniuntur. Caiet. ibidem num. 280. & quid sit explicatur à Caiet. in num. 281. & 283.
Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante Toto: sicut enim assumpsit Corpus propter ordinem, quem habet ad Animam rationalem; ità assumpsit Corpus, & Animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam. Caiet. in p. Phys. q. 24. num. 285. & 286.
Viuentia, & non viuentia habent minimum quod sic, idest habent terminum intrinsecum suæ paruitatis; & in hoc conueniunt Thomistæ cùm D. Th. sed aliqui moderni non conueniunt cùm D. Th. & Caiet. quo ad terminum intrinsecum suæ Magnitudinis. Caiet. in p. Phys. q. 25. num. 296. & 295.
Violentum est illud, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim, idest inclinationem naturalem ad id quod patitur, sed debet resistere positiuè per contrariam Inclinationem: quomodo autem per hoc opponatur Violentum naturali, & libero, explicatur à Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 10.
Voluntas à natura differt, quià natura constituitur in esse per vnicam formam, voluntas autem constituitur in suo esse quod est velle per multas formas, idest per multa obiecta volita. Caiet. in 2. Phys. q. 2. num. 11.
Voluntas habet rationem naturæ duplicitèr, & quomodo processio Spiritus Sancti sit à Voluntate, non in quantùm Voluntas, idest vt libera, sed à Voluntate in quantum est natura duplicitèr. Caiet. ibidem num. 13.
Voluntas distinguitur contrà naturam præcisè, & non contrà naturam intraneam Voluntati, quæ est simul Natura, & Voluntas. Caiet. ibidem num. 14.
Vsus Artis, & Ars diuersimodè se habent; & quomodo Vsus Artis coincidat cùm Directione, & aliquando non coincidat. Caiet. ibidem num. 15.
Virtus Creatiua opportet, quod sit Infinita; & ideò nulli Creaturæ, quæ habet Virtutem finitam est communicabilis. Et quantitas Virtutis Agentis non solum mensuratur secundum rem factam, sed etiàm secundum modum faciendi, quod etiàm Scotus fatetur, & tamèn obstat D. Th. Caiet. in 2. Phys. q. 7. num. 57.

Virtus nulla operatiua cuiuscumq; Creaturæ; imò nec ipsius Animæ rationalis, nec Angeli, est sua substantia: quomodo hoc sit impossibile ipsi substantiæ creatæ, esse suam potentiam. Caiet. in 2. Phys. q. 9. num. 73. 74. 75. vsq; ad num. 80.
Virtus Accidentalis non est sua vis, sed est Virtus substantiæ; & quando Accidentis dicitur Agere in virtute substantiæ, quomodo sit constructio intransitiua, ideò est ipsa Virtus substantiæ. Caiet. ibidem num. 78. & quænam si ista Virtus.
Vis, vel Virtus Instrumenti habet diuersas conditiones alias à motu, & motu virtuoso, quià hæc Virtus Instrumenti distinguitur in motum simplicem, & in motum virtuosum: & declarantur hæc inductiuè in pulsante Cytharam; & in Sacramentis pro vt sunt Causa Gratiæ, à Caiet. in 2. Phys. q. 10. num. 83. & 84. 88.
Vnitas effectus, sequitur vnitatem virtutis à qua causatur: ergo vnus effectus non potest esse à duplici causa totali. Caiet. 2. Phys. q. 11. num. 101. & 102.
Vnitas numeralis effectus non dependet ab Vnitate numerali Causæ: benè tamèn Vnitas numeralis accidentis definienda est per hoc subiectum, quià Vnitas numeralis posterioris inhærentis dependet per se ab vnitate numerali Prioris, hoc est subiecti. Caiet. declarat in hoc 2. Phys. q. 12. num. 115.
Voluntatem non possunt finalizare duo vltimi fines completi, & qua ratione conuincenti ex tribus, quas affert D. Th. conuincat hoc. Caiet. in 2. Phys. q. 13. à nu. 120. vsq. ad num. 126.
Vltimus Finis materialitèr, & formalitèr quid sit; & quomodo vltimus finis, formalitèr solus appetitur, & propter ipsum omnia alia appetuntur; nec contrariè, nec negatiuè, quomodo non possit alitèr appeti. Caiet. ibidem num. 121.
Voluntas in ordine ad actum Intentionis habet pluralitatem, ad differentiam Intellectus qui attingit plura non nisi vt vnum: Voluntas tamèn intendit plura, sed non vt vltimos fines. Caiet. ibidem num. 123.
Vltimus finis secundum D. Th. & Caiet. non potest distingui in practicum simplicitèr qui solus appetatur efficacitèr; & in speculatiuum simplicitèr, qui possit simul appeti cum ipso, inefficacitèr tamèn. Ibidem num. 127.

INDEX ALPHABETICVS

Doctrinarum, Sententiarum, & Responsionum, quæ pro alijs sex Libris de Physico auditu sunt extractæ à Phys. Caietani in suis Commentarijs dispersa.

A

AER absq; motu in se alitèr se habet continuè secundum esse tenebrosum consecutiuè, ex hoc quod alitèr se habet continuè secundum esse propinquum ad Solem per motum Solis. Caiet. in lib. 3. Phys. q. p. num. 11. ad tertiam Instantiam.

Actionis nomine quid importetur in Diuinis, & quomodo pro vt importat originem Motus, & infert ex se in creatis passionem, non sit in Diuinis. Et Actio subtracto Motu non est nisi in Diuinis Relatio. Caiet. in 3. Physicorum q. 2. num. 15.

Actio, & passio conueniunt in substantia motus, & differunt solùm secundum habitudines diuersas; & quomodo Actio creatiua Dei, quæ non importat mutationem nisi secundum modum intelligendi tantùm, differat ab Actione productiua Agentis creati. Caiet. ibidem num. 16.

Actus quidam transeunt in exteriorem materiam vt vrere, & secare: alij sunt, qui non transeunt, sed manent in Agente, vt appetere, & cognoscere, vt Actus morales, &c. Caiet. ibidem num. 17.

Agens assimilando sibi patiens trahit illud ad se; & pars apprehensiua minus trahitur ad Agens, quam pars appetitiua. Caiet. ibidem num. 18.

Actio vt Actio est, inchoatiuè est in Agente, consumatiuè est in termino, seù effectu non secundum eamdem formalitatem, cùm sit diuersum subiectum, sed secundum diuersam; quæ quidem entitates, seù formalitates ordine quodam idem sunt, vel vnum sunt. Caiet. ibidem num. 19. & 20.

Agens nullum operatur aliquid in vanum, & ideò intentio operantis opportet quod sit respectu certi termini. Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 50.

Accidens mutari in aliud Accidens, difficilius est, quam hanc substantiam mutari in aliam substantiam. Explicat Caiet. in lib. 4. Phys. quæstione 3. num. 76.

Accidentiã Corporis Christi sunt in hoc Sacramento secundum realem concomitantiam, non tamèn sequitur, quod ibi sit hoc etiàm Accidens, idest esse in loco localitèr, quià ibi sunt dumtaxat illa Accidentia per realem concomitantiam, quæ insunt Christo absolutè, idest intrinsecè, & non per respectum ad extrinsecum, de quorum numero est esse in loco. Explicat Caiet. loc. cit. num. 77.

Alteratio primo quidem est in qualitatibus tertiæ speciei: in qualitatibus verò primæ speciei potest esse alteratio per posterius, quomodo sit hoc, explicat Caiet. in 5. Phys. q. 2 num. 138.

Agenti, cui conuenit mouere, ratione partis, scilicet, formæ, non est per se primo Agens, nec per accidens, nisi per aliud, scilicet, per partem: imò Agenti materiali si conuenit primitas in genere mouentium materialium, ei conuenit primitas non excludens partem. Caiet. in 7. Lib. Phys. q. 1. num. 179.

 Aqua

Aqua calefacta, àn ex se frigefiat, & possit dici, quod immota moueat se primo, duas responsiones dat Caiet. in p. p. q. 54. art. 3. & citat se in lib. 7. Phys. q. p. num. 185.
Animal quomodo moueat se ipsum, quo ad formam, & quomodo acquirat eam per se ipsum; & quomodo habeat formam sensibilem ab alio, & faciat deinde eam in se. Caiet. 7. Phys. q. p. num. 186.
Agere ex præuolitione finis, & mediante consilio idem sunt; sicuti cognoscere ex principijs, & mediante syllogismo idem sunt, quod indicat Voluntatem, & Intellectum mouere se. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 2. num. 193.
Actus primus voluntatis, qui est à Datore naturæ, licet sit, & vocetur velle, & sit ipsius Voluntatis, & à Voluntate vt eliciente actum, non tamen potest dici Voluntarius, quià est naturalis, & non à voluntate applicante se ad volendum, quià dator naturæ applicat ipsam. Caiet. ibidem num. cit.
Agens opportet coniungi ei, in quod immediatè agit; & potest dici immediatum dupliciter, scilicet, immediatione suppositi, & immediatione virtutis vtraq; immediatio explicatur à Caiet. in 7. Phys. q. 3. num. 200.
Actiuo omni commune est, si agit, proximum esse passo, nec ab hac regula communi exorbitat actiuum in appetitum ipsum tàm sensitiuum, quàm Intellectiuum. Caiet. ibidem num. 204.
Agens, & patiens vt sint simul quando operatur, sufficit quod habeant simultatem secundum præsentiam ordinis, & aliam secundum operationem; in agentibus autem corporis accidit tertia, scilicet, præsentia secundum contactum quantitatiuum; præsentia autèm approximationis, quæ est relatio æquiparantiæ. Caiet. explicat ibidem num. 205. & probat non esse necessariam istam præsentiam approximationis in num. 206.
Agens non potest agere indistans nisi, & simul agat, & in medium, & in subiectum. Caiet. ibidem probat experientijs num. cit.
Agens, & patiens quod sint immediatè simul, non potest vniformis ratio assignari, quià esse simul, seù coniungi ei, & immediatè attingere, non vniformitèr se habent; sufficit quod sit vniuersalitèr vera in omnibus Agentibus tàm spiritualibus, quàm corporalibus. Caiet. probat contrà Scotum ibidem num. 208.
Actionem Dei, secundum id totum, quod in Agente ponitur formalitèr, opportet ab æterno in Deo esse actu; & sic Actio Dei est in actu ab æterno non solum materialitèr, sed formalitèr, scilicet, secundum id quod ponit Actio in quantùm Actio in Agente, non verò formalitèr secundum quod infert ex se passionem, vel effectum, quià sic effectus essent ab æterno, vt Mundus &c. sic enim sequitur, qualem Deus voluit, voluit vt esset in Tempore, & haberet esse post non esse in Tempore, & sic fuit. Ità Caiet. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 232. in Resp. ad 1.
Agentes Causæ, non repugnat, quod ponantur per Accidens Infinitę: benè tamèn repugnat ponere ipsas Infinitas per se, quæ per se requiruntur ad aliquem effectum producendum. Caiet. explicat ibid. num. 233. (& 8. Phys. q. 3. num. 245.
Attributa de primo Motore immobili motu corporeo demonstrātur consecutiuè tantùm ipsi competere per medium Physicum, scilicet, motum; principalitèr autèm & necessariò, & simplicitèr, cur Arist. demonstret competere ipsi per medium Metaphysicum, scilicet, motum Metaphysicum. Explicat Caiet. in 8. Phys. q. 3. num. 246.
Applicatio Causæ secundæ ad operandum facta à primo mouente, scilicet, à Deo, nil aliud significat nisi motionem præuiam primi mouentis imprimentem aliquid Phy-

Physicum. Itâ Caiet. varijs in loc. præcipuè in tota q. 5. 8. Phys. num. 264. & 265. vide de ista applicatione infrà litt. D, P, & V.

B

Bonum naturæ non diminuitur per peccatum ex parte radicis, quià peccatum non diminuit ipsam naturam: benè tamèn diminuitur ex parte termini in Infinitum, quià in Infinitum possunt apponi impedimenta, secundùm quod homo potest addere peccatum peccato. Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 33.

Bonitas, & malitia ex natura appetitus exigitur, vt integretur ratio obiecti passionis appetitus sensitiui. Absentia verò, vel præsentia respondet particularitati potentiæ; Apprehensio autèm respondet animalitati eiusdem Appetitus. Caiet. explicat in lib. 7. Phys. q. 3. num. 204.

C

Corpus naturale nullum potest esse infinitum secundum magnitudinèm; nec vllum Corpus Mathematicum potest esse Infinitum in actu. Caiet. probat. in 3. Phys. q. 4. num. 34. & 35.

Creatum omne sub aliqua certa Intentione Creantis comprehenditur, explicatur à Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 42. & quod non intelligatur nisi de actu existentibus, qui proprij termini Actionis sunt, explicatur in num. 43.

Creatum per accidens potest duplicitèr intelligi, vno modo vt ly per accidens distinguitur contrà per se; alio modo vt distinguitur contrà per se primo. Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 52.

Corpus dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud Corpus, non sic Deus, qui dat esse omnibus locatis. Caiet. in 4. Phys. quæstione 1. num. 54.

Contrarietas non est in quantitate, sed in vbi, & sic sursum, & deorsum non sunt contraria ratione quantitatum, sed ratione vbi, & virtutum Physicarum. Caiet. ibidem num. 60.

Cœlum Empyreum, seù vltima sphæra, quæ est primum mobile, quomodo non sit in loco; & tamèn à D. Th. dicatur, quod Corpori Christi debetur locus altior vltrà omnem Creaturam. Caiet. ibidem num. 61.

Corpora duo, ân possint esse in eodem loco, de qua possibilitate sit sermo, explicat Caiet. in q. 2. 4. Phys. num. 62. & 64.

Corpus, & Angelus, quomodo dicantur esse in loco, non vniuocè ad inuicem, sed æquiuocè; & quomodo præsentia rei existentis in loco ad locum conueniat Corpori circumscriptiuè; rei verò spirituali conueniat diffinitiuè, & quid sit vtraq; præsentia. Explicatur à Caiet. loc. cit. num. 63.

Corpora duo, quod non possint esse in eodem loco, naturalitèr; benè tamèn supernaturalitèr. Cùm D. Th. Caiet. probat efficacitèr loc. cit. nu. 65. & ly supernaturalitèr peculiari ratione in num. 66.

Corpus ad Corpus, non se habet sicuti punctus ad punctum. Quomodo sit verum explicat cùm D. Th. Caiet. loc. cit. num. 67.

Corpora duo, posse esse in eodem loco supernaturalitèr, non est contrà communes Animi conceptiones, explicat cùm D. Th. loc. cit. num. 68.

Corpus si penetretur cùm alio Corpore, & Corpus maius sit locus Corporis minoris, non

non per hoc sequitur, qùod vnum sit in loco communi, & non in loco proprio. Explicat Caiet. cùm D. Th. loc. cit. 4. Phys. num. 69.

Corpus esse in loco multùm differt ab hoc, qùod dicitur de Angelo, de Deo, & de Corpore Christi in ordine ad locum. Explicat Caiet. in 4. Phys. quæstione 3. num. 70.

Corpus Christi non est in Sacramento localitèr, sed per modum substantiæ: quià hæc valdè differunt esse in loco localitèr, & esse in loco, non tamèn localitèr. Explicat diffusè Caiet. cùm D. Th. loc. cit. q. 3. num. 71. & 72.

Corpus vnum, quod possit esse supernaturalitèr in pluribus locis, non fauet Mysterio Fidei, vt putant antiqui Scotistæ, & Suarez, contrà quos explicitè cùm D. Th. stat Caiet. loc. cit. num. 74. & 75.

Corpora in tantùm indigent esse in loco per se, inquantum indigent continere à Corpore Cœlesti. Corpus Christi, & alia Corpora Gloriosa non indigent tali Continentia, & Corpus Christi, quod sit extrà Cœlùm, non obstat Arist. qui dixit extrà Cœlum non esse Corpus, quià loquitur de Corporibus in solis naturalibus constitutis, idest non gloriosis. Caiet. in 4. Phys. q. 4. num. 81.

Caiet. in q. 10. p. p. art. 4. & 5. occasione Dubij soluendi ân si motus Cœli esset æternus, mensuraretur tempore, promittit soluere hanc quæstionem in 4. Phys. vide lib. 4. Phys. q. 8. num. 116.

Contrarietas in motu inuenitur, scilicet, augmenti, & extenditur quoq; ad oppositionem priuatiuam. Caiet. in lib. 5. Phys. q. 1. num. 122.

Canis viui morientis in medio cursu, dùm cadit ex alta Turri, non est idem numero motus secundum Thomistas contrà Scotum; quià est duplex mobile in tali casu, scilicet, Compositum Canis viuentis, & mortui. Caiet. in 5. Phys. q. 4. num. 155.

Contrarietas secundum formam genericam, & secundum formam specificam quænam sit. Caiet. in 5. Phys. q. 5. nu. 159. & quomodo contrarietas motuum inferat contrarietatem in passionibus, qui sunt quidam Motus num. 160.

Contrarietas intèr motum, & motum, & intèr motum, & quietem primo, & per se attenditur penes terminos ad quos; extrinsecè autèm, & per concomitantiam, seù consecutiuè penes terminos à quibus. ibidem Caiet. num. 162.

Contrarietas est maior intèr motum, & motum, quàm intèr motum, & quietem, & duo Motus contrarij non possunt esse simul. ibidem loc. cit.

Contraria in quocumq; gradu sint, contraria sunt, & incompossibilia in eodem, & alterum contrà alterum pugnat: etiàm in gradibus remissis contrà Scotum Caiet. ibidem num. 161.

Contraria in mistis manent remissa, quià hoc facit forma misti continens illa, mutuò tamèn contrà se nituntur, & in remissis, & in summo, proportionalitèr loquendo. Ibidem Caiet. num. cit.

Caiet. in p. p. q. 53. art. 1. spondet se tractaturum quæstionem illam, ân, scilicet, indiuisibile possit moueri, & ân diuisibilitas spatij sit sufficiens ratio continuitatis motus, in lib. 6. Phys. & tamèn Physica ista Caiet. nunquam in lucem apparuit. Vide lib. 6. Phys. q. 1. num. 164.

Continuum non constat ex solis indiuisibilibus, sed si habet ipsa, habet vt terminatiua, & vt continuatiua partium eiusdem Indiuidui continui. Caiet. in lib. 6. Phys. q. p. num. 168.

Corpus mensuratur, & continetur sub loco, vndè opportet, quod sequatur leges loci in suo motu, Caiet. ibidem num. 173.

Caie-

Caietanus in 3. p. q. 32. art. 4. se declarat nolle ibi tractare quæstiones Physicales, scilicet, de inchoatione formarum, & de grauibus, & leuibus nisi in 7. Physicorum, vbi est proprius locus, in lib. 7. Phys. q. p. num. 178.

Corpus agit secundum quod est actu, in aliud secundum quod est in potentia, & corpus cœleste in hæc inferiora actionem elicit, non per qualitatem materialem, sed per altiores proprietates, vt lux, & influxus, &c. Caiet. lib. 7. Phys. q. 1. num. 181.

Corpus nullum est mouens immobile; imò si mouet, ab alio mouetur. Caiet. in 7. Phys. q. 1. probat vtramque partem num. 183.

D

Distinctionis qualitas intèr motum, actionem, & passionem. Caiet. in 3. Phys. q. 2. num. 14. & 15.

Deus ex parte facti, licet in se habeat potentiam, & virtutem infinitam non potest facere effectum infinitum simplicitèr. Caiet. ibidem num. 31. q. 3.

Diminutio in magnitudine, & in Physicis, & in moralibus an sit in infinitum, declaratur à Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 33.

Deus potest in singulis infinitis singularum partium producere vnum Angelum, non autèm in omnibus; & quomodo nec simul, nec successiuè possit producere infinita actu existentia. Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 47.

Deus replet omnem locum non formaliter, vt facit corpus, sed effectiuè non excludendo alia, imò alia facit locare dando eis esse, & operationem, & virtutem locatiuam. Caiet. in 4. Phys. num. 54.

Durationem, esse passionem motus, & si verùm sit quo ad aliquid, non tamen est verum simplicitèr; non est passio propriè loquendo, sed potiùs conditio inseparabilis motus. Caiet. in lib. 4. Phys. q. 5. num. 91.

Delectatio quandò non sit in tempore, nec per se nec per accidens; & quando sit per accidens in tempore. Caiet. explicat ibidem q. 7. num. 106.

Deus quomodo sit primum primo mouens, excludens ista primitas omem partem, scilicet, formam, & extrinseca omnia, imò est tota forma pura actiua per se primo, idest actus purus. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 1. num. 179.

Deus quomodo sit agens intimè in rebus immediatè immediatione suppositi contrà Auicennam, & immediatione virtutis. Explicat Caiet. lib. 7. Phys. quæst. tertia num. 200.

Deus est prior Mundo duratione, sed ly priùs non designat prioritatem temporis sed æternitatis, vel designat æternitatem temporis imaginati, & non realitèr existentis. Caiet. in lib. 8. Phys. q. p. num. 232. in Resp. ad primam Instantiam.

Differentia, quæ est inter medium Physicum, quod est motus Physicus ad demonstrandum primùm Motorem immobilem motu corporeo qui est Deus; & intèr medium Metaphysicum, quod est motus Metaphysicus, ad demonstrandum primum motorem immobilem motu Metaphysico, qui est idem Deus, declaratur à Caiet. in libro 8. Phys. q. 3. num. 243.

Deus, & Anima in hoc quod sint prima mouentia vel principium motus, differunt valdè: Deus enim est quoddam mouens penitus immobile, quod nec mouetur per se, nec per accidens. Anima licet non moueatur per se, mouetur tamèn per accidens. Corpus autèm mouetur per se. Caiet. ibidem num. 249.

Deus, qui est prima causa, seù primum mouens, siuè necessariò, siuè liberè coo-

pere-

peretur, nihilominùs voluntas creata quomodo vtatur liberè illa cooperatione. Caiet. in 8. Physf. q. 4. num. 251.

Dei causalitatem, qui ponunt tantùm mediatam, & negant immediatam in omnibus effectibus, esto saluare se possint à manifesta hæresi, non tamen ab erroris propinquitate, vt pote contraria ista positio ex positioni Sanctorum Patrum, qui glosant auctoritates sacras de cooperatione immediata, & non mediata. Ità Caiet. ibidem num. 253.

Dependentiam motoris secundi à primo in esse, conseruari, & operari non discernunt, qui dicunt, quod ignis combureret stipulam cessante motu Cœli. Caiet. ibidem num. cit.

Deus non ità operatur in omnibus, quasi quod nulla alia virtus secunda operetur aliquid. Caiet. probat hoc in 8. Physf. q. 4. num. 254.

Deus in quolibet operante operatur secundum hæc tria, scilicet, & vt finis, & vt agens, & vt forma. Quo ad singulas partes probatur à Caiet. ibidem. num. 255. & Deus intimè operatur in omnibus. num. 256.

Deus sufficientèr operatur in nobis ad modum primi agentis, nec propterea superfluit operatio nostra. Caiet. explicat ibidem num. 157.

Deus licet concursu effectiuo causet ipsas causalitates materiæ, & formæ, & causet ipsam contingentiam, & vitalitatem, vt quædam res, & modi reales, non tamen concurrit concursu illo limitato, scilicet, potentiali, & informatiuo, & contingenti; explicat Caiet. ibidem num. 258. & 259.

Deus primum mouens est causa secundarum actionum, non solùm vt applicans, & non solùm vt dans formas, quæ sunt principia actionum, sed vt dans, applicans, & conseruans illas. Ità Caiet. cum D. Th. ex p. p. contrà Suarezium, qui dixit vtrumque Thomam retractasse istam præuiam motionem, quæ sub nomine applicationis formæ ad agendum ab ipsis appellatur. Ità Caiet. in 8. Physf. q. 5. num. 261. & hoc idem probat idem num. 265.

E

Esse secundum se perfectionem quamdam dicit: sed quantam dicat non potest intelligi nisi applicetur sapientiæ, aut Gabrieli aut alteri, &c. Si autèm nulli applicetur, imò in se ipso naturalitèr subsistat, nullum essentialem terminum habebit, ad differentiam formæ. Esse, quod non sit prima forma, sed quod sit formalissimum omnium explicat Caiet. in 3. Physf. q. 3. num. 24.

Esse in loco localitèr, & esse in loco, non tamèn localitèr vt patet de Corpore Christi in Sacramento Altaris, valdè differunt; primum per nullam potentiam potet fieri quod vnum sit in pluribus locis: Secundum creditur, & adoratur vt Corpus Christi in pluribus Hostijs. Caiet. diffusè cum D. Th. explicat in quarto Physf. q. 3. num. 71, & 72.

Esse in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens, & ideò non opportet quod Christus sit in hoc Sacramento, sicuti in loco, idest localitèr. Accidentia Corporis Christi sunt in hoc Sacramento, quæ sunt ei intrinseca. Ità Caiet. loc. cit. num. 77.

Esse in Tempore dicuntur secundum se illa, de quorum ratione est successio, vel aliquid ad successionem pertinens, vt motus quies, locutio, &c. Et non per se, sed per accidens dicuntur ea esse in Tempore, de quorum ratione non est aliqua successio, sed tamèn alicui successiuo subiacent. Caiet. lib. 4. Physicorum q. 7. num.

num. 106. Et ideò pars sensitiua hominis subiacet Tempori.
Æuum est totum simul, sicuti æternitas, sed differt ab æternitate, quod compatitur secum prius, & posterius: Pars tamen præterita, & futura quomodo propriè non est in esse Angeli. Caiet. ibidem q. 7. num. 107.
Æternitas, æuum, & tempus in ratione mensuræ, quomodo intèr se differant. Contrà Scotum Caiet. in lib. 4. Phys. q. 8. num. 113.
Esse non solum substantiale nostrum mensuratur tempore, sed etiàm quies, & motus. Caiet. ibidem num. 117.
Entia necessaria sunt multa in hoc vniuerso, contrà Scotum, qui nominat ens necessarium id quod per nullam potentiam potest non esse: sed S. Doctoris positio, quomodo sit rationabilior. Caiet. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 228.
Errores tres confutantur à D.Th. per ly in principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Caiet. ibidem. num. 229.
Æternitas Mundi si negetur de facto, vt de facto est neganda, quod non fuerit, nil efficacius, & demonstratiuè procedi potest, (quantum tamèn ad aliquam sui partem dumtaxat) quàm ex sequela, & positione infiniti in actu. Caiet. ibidem in num. 232.
Effectus, puta Mundus non fuit ab æterno; esto actio Dei in actu formaliter sit ab æterno, sed fuit qualem Deus voluit, vt, scilicet, haberet esse post non esse in Tempore, vt reuelatum est nobis per Fidem. Caiet. ibidem num. cit.
Entia permanentia, & successiua constituunt Mundum, ex quibus coalescit, in sua vniuersalitate; & quod sit ab æterno, vel in tempore incipiens non potest demonstrari; & rationes Arist. & Philosophorum sunt omnes solubiles, quod indicat non esse demonstrationes. Caiet. in lib. 8. Phys. q. 2. num. 235. & 239.
Æternitas Mundi est possibilis quo ad suam substantiam constantem ex quinque corporibus simplicibus, & quo ad motum, probatur à Caiet. ibidem num. 238. & 239.
Æternitate supposita ipsius motus, quæ est possibilis, necesse est, quod omne momentum in motu acceptum, sit principium, & terminus motus vsque in infinitum, quod non oportet si motus incipiat. Caiet. cum D. Th. ibidem in num. 241.
Ens in quantum ens quod non sit à Deo est hæreticum vt potè contrà Fidem, & contrà rationem. Caiet. in lib. 8. Phys. quæst. 4. num. 253.
Entis cuiuscumque creati agentis, non est contrà rationem ipsius, siuè operantis naturalitèr, siuè per intellectum, & voluntatem, siuè per sensitiuum appetitum, quod moueatur per se, & præmoueatur ab extrinseco mouente secundum motionem præuiam alterius generis à genere appetitiuo. Caiet. ex D. Th. in sua summa, & in 8. Phys. q. 5. num. 262.

F

FAcere, & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam, sed mutationem ex consequenti. Caiet. in lib. 3. Physicorum q. 2. num. 16.
Forma sumitur dupliciter absolutè, & pro vt talis puta informatiua materiæ, primo modo non perficitur, sed secundo modo. Caiet. ibidem num. 28. q. 3.
Formæ, cur quædam secundum suas specificas naturas augeantur, & quædam non; & cur quædam formæ suscipiant magis, & minus, vt respiciunt subiectum, & quædam non. Caiet. in 5. Phys. q. 2. num. 130.

Figu-

Figura, quæ est in quarta specie qualitatis non respicit motum, idest non suscipit magis, & minus. Caiet. ibidem num. 135.

Formæ absolutæ habent regulam vniuersalem, quod non suscipiunt magis, & minus: formæ autèm respectiuæ consequuntur naturas primarum: Duplum non suscipit magis, & minus; Simile autèm suscipit magis, & minus, quià qualitas suscipit magis, & minus. Caiet. in 5. Phys. q. 2. num. 139.

Formæ, quæ nullum extraneum specificatiuum respiciunt, nullam quantitatem mutabilem sortiuntur, sed tantum quantitatem perfectionis specificæ; aliæ autem formæ, quæ extraneum specificatiuum respiciunt, illam sortiuntur, scilicet, secundum recessum, vel acessum ad specificans. Caiet. in 5. Phys. q. 3. num. 140.

Finis alitèr finalizat vt præsens, & alitèr vt absens; etiàm alitèr agit; & præsens, & absens non se habent, vt in agentibus physicis, vt conditiones sine quibus actio non fit, sed se habent vt virtutes actiuæ. Caiet. explicat pro vt distinguunt specie passiones, & potentias sensitiuas. in 7. Phys. q. 3. num. 204.

Forma cordis sicut concurrit ad motum cordis medio modo inter purè passiuum, & actiuum, & tamèn non est nisi ab anima ille motus; ità forma Cœli natura talis est, ad quam in coniunctione ad animam, seù intelligentiam natus est sequi motus circularis. Caiet. in 7. Phys. q. 5. num. 215. & 216.

G

GRatia quomodo infundatùr in instanti à Deo, quià Deus non indiget temporè ad disponendum subiectum, & disponendo subiectum, non est quod patiens habeat resistere, vt fit in agente creato, qui non potest habere motum in instanti ex his duabus radicibus. Caiet. subtilitèr in lib. 3. Phys. q. 1. num. 13.

Gnomon vocatur quadratum super Diametrum consistens cum duobus supplementis, Caiet. in lib. 5. Phys. q. 1. num. 121.

Globus sphæricus percurrendo planum, non solùm tangeret omne determinatum, idest indiuisibile, sed etiàm tangeret indeterminatum dicens partes minores, & minores, quæ appellantur proportionales. Caiet. in lib. 6. Phys. q. 1. num. 169.

Grauia, & leuia in hoc propriè differunt à viuentibus, quod istis competit mouere se simplicitèr, illis vero moueri, scilicet, à motore extrinseco generante, qui dat formam. Explicat hoc Caiet. in 7. Phys. q. 4. num. 211. & simul hoc probat dilucidè in num. 213.

Grauia, & leuia, quando sunt in sua naturali dispositione, & statim mouentur, vt ignis sursùm, lapis deorsum, non potest dici, quod mouentur à se ipsis per propriam virtutem inditam à generante, sed dicendum est omninò ad differentiam viuentium, quod mouentur absolutè à generante, qui ipsis dedit talem formam, & conseruat. Caiet. explicat. ibidem num. 214.

Generationem hominis ponere æternam, ineuitabilis est positio infiniti in actu in entibus permanentibus secundum multitudinem, quod ab omnibus Philosophis negatur, necesse ad miracula recurrendum. Sic ait Caiet. in 8. Phys. q. 2. nu. 239.

H

HAbitus, qui est in prima specie qualitatis dicit motum augmenti quando post genitum habitum potest intensiori actu, quàm sit ille, augere eumdem habitum, eodem vtens principio actiuo intensius, quàm priùs vsus fuerit. Pro nouitijs

tijs Caiet. in quinto Physicorum quæst. secunda num. 131.

Homines omnes generantes habent gradum vnum in causis efficientibus, scilicet, gradum particularis generantis; vndè non est impossibile quod homo generetur ab homine in infinitum; esset autèm impossibile si generatio vnius hominis dependeret ab hoc homine, & à corpore elementari, & à Sole, & sic in infinitum, quià causæ per se ordinatæ alicuius effectus sunt diuersorum ordinum simul causantes illum effectum, & propterea non possunt infinitari. Caiet. explicat. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 133.

I

Illuminatio sumpta absolutè per accidens terminat motum localem: illuminatio tamèn noua, per se secundariò est terminus motus localis. Caiet. in lib. 3. Phys. q. 1. num. 11.

Infinitum per essentiam, & ex parte formæ, & ex parte materiæ, quid sit, & inquet sensibus possit sumi. Caiet. in 3. Phys. q. 3. num 22. & 23.

Infinitas formalis subdiuiditur in Infinitatem formæ, & in Infinitatem esse, seù actus, quomodo inter se proportionentur, & vna inferatur ex alia; & quid sit finitas essentiæ per esse, & materiæ per formam, & è conuersò. Caiet. ibidem num. 24.

Infinitum vnum esse maius alio non inconuenit; & Infinitum non est substantia, sed accidens, & accidens non excedit suum subiectum, & ideò proprietates Infiniti, inquocumque ponatur Infinitas, arctantur ad subiectum Infinitatis; & quomodo Infinitum omnibus modis non possit esse nisi vnum. ibidem Caiet. num. 25. subtilitèr.

Infinita secundum quid potest esse aliqua res citrà Deum, non tamen Infinita simplicitèr. Probatur à Caiet. ibidem. num. 26. & 27.

Infinitum secundum essentiam, quomodo consecutiuè non inferat Infinitatem quantitatis, & è contrà quomodo Infinita magnitudo non inferat Infinitam essentiam. Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 32.

Infinitum non est contrà rationem magnitudinis in communi; benè tamèn contrà rationem cuiuslibet speciei eius, puta bicubitæ, vel tricubitæ. Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 37.

Infinitum cur in additione magnitudinis non inueniatur: benè tamèn in diminutione, seù in diuisione eiusdem. Caiet. ibidem num 38.

Infinitum secundum multitudinem impossibile est esse in actu probat Caiet. in 3. Phys. q. 5. à num. 41. vsque ad num. 45. & in num. 46. probat, possibile esse multitudinem infinitam in potentia.

Infinitam multitudinem esse possibilem, & quod de facto detur per accidens, & non per se, posuerunt antiqui. Explicat, & defendit, quod etiàm per accidens non sit possibilis, nec detur. Caiet. ibidem. num. 44.

Instans afficit partes temporis, prout vna earum est præterita, & prout alia est futura; & hæc simultas exigitur à natura rei successiuæ; tantùm abest quod dicatur esse contrà. Caiet. in lib. 4. Phys. q. 7. num. 111.

Illuminatio dupliciter fit vel per modum simplicis generationis, & sic fit lumen tantùm, & hæc non habet rationem motus; vel fit per modum motus, & sic fit lumen expellens tenebras, & sumit speciem à termino ad quem. Caiet. in 5. Phys. q. 4. num. 150.

Illuminari absolutè est mutatio ex non lumine ad lumen: illuminari autèm tenebro-

sum est mutatio ex lumine priuatiuè in lumen. Caiet. ibidem num. 151.
Iustificatio impij, quæ est motus quidam spiritualis, & pro vt sic consideratur, & non pro vt mutatio est, habet pro termino ad quem, à quo specificatur, ipsam Iustitiam non precisè, sed Iustitiam expellentem culpam. Caiet. ibidem num. 156.
Idem realitèr, & conuertibilitèr impossibile est separari, non autèm sic, quando non adest conuertibilitas, vt patet de animali, & homine; & albedine vt intensa. Caiet. ibidem loc. cit. num. 157. in fine Resp.
Indiuisibile dicitur triplex. Primum est indiuisum in actu, diuisibile in potentia; vt continuum; Secundum est indiuisibile secundum speciem, vt ratio hominis; Tertium est omnino indiuisibile vt punctus, & vnitas: in Physicis est quæstio de hoc indiuisibili quando quæritur an continuum componatur, &c. Ità Caiet. in lib. 6. Phys. q. 1. num. 165. & num. 166. de alio Indiuisibili.
Indiuisibile additum alteri indiuisibili, licet non faciat maius, aut extensius, facit tamèn plus; Sicuti etiàm instans facit maius in duratione, non tamèn maius, aut extensius tempus. Caiet. in 6. Phys. q. 1. num. 169.
Indiuisibilia continuatiua, & terminatiua quomodo sint necessaria in continuo. Caiet. explicat idem loc. cit. num. 170.
Indiuisibile est illud, quod habet positionem in continuo, & caret diuisione quantitatiua. Caiet. in lib. 6. Phys. q. 2. num. 171.
Intellectus, & voluntas in exercitio suorum actuum, quo modo moueant se ad inuicem, & quo modo sint prima, qua primitate. Caiet. in tota quæst. secunda 7. Phys. à num. 188. vsq; ad num. 194.
Intellectuale lumen simul cum similitudine rei Intellectæ, est vtique sufficiens principium Intelligendi, secundarium tamèn, & ab ipso primo principio dependens, & etiàm in conseruari. Caiet. ibidem num. 196.
Intellectio prima, & prima volitio, qui sunt primi motus animi nostri sunt ad modum motus grauium, & leuium, scilicet, à Datore intellectus, & voluntatis. Caiet. totum hoc probat. in 7. Phys. q. 6. num. 222. & 223.
In Inceptione Mundi, quattuor ponuntur de Fide simul creata, scilicet, Cœlum Empyreum, Materia corporalis, quæ nomine Terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica. Caiet. in libro 8. Phys. q. 1. num. 229. Et quod sit indemonstrabilis. Caiet. in num. 231.
Incepisse mundum nil efficacius, licet non demonstratiuè, probari potest, quàm ex Fine diuinæ Voluntatis, seù Bonitatis suæ, quià sic manifestius declarat suum Creatorem. Caiet. ibidem num. 232.
Infiniti Angeli, & Infinitæ Stellæ possunt creari à Deo qualibet die, supposita possibilitate motus, & entis permanentis ab æterno, diuisiuè tamèn, & non collectiuè, ad quod sequeretur infinitum in actu, & non ad primum; quià ly diuisiuè, contraponitur ad ly collectiuè in æternitate, quod repugnat ex parte facti. Diuisiuè autem non repugnat ex parte facti, nec Dei. Caiet. explicat in 8. Phys. q. 2. num. 240.
Inspiratio Prophetica, cùm non requirat aliquam impressionem in voluntate potest ex parte obiecti fieri persuasiuè ab Angelo; à Deo autèm solo efficacitèr fit, non per impressionem alicuius formæ in voluntatem, sed per actualem motionem interiorem, quam solus ipse potest facere. Caiet. in 8. Phys. q. 5. num. 263.

Locus

L

Locus quomodo sumatur in 4. Phys. & in quo sensu locus naturalis Physicus declaretur à Caiet. in 4. Phys. q. 1. num. 53.

Locus quomodo sit species quantitatis continuæ, cuius partes continuantur cum locato, & sunt æquales locato, & habent terminum communem. Explicatur à Caiet. cum duplici expositione in 4. Phys. q. 1. num. 56.

Locus non est idem ac vbi, & quomodo vbi non necessario sequatur corpus, & locum. Et locus, si est superficies corporis, debet habere hæc quattuor, scilicet, quod primo contineat locatum, secundo quod sit æqualis locato, tertio quod sit terminus communis motus localis; & quarto quod sit immobilis primò, explicantur hæc omnia à Caiet. in 4. Phys. q. 1. num. 58. & 57.

Loco quomodo insit contrarietas, esto quantitati nihil sit contrarium. Caiet. ibidem num. 60.

Lectores Phylosophiæ monentur à Caiet. & Ven. Porrecta ad obediendum mandato Concilij Lateran. quibus præcipit vt ostendant cum successu temporis in legendo, rationes omnes Philosophorum contrà Fidem, esse de facto solubiles; vndè si nec ex eorum ingenio, nec aliorum consilio, sciant soluere, quod renuntient Lectioni. Caiet. in 8. Phys. q. 2. num. 236.

Lectores Thomistæ concedant Mundum potuisse esse ab æterno quoad res successiuas, ipsum motum, & rectum, & circularem contrà Durandum; quoad res verò permanentes concedant Mundum, quoad substantiam constantem ex quinque corporibus simplicibus, nequaquam quoad generationem humanam. Caiet. ibidem suprà num. 237. & num. 239.

M

Motus genericè distincti sunt tantum tres; & quando quæritur de motu: quæstio, & in Angelo, & in omnibus alijs potest habere triplicem sensum. Caiet. in lib. 3. Phys. num. 1. q. 1.

Motus, & terminus adquem quomodo sint eadem entitas. Et quomodo motus indicet vitam. Caiet. ibidem num. 2. & 3. q. 1.

Motus cuiuslibet mouentis, etiàm loquendo de motu Angelico, & propriùs, & communitèr sumptus, non potest esse in instanti. Caiet. ibidem num. 7. & 8. & num. 13. tangit radicem huius impossibilitatis. Caiet. ibidem.

Motus est actus mobilis à mouente, quomodo explicatur de actibus exterioribus, scilicet, qui transeunt in exteriorem materiam, vt vrere, & secare, & quod habent pro materia, & subiecto id, in quod transit actio. Caiet. in 3. Phys. q. 2. num. 17.

Motus appetitiuæ, & motus apprehensiuæ partis in quo differant, & quinam sit magis actiuus, vel passiuus. Caiet. ibidem num. 18.

Magnitudinem augeri in infinitum potest dupliciter intelligi, vel quod potest sibi fieri additio secundum partes proportionales, & sic conceditur, vel quià semper potest sibi fieri additio simplicitèr, & hoc negatur. Caiet. explicat in 3. Phys. q. 4. num. 38. & 39.

Multitudo omnis actu existens, est in aliqua specie multitudinis, & sic secundum aliquam speciem numeri, & per consequens finita. Probat Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 45.

Multitudo quid vniuersalius, est quàm numerus, & ideò habet multo plures species, quàm numerus immaterialis: habet enim omnes species numeri, & omnes species multitudinis immaterialis, quæ propriè non est numerus. Caiet. in 3. Phys. q.5. num. 49.

Motus, quomodo esset in tempore, si daretur vacuum; & quomodo intelligitur Arist. qui dicit, quod si fieret motus per vacuum, moueretur in instanti. Caiet. in 4. Phys. q.4. num. 82. & num. 83. contrà Scotum qui tenens idem, respondet alia via, ad Aristotelem.

Motus corporis esset in tempore, & non in instanti, si daretur vacuum, & corpus esset in vacuo. Probat Caiet. loc. cit. num. 85.

Motus corporis in vacuo, esset in tempore, quià licet non sit resistentia medij, adest resistentia agentis, quià est limitatæ virtutis, & licet non resistat positiuè, & contrariè, resistit tamèn negatiuè, quià, scilicet, non habet maiorem virtutem. Caiet. loc. cit. num. 87.

Mensurari per vnum, istud vnum vt mensuret, non exigitur, quod sit causa omnium eorum, quæ mensurat, sed sufficit, quod sit simplicius. Caiet. in lib. 4. q. 6. nu. 103.

Mensura necessariorum non est omnimodè vna; sicuti nec etiàm mensura possibilium omnium, sed diuersa. Caiet. contrà Scotum. in lib. 4. Phys. q. 8. num. 114.

Mensuræ cõtrà Scotum distinguuntur non penès habere esse modo successiuo, vel permanenti, sed penes mutabile, & immutabile. Caiet. ibidem num. 119.

Motus, quattuor per se respicit genera, scilicet, substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi; ad omnia autem alia se extendit per accidens. Caiet. in libro 5. Phys. num. 120.

Motus species sunt sex, scilicet, Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio, & secundum locum mutatio. Alteratio quidem est alius motus ab alijs, quià ab his potest separari; sicuti, & Augmentatio, quià potest separari ab alteratione, ab ista est alius motus. Caiet. in libro 5. Physicorum q. prima num. 121.

Motus ad hoc vt sit propriè dictus in mobili requirit duas conditiones. Prima quod mobile sit ens in actu compositum; Secunda quod versetur intèr terminos contrarios, & contrarietas habeat latitudinem. Motus sic sumptus, ad substantiam dicitur non esse. Caiet. ibidem num. 123.

Motus propriè dictus datur tantùm ad tria prædicamenta, scilicet, quantitatem, qualitatem, & vbi. Caiet. probat. ibidem. num. 126.

Motus augmenti non fit per additionem gradus ad gradum in formis, sed per maiorem radicationem in subiecto. Caiet. 5. Phys. q. 2, num. 132. & q. 3. num. 141.

Motus est per se primo inspectus à sola tertia specie qualitatis; ab alijs, inspicitur, non nisi ex quadam consequentia. Caiet. ibidem. num. 136.

Motus augmenti corporalis est circà quantitatem propriè; Et augmentum spirituale, est circà quantitatem spiritualem. Caiet. 5. Phys. q. 3. num. 140.

Motus augmenti, & in quantitate molis, & in quantitate virtuali formarum, explicatur à Caiet. vtrobique ibidem num. 142.

Motus in quantitate virtuali sicuti saluatur de affirmata in affirmatam, absque formæ corruptione; sic motus augmenti spectans propriè ad quantitatem molis saluatur absque quantitatis corruptione. Caiet. ibidem num. 143.

Mutatio, vt distinguitur à motu, scilicet, generatio, & corruptio possunt considerari dupliciter, & vt actiones, & vt mutationes. Quid illis competat in suis proprijs considerationibus, explicat Caiet. in 5. Phys. q. 4. num. 152.

Motus

Motus carens contrarietate reddit mobile incorruptibile, vt Corpus Cœleste carens contrarietate; habens autèm contrarietatem reddit mobile corruptibile, vt Elementaria Corpora. Motus localis corporis est triplex. Circularis, rectus, & obliquus. Explicatur à Caiet. in 5. Phys. q. 5. num. 158.

Motus ab extrinseco ex parte actiui, quomodo sit fortior in principio ex parte contrarietatis; & ex parte passiui, quomodo fit minor in principio. Caiet. ibidem num. 163.

Mouentia se, quomodo graduantur in Physicis, & quænam sit differentia intèr ipsa, citrà Deum, qui in mouere se nil ab alio mendicat. Caiet. lib. 7. Phys. q. p. nu. 180.

Moueri ex se non repugnat ei, quod mouetur ab alio, vt patet de Voluntate, quæ si moueretur ab alio, ità vt nullatenus ex se moueretur: iàm opera eius non imputarentur ad meritum, & demeritum. Caiet. lib. 7. Phys. quæst. 2. num. 193. & 195.

Motus primus in vniuerso, est sicut Motus cordis in Animali, nec merè naturalis nec principium purè passiuum. Caiet. in 7. Phys. q. 5. num. 215. & 216. & in num. 218. probat Caiet. quod est primo ab ipso, vt à Generante: proximè à corde.

Mundum Incepisse sola Fide tenetur, ità vt demonstratiuè probari non possit. Caiet. in lib. 8. Phys. q. p. num. 231. alia de Æternitate, Inceptione Mundi, videas infrà in hoc Alphabeto litteram R, & suprà, E & I.

N

NVnc vbi sunt plura, ibi necessariò est Tempus. Caiet. in 3. Phys. q. prima num. 8.

Negatio, seù separatio, licet de se non dicat perfectionem, dicit tamèn eam fundamentalitèr. Caiet. ibidem num. 28.

Natura Angeli quomodo sit Infinita secundum quid, & non simplicitèr, vt vult Scotus, esto esse sit prius natura in se ipso tantæ, vel non tantæ perfectionis; finitæ, vel infinitæ. ibidem num. 30. & 31.

Numerus augmentabilis in Infinitum, est numerus continuorum, prout acceditur non ad totum, sed ad partem; sicuti, & diuisio continui, ex qua causatur, Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 40.

Numerus, quo modo sit multitudo mensurata per vnum. Explicat Caiet. in 3. Phys. q. 5. num. 45.

Nunc æternitatis est alterius rationis à nunc nostri Temporis; imò si nunc Temporis staret, æternitatem constitueret, sicut si punctus moueretur, lineam faceret. Caiet. in 4. Phys. q. 5. num. 98.

Numerus solus primi motus, proptèr maximam eius simplicitatem, habet rationem completam temporis, & ideò formalitèr est vnum Tempus, materialitèr sunt multa Tempora. Caiet. ibidem. q. 6. num. 99. vsq; ad 102.

Necessarium simplicitèr S. Doctor vocat id quod non potest non esse per potentiam in se, esto secundum potentiam Logicam, idest secundum potentiam in alio, scilicet, Deo possit non esse. Et ideò in modo loquendi Scotus differt à S. Doctore, quod Scotus vult quod solus Deus sit ens necessarium, quià hoc necessarium vocat quod per nullam potentiam potest non esse. S. Doctor tamèn formaliùs loquitur, & ponit multa entia necessaria, scilicet, Angeli, homo secundum Animam, Corpora Cœlestia. Caiet. in lib. 8. Phys. q. p. num. 228.

Nouitas Mundi, scilicet, quod Incæperit, est Articulus Fidei, ità vt non possimus habere demonstrationem, nec ex parte Mundi, nec ex parte suæ Causæ, Caiet. ibidem num. 231.

O

OPinio S. Th. est circà motum in Instanti, loquendo de motu communitèr sumpto, quod id quod mouetur, alitèr se habeat nunc, & prius; quod idem est, ac non posse moueri in Instanti. Explicatur à Caiet. in 3. Phys. q. p. num. 6.

Operationes naturales Angeli, quomodo non possint mensurari æuo vt duæ Intellectiones, Volitiones Angelicæ, nec tempore nostro continuo, sed tempore discreto, quod necessariò assignandum est pro mensura talibus entibus nobilibus. Caiet. in 4. Phys. q. 8. num. 115. & 118. & 19.

Opinio Scoti, simplicij, & aliorum contrà D. Th. de motu circà species qualitatis explicatur, & recitatur à Caiet. in 5. Phys. q. 2. num. 133. & num. 134.

Opiniones de augmento in quantitate molis, & in quantitate virtuali recitantur, & explicantur cùm D. Th. in 5 Phys. q. 3. num. 143.

Opiniones de vnitate numerica, & specifica motus, & vt mutatio est, & propriè vt motus, explicantur, & recitantur à Caiet. ibidem. q. 4. num. 152.

Opinio de contrarietate motuum approbatur ab omnibus in ijs, quæ dicit D. Th. & Caiet. vnum solummodo negat Scotus, quod in gradibus etiàm remissis motus contrarij sint incompossibiles in eodem. Caiet. disputat contrà Scotum in 5. Phys. q. 5. num. 161.

Opinio antiquata Zenonistarum &c. De indiuisibilibus, & athomis componentibus continuum impugnata à Caiet. in lib. 6. Phys. q. p. num. 167.

Opinio Arist. & Platonis de primo mouente simplicitèr immoto conciliata à Caiet. sicuti, & etiàm de ista propositione acceptata à Scoto, scilicet, omne quod mouetur ab alio mouetur, in quo differat ab opinione Thomistarum, pro vt conducit ad indagandam existentiam primi Motoris. Caiet. lib. 7. Phys. quæst. 1. num. 182.

Operatio viuentis est à mouente se, quatenus per vnam partem iàm motam, & factam in actu, mouet alias; vndè cor non ità viuens mouet se, vt non moueatur ab alio, scilicet, à Generante in primo motu, quo Incipit Vita. Caiet. ibidem num. 187.

Opinio, quæ ponit quod Agens agat indistans est falsa, quià semper agit, & in medium, & in subiectum distans, esto non semper idem effectus producatur in vtroque proptèr diuersam capacitatem, & dispositionem. Caiet. probat hoc in 7. Phys. q. 3. multis experientijs num. 205.

Opinio Scoti, quæ ponit cor mouere se ipsum, impugnatur virilitèr à Caiet. in 7. Phys. q. 5. num. 217. & 218.

Opinio S. Th. ex hoc quod in quæstionibus de Anima ponit in eodem ordine motus, motum Cordis, & Ignis, decrementi, & augmenti, & alimentis & ex hoc quod subiungit quod Motus Cordis, est sicut Ignis; non tenet absolutè quod Motus Cordis sit sicut motus grauium, & leuium, quià loquitur præcisè quantum ad naturalitatem: sub hac tamèn ratione communi distinguuntur illi motus. Subtilitèr defendit Sanctum Doctorem. Caiet. cùm Ferr. in 7. Phys. q. 5. num. 220.

Opinio illorum, qui dicebant non verificari hanc propositionem, scilicet, omne quod mouetur ab alio mouetur, in primis motibus Animi nostri impugnatur viri-

li-

litèr à Caiet. in 7. Physicorum quæst. 6. num. 222. & 223.

Opiniones duæ de Integritate Mundi recitat S. Doctor in p. p. p. q. 46. art. 2. in Resp. ad primum, quas confutat statuendo propriam sententiam, scilicet, quod Mundus incæperit sit articulus fidei, & quod non possit demonstrari. Caiet. explicat. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 229. & 230. & 231.

Opiniones antiquorum qui ponebant in sua vniuersalitate mundum potuisse imò de facto fuisse ab æterno, etiàm generationem humanam, confutatæ à D.Th. & Caiet. in 8. Phys. q. 2. num. 237.

Opinio Scoti, qui vult, quod rationabilius, & fortius Arist. demonstret existentiam primi Motoris in 12. Met. per medium Metaphysicum, scilicet, per viam causalitatis, impugnatur à D. Th. sicuti, & Zabarellæ qui oppositum tenet, scilicet, demonstrari efficacius per medium Physicum, scilicet, per motum Physicum, ponendo D. Th. quod vtraq; via est efficacissima. Caiet. in 8. Met. q. 3. num. 244. & 245. & 246.

Opiniones, & errores multorum recitantur circà cooperationem Dei intrinsecam in causis secundis operantibus suos effectus à Caiet. & prout diuersimodè negant illam, impugnatur à Caiet. ibidem q. 4. num. 253.

Opinio antiquiorum Thomistarum de præuiamotione primi Mouentis, qua primum Mouens applicat causas secundas ad operandum non est retractata à D. Th. in sua Summa, nec à Caiet. vt vult Suarez; imò defendit eam totis viribus Caietanus fidelissimus, Interpres D. Th. ibi in Summa, & in sua q. 5. 8. Phys. præcipuè num. 264 & 266. & 265.

Operatione Vnica sicuti Causa secunda in ordine suo exit de potentia ad actum, & influit in effectum; ità prima, & Vnica operatio primi mouentis, seù vnicus concursus, & Influxus Dei, cùm duobus respectibus, seù formalitatibus in ordine ad inadæquatos effectus, applicat, seù præmouet causam secundam cui intrinsecè cooperatur eius Actioni; & sic secundum istas diuersas formalitates vnica illa operatio primi mouentis vocatur, & Concursus præuius secundum primam formalitatem, & simultaneus iuxtà secundam formalitatem. Caiet. in 8. Phys. q. 5. & vltima num. 266. & 267.

Opinio Caietani de præuia Motione contrà aliquos modernos, qui volunt quod Caietanus in Commentarijs p. p. eam repudiauerit, sustentatur ex proprijs Doctrinis eiusdemmet. Caiet. in 8. Phys. q. 5. & vltima, præcipuè, num. 266. & 267.

P

POssibile, & impossibile Logicum est alienum à quæsitis Thomisticis, quandò scrutantur naturæ rerum: semper enim attenditur quid rei congruat, quod est attendere possibile, & impossibile Physicum, & non quid Deus possit? Caiet. in 3. Phys. q. 1. num. 9. in fine.

Peccati Actus subiectum proprium, est illa potentia, quæ est principium eiusdem Actus. Caiet. in 3. Phys. q. 2. num. 17.

Pars apprehensiua minus habet rationem passionis communitèr dictæ, quam pars appetitiua; & cur apprehensiua minus trahatur ad Agens, quàm pars appetitiua. Caiet. ibidem num. 18.

Partes aliquotæ, seù designatæ, & partes proportionales, seù indesignatæ quid sint, Declaratur à Caiet. in 3. Phys. q. 4. num. 33. (& q. 5. num. 47. & infrà 6. Phys. q. 2. 172. & 173. & 175.

Partes Temporis, quæ dicuntur præteritæ, & futuræ, quo modo existant D. Aug. dicit esse difficillimum explicatu. D. Th. ait quod existunt in facto esse sola indiuisibili existentia, instantis. Caiet. in lib. 4. Phys. quæst. 7. num. 108. & 109.

Partes in continuo aliæ sunt aliquotæ, & aliæ proportionales. Primæ quomodo vocentur partes non se communicantes, & signatæ, seu designatæ. Aliæ vocantur minores, & minores, & se communicantes, & indesignatæ, seu indeterminatæ. Caiet. explicat. in 6. Phys. q. 2. num. 172.

Partes proportionales sunt Infinitæ in potentia, & ideò dicitur, quod intèr duas partes sunt Infinitæ partes proportionales; & quod intèr duo loca sunt Infinita loca media. Caiet. ibidem num. 173. & num. 175. probat Caiet.

Principia actiua alia sunt Actiua formalitèr, vt elicitiua Actionum vt calidum, & frigidum; & alia sunt Actiua virtualitèr, quorum virtute actiones eliciuntur, vt sunt omnia corpora secundum substantias, quorum virtute, qualitates, & potentiæ Actiuæ agunt. Caietanus libro septimo Physicorum quæstione prima num. 181.

Potentiæ motiuæ sunt duplicis ordinis, quædam solo proprio actu exercentur, vt naturales: quædam verò in exercitio proprij actus, hoc distinguitur ab actu ipso, vt sunt illæ, quibus vtimur, cùm volumus. Primi ordinis habent ab eodem Motore operari, & operari hoc. Secundi ordinis ab alio Motore habent vsum, & ab alio habent actum specificum. Explicatur à Caiet. in lib. 7. Phys. q. 2. num. 190.

Potentia vnica actiua, stat, quod secundum se egeat vno motore, & vt subest alteri egeat alio, maximè quando potentia refertur ad suos actus non solùm secundum se, sed etiàm, vt subsunt vsui; & vti nil aliud est, quàm applicatio potentiarum ad sua opera. Caiet. ibidem num. 197.

Præsentia Agentis in his, quæ apud nos sunt, duplex est apud passum. Altera situalis, qua vltima eorum sunt apud nos simul. Altera virtualis, qua operatio agentis attingit effectum, seu passum, nullum attingendo medium, siuè intersit aliquid siuè non. Et quomodo hæc duplex præsentia distincta sit in spiritualibus. Caiet. explicat vtramq; præsentiam, vtrobiq; in 7. Phys. q. 3. num. 201.

Præsentia causalis ex parte efficientis dicitur triplex, ordinis, approximationis, & operationis; quid sit, & quo modo verificetur præsentia ordinis, & operationis tàm in agentibus corporalibus, quàm in spiritualibus, & quod præsentia substantialis, & approximationis dubitetur in spiritualibus. Explicat Caiet. ibidem num. 202.

Præsentia approximationis, quæ est relatio approximationis immediatè agentis in passum, quæ præuenit Actionem ordine naturæ saltèm, non necessaria, sed sufficit præsentia ordinis, & operationis. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 3. num. 206.

Pulsatiuum vocatur à D. Gregorio Nisseno, ipse motus Cordis, quià manifestatur per venas pulsatiles; & sicut generatiuum, & nutritiuum non obedit rationi, ità nec pulsatiuum. Caiet in 7. Phys. q. 5. num. 219. in fine.

Principium motus Corporalis, est à Cordis motu, & in hac parte dicitur naturalis, dicitur esse à Generante, & non secundum voluntatem; respectu tamèn Cordis obtinentis Vitam, in tali dispositione mouet se vitalitèr, & est Vitalis, & non tribuitur Generanti. Caiet. ibidem num. cit.

Plantæ naturalitèr mouentur sicuti Cor, quià à forma naturali, & etiàm mouent se ipsas sicuti Cor, per hoc quod vtrobiquè est Vita, eiusquè motus vitales di-

dicatur. Et ideò dicitur, quod motus cordis medio modo se habet. Caiet. ibidem nùm. 220.
Primi Motoris cognitio, & attributorum eius consecutiuè habetur sufficientèr ab Arist. per viam, & medium Physicum, scilicet, motum Physicum in 7. & 8. Phys. Caiet. in 8. Phys. q. 3. num. 245. & 246.
Processus in Infinitum in causis non subordinatis, cur possit dari; & in causis per se subordinatis diuersi ordinis, cur non possit dari. Caiet. explicat in 8. Phys. q. 3. num. 245. & suprà in q. 1. num. 233. 8. Phys.
Propositiones istæ duæ Scoticæ pro vt tangunt radicem contingentiæ, prima, scilicet, quod causa mouens in quantum mota à prima, si necessariò mouetur necessariò mouet. Et secunda, scilicet, omnis causa est mouens in quantùm mota à prima: in quo sensu sint veræ, & falsæ. Explicat Caiet. in 8. Phys. q. 4. num. 251.
Propositio alia Scotica, scilicet, Prima Causa prius respicit effectum naturalitèr, quàm quæcumque alia causa: in quo sensu sit vera explicat Caiet. ibidem nu. 252.
Prædeterminatio Physica, seù præuia motio primi mouentis causas secundas ad incipiendum operari, quæ à D. Th. & Caiet. nominatur sæpius sub nomine applicationis ad operandum, non est retractata in sua summa contrà Suarezium à D. Th. & Caiet. qui, & in p. p. & in 8. Phys. q. 5. per totam istam quæstionem probat ipsam cum D. Th. præcipuè in num. 261. & 265.
Præmouere causam secundam antecedentèr ad motum suum, nil aliud est quàm applicare causam secundam vt moueat se in suo actu, pro vt ly applicare formalitèr distinguitur, è ly dare, & conseruare virtutem, vt primum moueas, scilicet, Deus, cooperet cùm causa secunda in sua operatione, contrà Suarezium, Caiet. in 8. Phys. q. 5. num. 264.

Q

QUiescens in aliquo toto tempore, & in fine illius alitèr se habere, est impossibile secundum ordinem rerum naturalium. Explicatur à Caiet. in 3. Phys. q. 1. num. 9. & num. 10.
Quantitati quomodo congruat ratio finiti, & infiniti; & quomodo secundum D. Th. infinitum non sit passio quantitatis. Caiet. explicat in 3. Phys. q. 4. num. 37.
Quantitati, quomodo nihil sit contrarium, prout nudè accipitur; sed prout induit aliquam aliam rationem, contrarium inuenitur quantitati. Caiet. in 4. Phys. q. 1. num. 60.
Quantitas, quomodo possit esse in aliquo non localitèr, sed indiuisibilitèr per modum substantiæ, vt patet de Corpore Christi quanto vt quantum est, contento sub hostia, explicat Caiet. cum D. Th. in 4. Phys. q. 3. num. 73.
Quantitati licet repugnet esse indiuisibilem, non tamèn repugnat indiuisibilitèr contineri; Animæ autèm rationali repugnat esse diuisibilem, & diuisibilitèr contineri. Explicat Caiet. contrà Durandum, & Scotum disputando, quod quantitas Corporis Christi indiuisibilitèr continetur in Hostia. in lib. 4. Phys. q. 3. num. 78. & 79.
Qualitas importat quemdam modum, & dicitur substantialis secundum id, secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale; si verò est id secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis. Caiet. in 5. Phys. q. 1. num. 124.
Qualitas si importat quemdam modum substantiæ, & quamdam determinationem

secundum aliquam mensuram, cessant obiecta contrà diuisionem specierum qualitatis. Caiet. ibidem num. 24.

Quantitas contrarietatem habet non secundum se, scilicet, non vt nudè accepta, sed ratione alicuius adiuncti. Quantitas minima in specie hominis puta, est contraria maximæ quantitati in eadem specie. Caiet. ibidem num. 127.

Qualitatis species quattuor, scilicet, habitus, & dispositio; naturalis potentia, vel impotentia; Passio vel passibilis qualitas; Forma, & figura, examinantur à Caiet. in 5. Phys. q. 2. num. 128.

Qualitas diuersimodè significata, scilicet, propter diuersos modos significandi, & Physicè, & Logicè; dicitur, & non dicitur suscipere magis, & minus. Caiet. ibidem, diffusè num. 129.

Qualitatis sola tertia species qualitatis habet motum, scilicet, suscipit magis, & minus. Figura quæ est in quarta specie non suscipit. Aliæ species respiciunt motum non nisi ex quadam consequentia, non autem per se primò, vt respicit tertia. Caiet. probat in 5. Phys. q. 2. num. 135. & 136.

Quantitas respicit per se motum augmenti propriè, & iste motus non est alterationis, & modus augmenti explicatur à Caiet. in q. 3. Phys. num. 144. & num. 145. & suprà. Et infrà num. 147.

Qualitatibus non conuenit motus augmenti, nisi translatiue, similitudinariè, & proportionalitèr, vt in quantitate virtuali formarum spiritualium. Caiet. ibidem num. cit.

Quantitas continua ex hoc, quod habet infinitas partes proportionales, quæ non sunt actu plura entia, sed tantùm in potentia, non sequitur quod detur infinitum in actu. Caiet. in lib. 6. Phys. q. 2. num. 177.

R

AD Relationem non est motus propositio est per se vera: sed quomodo secundum esse relatiuum proptèr motum non in se, sed in alio, fit motus. Caiet. in lib. 3. q. 1. num. 11.

Relatio æquiparantiæ, quæ est relatio præsentiæ approximationis, reputatur semper, vt superflua à Caiet. contrà Scotum in simultate agentis, & passi ad hoc vt agat, quià probat semper coincidere cum præsentia ordinis, etiàm in spiritualibus agentibus. Sic Caiet. in tota quæst. 3. 7. Phys. 206. num.

Ratio, qua in Argumento 8. q. 46. art. 2. p. p. S. Doctor probat mundum incæpisse, est cogens, & demostratiua, sed quià est particularis, quia probat ex tali creatura tantùm, scilicet, ex homine Mundum incæpisse, ideò non est ad propositum, & parùm vtilis ad quæsitum vniuersale. Caiet. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 227.

Rationes ad probandum adductæ ab Arist. scilicet, quod Mundus fuerit ab æterno non sunt demonstratiuæ simpliciter, sed secundum quid, vt ipse met Arist. fatetur ex propria confessione. Caiet. in lib. 8. Phys. q. 1. num. 230.

Ratio nulla vniuersalis demonstratiua adest ad probandam inceptionem Mundi quo ad vniuersitatem creaturarum, esto sit aliqua ratio particularis cogens de tali creatura, scilicet, de homine; ità quod sola Fide tenetur Mundum incæpisse. Caiet. ibidem num. 231.

Res quæcumque creata in mundo, quod incæperit, est indemonstrabile, quià eius quidditas, vel ex eius quidditate non potest monstrari eius nouitas simplicitèr, sed fide tenetur, quod incæperit. Caiet. ibidem num. cit. in fine.

Ratio,

Ratio, qua S. Doctor probat in primo loco, quod Deus sit, ex parte motus ex Arist. in 8. Phys. an sit efficacissima, & ex omni parte completa ad inferendum intentum. Caiet. protestatur se nolle examinare illam in p. p. quia esset exire limites Theologiæ, sed promittit examinare ipsam contrà Scotum in proprio loco 7. & 8. Phys. Physica tamen Caiet. vcusque non apparuit. Ità Caiet. in 8. Phys. q. 3. num. 242.

S

Substantiæ incorporeæ non habent totalitatem nec per se, nec per accidens nisi secundum perfectam rationem essentiæ. Et ideò sicuti anima est tota in toto, & in qualibet &c. ità Deus est totus in omnibus, & singulis. Caiet. in 4. Phys. quæst. 1. num. 55.

Spatium Imaginarium, si dicitur vacuum, dicitur abusiuè, & non propriè; vndè potest appellari vacuum negatiuè, non verò priuatiuè de quo disputant Philosophi, an detur. Caiet. in lib. 4. Phys. q. 4. num. 80.

Significata per nomina, sunt in triplici diuersitate, vide Caiet. cum D. Th. in lib. 4. Phys. q. 5. num. 94.

Species qualitatis sunt quattuor: ad quasnam istarum sit motus propriè dictus, explicat Caiet. ibidem in 5. Phys. q. 1. num. 124.

Sensus exterior licet concurrat passiuè ad habendam formam sensibilem in genere entium: concurrit tamèn actiuè ad habendam eam in genere cognoscibilium, scilicet, in actu simplicitèr, quià est pati vitalitèr à sensibili; & ideò dicitur, quod animal mouet se quo ad formam, & quod acquirit eam per se ipsum. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 1. num. 186.

Simultas mouentis, & moti, causæ, & effectus alia est consequtionis, de qua est quæstio in post. 2. lib. cap. 12. Alia est simultas temporis, & præsentiæ quæ non est logica, vt prima, sed Physica, quæ est propria 7. Phys. vbi quæritur an mouens, & motum debeant esse simul. Caiet. lib. 7. Phys. q. 3. num. 199. & quænam simultas Physica requiratur. Caiet. explicat ibidem num. 206.

Sol non agit immediatè in distans secundum suam formam substantialem, quasi hæc sit principium elicitiuum proximum generationis Mineræ, sed agit immeditè secundum suam virtutem, vt per suum proprium organum: Instrumentum enim non est causa, sed causæ organum. Caiet. probat hoc contrà Scotum in 7. Phys. q. 3. num. 207.

Simultas agentis, & passi exigit, quod sibi sufficiant tres præsentiæ; scilicet, secundum situm, secundum operationem, & secundum ordinem, quidquid sit de illa præsentia approximationis assignata à Scoto, quià coincidit cum præsentia ordinis. Constantèr defenditur contrà Scotum à Caiet. ibidem num. 209. imò per totam quæstionem tertiam 7. Phys.

Sapientia Diuiua est mobilior omnibus mobilibus similitudinariè secundum quod suam similitudinem diffundit in omnibus rebus, vsque, scilicet, ad vltima rerum. Caiet. in 8. Phys. q. 3. num. 248.

T

Toto tempore quiescère in aliquo; & in vltimo instanti illius temporis alitèr se habere est impossibile. Caiet. lib. 3. Phys. q. 1. num. 4. & omne quiescens aliquo toto tempore in quolibet instanti illius eodem modo se habet explicatur

hæc alia propositio à Caiet. ibidem, & num. 5. & num. 9.

Tempus continuum, & discontinuum mensurans motum Angeli, aliud est à tempore mensurante motum Cœli, cum non dependeat ex ipso. Caiet. ibidem num. 8. in fine.

Tempore Iosuè, quando stetit primum mobile, quomodo verificatur, quod tempus iret. Caiet. in lib. 3. Phys. q. 1. num. 12.

Totalitas essentiæ non commensuratur totalitati loci, vt commensuratur totalitas quantitatis, & per hoc non opportet, quod illud, quod est totum totalitate essentiæ, quod nullo modo sit extrà illud. Caiet. in 4. Phys. q. 1. num. 55.

Tempus an sit quantitas per se enumerata inter species quantitatis, vel sit quantitas per accidens; & quando tempus, vt quantitas, consideratum spectet ad Physicum, & ad Metaphysicum. Caiet. dilucidè in lib. 4. Phys. q. 5. num. 88.

Tempus nostrum ex hoc quod est numerus motus, seù prioris, & posterioris in motu, facit nos deuenire in cognitionem æternitatis, quæ ex eo quod caret motu, & eodem modo semper se habet, non est ibi accipere prius, & posterius. Caietanus ibidem loc. cit. num. 89.

Tempus ibi est de necessitate, vbi sunt multa nunc succedentia: sed tempus Angelicum, multum differt à tempore nostro. Caiet. ibidem num. 90.

Tempus habet tria, primo quod sit duratio successiua, & continua motus. Secundum quod possit mensurare motum, & hoc completiuè ab anima complemento essentiali; Tertium dicitur accidens temporis. Primum quomodo sit ratio fundamentalis; Secundum quomodo sit formale completiuum per actum animæ iàm habetur ex Caiet. ibidem num. 92. & 93.

Tempus quomodo apud D. Augustinum ipsum cognoscat, & sciat esse, & posteà ignoret, quid sit tempus. Caiet. ibidem num. 92.

Tempus, cùm sit quædam species durationis, nulla res citrà Deum est sua duratio. Caiet. loc. cit. num. 95. & intelligitur de re subsistente, quià tempus est quædam res, & tamèn est sua duratio.

Temporis ratio, non solùm exigit diuersitatem formæ motus, sed quod sit diuersitas talis formæ, scilicet, prioris à posteriori vt sic. Caiet. ibidem. num. 97.

Temporis vnitas, est vnitas primi motus in temporalibus; sicuti, & etiàm est vnum tantùm Æuum in Angelis. Caietanus in 4. Phys. quæst. 5. à num. 99. vsque ad num. 102. & 103.

Tempus, quod sit vnum dumtaxat secundum rationem mensuræ tantum, & non secundum rationem essentialem temporis, loquutio est materialis ista, & non formalis. Ità Caiet. loc. cit. num. 104.

Tempus, quod sit in rerum natura experimur, sed quomodo sit, & existat, hoc opus, hic labor est. Caiet. in lib. 4. q. 7. num. 105.

Temporis non habemus nisi nunc, & non nisi per hoc suum indiuisibile instans existit extrà animam. Caiet. in lib. 4. Phys. q. 7. num. 108. & 109.

Tempus habet rationem completam, non solum ex hoc quod est numerus, sed etiàm ex hoc quod est mensura; & sic habet rationem mensuræ dupliciter. Primo respectu sui, & dicitur mensura extrinseca; Secundo respectu aliorum motuum, & sic dicitur mensura extrinseca. Caiet. in lib. 4. quæst. 8. Physicorum num. 112.

Temporis necessitas multiplicandi ipsum, in discretum, & continuum desumitur ex spiritualibus operationibus substantiarum spiritualium. Diffusè explicat Caiet. ibidem num. 115.

Tempus

Tempus non solùm mensurat, quæ transmutantur in actû, sed quæ sunt transmutabilia, vndè non solum mensurat motum, sed etiàm quietem, quæ est eius, quod natum est moueri, & non mouetur. Caiet. in 4. Phys. q. 8. num. 118.

Tempus discretum nil aliud est, quàm numerus prioris, & posterioris in motu discreto, qui nihil aliud est, quam successio operationis spiritualis ad aliam operationem spiritualem, sinè phantasmatum seruitio. Caiet. ibidem num. 119. in fine.

S. Thomas non retractauit in sua Summa præuiam motionem, seù prædeterminationem Physicam, quæ sub nomine applicationis ad operandum vocatur sepius à D. Th. cùm Caiet. in 8. Phys. q. 5. num. 261. & in p. p.

V

Viuentia propriè dicta in quo cognoscantur à viuentibus communitèr dictis, & à non viuentibus. Caiet. in 3. Phys. q. 1. num. 3.

Vis appetitiua non est magis actiua simplicitèr, sed quo ad principiandum Actum exteriorem: Vis enim apprehensiua, cùm moueat appetitiuam est magis in actu simplicitèr, & magis actiua quodammodo: Appetitiua autèm quomodo sit efficacior ad actum exteriorem, explicat Caiet. in lib. 3. Physicorum q. 2. num. 18.

Vnitas numerica loci, non est Vnitas simplicitatis, qualis est Dei, & Angelorum, sed est vnitas ordinis, qualis est inter illa, quæ licet in se sint plura: quià tamèn sibi inuicem succedunt, ordine quodam sub eodem situ, & distantia vnum dicuntur numero, vnitate numerica ordinis. Caiet. in lib. 4. Phys. q. 1. num. 58. in fine.

Vacuum est locus non repletus corpore, aptus tamèn repleri, ad differentiam puncti, & spatij Imaginarij, quæ non possunt dici Vacuum. Explicat Caiet. in 4. Phys. q. 4. num. 80.

Vacuum si daretur, secundum Caietanum Motus esset in Tempore; secundum Arist. Motus esset in Instanti: quomodo Caiet. explicat Arist. diffusè habes in loc. cit. num. 82. contrà Scotum in num. 83.

Vacuum nulla Virtute naturali potest dari: benè tamèn virtute supernaturali; & hoc in Ingenijs omnium demonstratur multis experientijs, ait D. Th. sensibilibus. Caiet. in 4. Phys. q. 4. num. 84.

Vacuum non fuit propriè, antè productionem mundi, vbi Mundus incæpit esse, quià ad rationem Vacui non sufficit, quod nihil sit, sed quod sit spatium Corporis, quod in spatio illo possibile est esse, & sic antè Mundum cum non fuerit spatium, nec vacuum fuit. Caiet. loc. cit. num. 86.

Vnitas motus propriè dicti, qui competit corporibus, potest desumi non generica, sed specifica ex quatuor, quæ dicit motus, scilicet, ab Agente à quo egreditur mobile, seù passo in quo recipitur, à termino à quo incipit, & ad quem terminatur, vel à distantia, seù medio per quod transit. Caiet. in 5. Phys. q. 4. num. 148. in fine.

Vnitas specifica motus non est à termino à quo, nisi consecutiuè; à termino autèm ad quem per se primo. Vnitas autèm numerica motus requirit per se vnitatem numericam Mobilis, & Temporis. Caiet. ibidem num. 153. & num. 154. contrà Scotum probat Caiet.

Voluntas stat, quod moueat se ipsam, quo ad aliquem suum actum, & tamèn non mo-

moueat se ipsam quo ad omnem sui actum. Caiet. in 7. Phys. quæst. 2. num. 188.

Voluntatem mouere, est proprium solius Dei. Et quomodo Voluntas, & Intellectus moueantur à se, & ab alio; & quomodo vtraq; potentia moueatur ab obiecto, sed dissimili modo. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 2. num. 189.

Vti est actus Voluntatis vt imperantis, & reliquarum virium exequentium, idest exercitium actus potentiarum, quando applicantur à Voluntate ad suos actus, nil aliud est quam vti, seù vsus illarum. Caiet. ibidem num. 190. in fine.

Voluntas, & Intellectus, an ità sint prima mouentia in suo ordine, vt non moueantur ab alio, sed à se. Et quomodo quo ad primitatem sit par ratio vtrobiq; quo ad extensionem autèm, non sit par ratio. Caiet. ibidem num. 191.

Voluntas, & Intellectus quo ad dependentiam, quam habent ministerialitèr à corpore Animato coniuncto, non sunt ità mouentes se primo, vt etiàm non moueantur ab alio. Caiet. in lib. 7. Phys. q. 2. num. 192. & num. 193.

Voluntatis primus actus, sicut, & Intellectus est ex instinctu dato ab exteriori principio, scilicet, Deo; ex hac tamèn finis volitione posteà Voluntas mouet se ipsam ad volendum alia proptèr finem. Caiet. ibidem num. 193.

Vegetabilia, vt media intèr pure naturalia, quæ non mouent se, & intèr Animalia, quæ mouent se, si distinguantur contrà naturalia, dicuntur mouere se; si contrà Animalia, quæ cognoscitiua sunt, dicuntur non mouere se, quià medium subinduit modò aliud, modò alterum extremum. Caiet. ibidem num. 198. quæst. 2. 7. Phys.

Virtus illa pulueris simpathici, quod inducat sanitatem, etiàm si sit Agens distans; Caiet. cùm Thomistis vult, vel quod habeatur pro superstitioso, vel quod occultissimo modo per aera virtute Cœlorum occulta, deferatur ad Corpus, quod sanat. Sic Caiet. in 7. Phys. q. 3. num. 209. in fine.

Viuentia, & non viuentia non differunt intèr se per hoc, vt vult Scotus, qui à scilicet viuentia mouent se media cognitione; non viuentia sine cognitione. Sed vera differentia assignatur à D. Th. quod viuentia mouent se ex principio intrinseco, per quod ex se acquirant suam perfectionem naturalem. Non viuentia autèm non sic se habent, corrupto generante, si sunt extrà locum per virtutem Generantis, remoto impedimento, mouentur. Caiet. in 7. Phys. q. 4. num. 212. & in num. 213. probat, & explicat subtilitèr istam differentiam.

Virtus grauium, & leuium, cur non tribuatur ipsis, sed potius attribuatur Generanti, quando sunt in sua naturali dispositione. Caiet. ibidem num. 214.

Voluntas in suis actibus, ne detur processus in Infinitum, & fiat status, ipsi dandus est vnus actus, qui sit primus, & hic dicitur esse sicuti motus grauium, & leuium, quià est vtiq; à Voluntate elicitus, sed non vt Agens proptèr finem, sed vt tendens in finem ex directione Agentis superioris, scilicet, Dei ordinantis in ipsum, & ideò naturalis, & non à voluntate applicante se ad volendum. Explicat hoc Caiet. in 7. Phys. q. 6. num. 221. & 223.

Voluntas non solum quædam natura est habens propriam causalitatem, & modum proprium causandi per modum naturæ, vt in prima volitione: sed etiàm vt electiua est, & libera ad vtrumlibet, habet modum causandi liberum, & propriam causalitatem in suis actibus, & volitionibus citrà primam. Subtilitèr Caiet. explicat totum hoc ibidem q. 6. num. 225.

Voluntas de potentia reducitur ad actum, & ideò non sequitur, dum aliquid vult, quod semper velit, sed solum quando est in aliqua dispositione determinata. Caiet. ibidem nu. 226.

Vo-

Voluntas nedùm quandò incipit velle operari in supernaturalibus, sed etiàm in omnibus suis Actibus naturalibus, opportet ad hoc vt tollatur illa impotentia, seù indifferentia, & suspensio, & etiàm vt reducatur simul de potentia ad actum, opportet, inquam, quod sit ibi præmotio primi mouentis. Ità Caiet. cùm D. Th. in sua Summa, & in 8. Phys. q. 5. num. 262. & 263.

FINIS INDICIS

Octo Librorum de Physica auscultatione.